
IOANNIS RHO MEDIOLANENSIS, SOCIETATIS IESU, AD IO. BAPT. CASTALDUM, ...

Giovanni Rho, Josè Maria Fonseca de Evora




NAZIONALE
8
13 — D
16
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

IOANNIS RHO MEDIOLANENSIS, SOCIETATIS IESV,

AD

IO. BAPT. CASTALDVM, CLERICVM REGVLAREM,

INTERROGATIONES APOLOGETICÆ.

In quibus S. Ignatij Fundatoris Societatis IESV, cum B. Caietano Thienæo colloquentis, atque ab eo Theatinorum Ordinem postulantis reiicitur FABVLA.



LVGDVNI,

Sumptibus PETRI PROST.

M. DC. XLI.





MVTIVS VITELLESCVS
Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm Interrogationes Apologeticas Patris Ioannis Rhò Societatis nostræ Theologi aduersus adm. R.P.D. Ioannem Baptistam Castaldum aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, si iis ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem &c. Datum Romæ 23. Maij 1641.

MVTIVS VITELLESCVS.

DEfensionem Illustrissimi Ordinis à R.P. Rhò susceptam non modò probamus, sed ab omnibus perlegi cupimus; ne quis callidissimi aduersarij fraudibus deceptus, modestiã & obstinatum hactenus silentium Societatis IESV secùs interpretatus; illam ream faciat, quod illatas iniurias contemnens, aliquid de sua gloria potiùs decedere maluerit, quàm cum viris Religiosis contendere; cum tamen calumniæ, Religionis prætextu inflictæ, acriùs pungant & vulgi animos faciliùs peruadant. Verùm in tota ista Disceptatione ita domesticæ modestiæ memor fuit eloquentissimus vir, vt nemini iustæ offensionis causam dederit: quare hanc scriptionem in lucem edi posse omninò censemus adscripti sacræ Theologiæ Doctores. Lugduni, Calend. Octobr. 1641.

DE VILLE, Vicar. Gener. Substitutus.

Fr. I. CHAVANON, Sacr. Theol. Doct.



TABVLA INTERROGATIONVM.

AD LECTOREM.



Cribendi occaſio; cauſſæ genus, ac ſtatus.

ad

INTERRO



AD LECTOREM.

Scribendi occaſio; cauſſæ genus ac ſtatus.

NNVS agebatur Seculi huius duodecimus, atque à condita Societate LXXII. ad quem vſque IGNATII Sanctiſſimi Patris Noſtri, tum cōſtantia in ſuſceptis conſiliis planè admirabilis; tum conſtituendæ huius minimæ Societatis, nominíſque illi imponendi acceptæ diuinitùs anticipationes, non modò apud noſtros homines, verùm etiam apud omnes, qui illius res geſtas, vel lectione Hiſtoriarum, vel auditione cognouiſſent, in maxima, & clariſſima laude verſabantur; quod & viro ſanctiſſimo decorum erat, & nobis omnibus incitamentum, ne omni vento doctrinæ circumferremur; ſed Parentis optimi conſtantiam imitati, maneremus in ea vocatione, quâ nos in Societatem filij ſui vocauit Deus; vt quæ non vnius, aut alterius noctis conſilio, veluti funginum genus, effuſa, ſed longo, quamuis tacito, Parentis, molimine concepta, di- I.

Quietas res inter PP. Theatinos, & Societatem IESV.

†† 3 uiníſque

uiníſque illuſtrationibus eius in animo lineata, & demum in lucem edita, ſuſcipiente Paulo III. locum aliquem in Chriſtianâ Repûblicâ non pœnitendum obtineret.

II. *post editas illorum Historias,*

Prodierant non ita multò antè in lucẽ Clericorum Regularium Hiſtoriæ à viris, vt dignitate ampliſſimis, ſic diligentiâ ſummis, quas legi plurimùm virtuti intererat, ob præclara primorum eius Ordinis Patrum geſta poſteris conſeruata; Et quæ fuit ſcribentium modeſtia, ſummo cum iudicio coniuncta, nihil in illis erat, quo quiſquam ſe magnoperè dicere poſſet offenſum; itaque pax vbique Ordines inter colebatur.

III. *fabulâ Ignatianæ petitionis turbauit Castaldus.*

Cùm ecce tibi, *Ioannes Baptista Castaldus* (qui tandem, quaſi hoſtem profeſſus, bellum, quod dudum re indixerat, profligaturus, certamen, pacis nomine prætento, iniit) editâ Caietani Thienæi viri ſanctimoniâ clariſſimi vnius è IV. viris Ordinis ſui fundatoribus, vitâ, ſemen iecit diſcordiarum; animo quidem minimè malo; nam de viro Religioſo ſecùs interpretari officij mei non ſit; ſed Hiſtoriæ accuratione minùs diligenti; Scripſit enim Ignatium Loiolam anno proximi Seculi XXXVI. Venetias cùm appu- Cap. 5. Vitę Caietan.
liſſet, exceptúſque hoſpitio eſſet ad S. Nicolai à Patribus Theatinis, illorum ſanctimoniâ captum, habitum Ordinis à Caietano Thienæo popoſciſſe; verùm ab eo dilatum primò, mox reiectum; quòd non dubiè, poſt accuratas preces, à Deo cognouiſſet, ipſum ad actuoſioris Ordinis

dinis fundationem à Deo euocari. Visa nostris hominibus insolens admodum narratio; quùm de hac tantâ re à maioribus nemo nostrum quidquam accepisset.

Ergo inquiri diligenter placuit; quúmque nusquam eius deprehenderentur vestigia, iube- IV. *Quem Iulium Nigronus consultauit primùm in Asceticis;*
tur Iulius Nigronus, vir eruditionis diligentissimæ, per occasionem Asceticorum suorum Seculum dedocere; quod ille tam modestè, quàm validè fecit, Castaldo ne inclementiùs quidem appellato. Qui si eam in nos, quam verbo profitetur, sartam tectam beneuolentiam voluisset; (nam scripturum se minimè fuisse dicit, si nobis dolituram eam rem diuinasset) quùm dolorem nostrum palàm fecissemus, quòd eo commento multùm de Ignatij constantiâ, multùm de beneficiis à Deo in Societatem hanc minimam collatis detrahi videretur; suas nihilominus tueri partes, vulgatâ ad Marcum Thienæum Epistolâ, semel iterúmque minimè pertendisset.

In fine Pacifici certaminis, pag. 236.

Id verò vt faceret, Historicorum nostrorum fidem labefactare, atque vt falsi manifestos in V. *iterúmque dissertatione Historicâ.*
re omnium grauissimâ, in traditione diuinarum reuelationum, infestissimè traducere, ipsúmque Nigronum leuitatis accusare, suíque Ordinis decora (quæ ampla profectò sunt) ita extollere, vt Societatis nostræ, vel ipso IGNATIO teste, illis posthabenda viderentur, nihil pensi habuit. Duos post annos in Nigroni manus ea peruenit Epistola. Ille se, suósque carissimos fratres, viros

clari nominis Petrum Ribadeneiram, atque Nicolaum Orlandinum, totámque familiam indignis modis oppugnari sensit; atque, vt erat scribendi assiduus, & diligens, totam Epistolam in particulas dissectam accuratissimè discussit, atque opusculo, sine cuiusquam iniuriâ, Dissertationis Historicæ nomen imposuit.

VI. *Contra hæc Castaldus Certamen Pacificum edit.*

In eâ, quùm necessitate disputationis adactus, aliqua de vtriusque Ordinis Instituto disseruisset, tantum stomachum Castaldo mouit, vt quasi tumultus esset, saga sumenda, & non modò bellum gerendum, sed rem in certaminis aleam mittendam cēsuerit. Itaque Certamē Pacificū edidit Messanæ anno xxxv. in quo, si tituli partem demas, & aliqua iacta interdum verba, de quibus dicere possis scitum illud: *Molliti sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula*, nihil non atrox, atque hostile in Nigronum, & nos omnes. Psal. 54.

VII. *cui non respondendum visum erat.*

Et quia, ad vitandas turbas, quùm visum esset non respondendum, nihil à nostrorum quoquam reponebatur, ac si planè debellasset, triumphare voluit.

VIII. *sed recuso & amplificato libello, necessarium fuit.*

Ductus est hic triumphus tribus ampliùs abhinc annis, in compascuis Surrētinis, edito grandioribus characteribus, ampliore folio, accuratâ partitionum diligentiâ, & meliori spongiâ sermonis barbarie aliquantulùm detersâ, quamuis per operarum incuriam, maculoso admodum adhuc libello, habuítque conductorum plausorum cuneos, qui grande illud ingeminarent, *Io*

triumphe

triumphe. Qui clamor, quanquam ex typographicâ officinâ incognitâ, & planè ignobili (quæ enim demum Surrenti est?) allabebatur, auditus tamen est. Verùm ne optimo seni triumphale hoc gaudium nimis citò dilueretur, datum iterum triennium est, vt ipso temporis tractu refrigeratus, quæ sine veritatis iniuriâ dissimulari vlterius non possunt, æquiori animo posset audire. Satis nostro silentio lætatus est:nam quòd ab Acatholicis, vt in vltimo Septentrione lites nostras ridendas Ecclesiæ hostibus propinent, auidissimè Venetiis libellus grandi ære sæpiùs ematur, eôque nomine Iuntæ, apud quos prostat venalis, quæstum se ingentem fecisse dicant, hoc ego Castaldo volupe futurum non credo; vt nec nomen suum, & maiorum nobilitate, & Religioso vitæ instituto, & virtutibus clarissimum, inter eos in Bibliothecis spectari, qui contra Societatem nostram Satyras scripserunt, Lithum Misenum, Arnaldum, Viretum, Scioppium, aliósque gregales, vel damnatæ, vel ancipitis, ac proinde nullius fidei homines.

Duo igitur totius caussæ, quam suscipio, capita sunt: vnum de ipsâ re, Ignatianâ scilicet petitione: de Nigrono alterum. IX. *Caussæ totius partes duæ; Res ipsa,*

Et fuerat quidem animus, neglectâ Nigroni defensione, rem ipsam tantùm agere; quòd parum ad summam rei videretur pertinere, lapsúsne aliquando fuisset Nigronus, quem diligentissimum, atque eruditissimum quidem, sed ho- X. *& Nigroni defensio.*

minem fuisse scio; Verùm tam indignis modis haberi virum clarissimum, ac venerabilis memoriæ ita doleo, vt iustam mihi eius defensionem esse suscipiendam decernam. Poscit hoc fides, quâ ille in hac tota caussa versatus est; postulat ipsa Respub. ne qui pro illius incolumitate caput periculis obiecerant, impunè ab aduersariis post mortem lacerentur, quasi non responsuri; neque enim Castaldus, neque alius quispiam, qui viri eruditionem, atque eloquentiam nosset, in viuentem tam licenter fuisset debacchatus, sed mortuo leoni barbam vellere vel mures audent. Flagitat demum obseruantia mea erga virum, morum probitate, eruditionis magnitudine, gestísque muneribus venerabilem, qui me, quamuis ætate, atque scientiâ imparem, amicum appellaret.

XI. *Operis diuisio,* Itaque, vbi Castaldum de stylo, ac laudatoribus, déque probationum iure, atque onere interrogauero; tum ad caussam explicandam aggrediar. Et quoniam ea tota vel tabulis, testibúsque productis; vel argumentis ab ipsâ temporum contentione, rerum naturâ, personarum conditione petitis, agi potest: Testes (nam tabulæ nullæ producuntur) confutabo; mox temporum rationes explicabo; tum personas excutiam, rémque totam diligentissimè examinabo. Postremas interrogationes Nigroniana sibi habebit defensio.

XII. Porrò interrogationibus agere visum est: ne somnus

somnus obrepat disputantibus, & quia commodissima verum eruendi ea ratio sit; quæ si acrior forte cuipiam videatur; dummodo à contumeliis, ac maledictis, meo magis ingenio, quàm aduersarij exemplo, abstineam, fecisse me officium meum credam. Et profectò, nisi Religioso vtrinque nomini reuerentiam deberem, is est Castaldi libellus, qui validiori adhuc scribendi genere confutari iure debeat. Cæterùm ab eruditione ostentandâ volens abstineo, quæ, me quidem iudice, caussam potiùs impedit, ac lectorem delectat quidem, sed abducit. *& agendi ratio.*

Quoniam verò in ipso disceptationis puluere complura ego documenta, cùm publica, tum priuata, Epistolas, Aduersaria, testimonia, subscriptiones, aliáque monumenta ritè obsignata ad fidem faciendam persæpe appellaturus sum, hîc Lectorem in antecessum monitum volo, hæc omnia me, quàm primùm Romam rediero (quod ante proximam Quadragesimam eâ in vrbe concionaturo Deo auspice, & forte antequam hæ Interrogationes lucem adspiciant, cõtinget) in nostro Romano Tabulario fideliter depositurum, tum ad rei gestæ perpetuandá memoriam; tũ vt vbi ea reperiri queant, nemini lateat; tum vt vnde, ad ipsorummet synceritatem, integritatem, ac pondus, si forte opus sit, in quocumque legitimo tribunali inspiciendum explorandúmque peti possint, compertum sit; tum demum vt nonnullorum testium nomina, quæ in præsens, qui suppeditarunt, dissimulata ac te-

cta omnino esse iusserunt, non Cimmeriis ex antris à me euocata, neque pro arbitrio composita, sed genuina & solida, dati in hanc caussam, si quando vsus erit, Censores liquidò recognoscãt; ne quis forsitan interim, dum mihi ea vulgare fas non est, ceu euanida eleuare, aut reiicere solutum sibi temerè existimet: quod mihi prædicendum fuit, ne testium anonymorum fidem ex Iuris Prudentiæ oraculis Castaldus reiiciat; qui hoc nomine Nigronum exagitat; quasi verò illi difficile fuisset recenti adhuc fabulâ, quod mihi post annos amplius x x. expeditissimum fuit.

Denique quia aliam ego in meis Interrogationibus, quàm Castaldus suo in Pacifico Certamine, viam institi, vt cuiuis perspectum sit, nihil eorũ, quæ ad caussam faciunt, à me fuisse neglectum, sed cuncta planè siue in Ignatij constantiá, ac decus, siue in Nigroni doctrinam, atque existimationem obuersa torm ẽta, prævalidè esse euersa, singuláque candidè, collatóque propiùs pede excepta ac reiecta; adieci ad calcem operis accuratum Indicem, in quo Castaldianas Animaduersiones ordine recensitas, simúlque exaduersùm, quid singulis à me partitè repositum sit, locis diligenter indicatis, adnotatum Lector offendet; quò scilicet collatis mutuò tesseris, diiudicare possit, ecquis nostrum pro veritate pugnet, quis illam oppugnet. In cuius etiam gratiam addo, me in Pacifici Certaminis paginis numerandis Surrentinam Editionem esse secutum. Anim. 7. p. 45.

INTERRO



INTERROGATIO PRIMA.

Initio Pacifici Certaminis.

DE CASTALDI PLAVSORIBVS, Stylo, & Operis titulo.

Maledictis vehementibus, conuitiis, atque fallaciis præter morem officiúmque omnia paßim scatere.



Vǽro abs te, Ioannes Baptiſta Caſtalde, puteſne ad officium hominis modeſti pertinere, laudatores plauſoréſque ita conducere, vt non modò te laudibus inaniſſimis inflent, ſed & illiberalibus maledictis iaciendis aduerſarios laceſſant; ac veluti rorarij velites tuorum maledictorum legionibus prægrediantur? Annon vaniſſimè laudant, cùm *Te orbem terrarum tuâ prædicatione illuſtraſſe dicunt?* Hoccine ſine ingenuo rubore tu audis? Quota enim te Italiæ pars docentem audiuit? quæ te Hiſpania? quæ Gallia? quæ te nouit Germania? Cùm te affirmant in vno Nigrono *Totius mundi ingenia expugnâſſe?* quod anceps dictum ſecus interpretari nolo, ſed ad laudem traho: Cùm nouo belli ac victoriæ genere *Mortuos te iugulare* prædicant? quâ admira- I. *Landatores Caſtaldi vanitatis arguuntur.*

A bili

bili fortitudine iam Turcas omnes delere te posse confido: Cùm te *Gloriosum militem* vocant, téque aiunt *in Candâ exercitus tui habere charitatem*? quod fœdè non minùs, quàm ineptè chartis illitum Latinis est? Cùm te Ioanni Baptistæ Præcursori componunt? Contra quem enim Herodem depugnasti? Mitto reliqua; Laudes, cùm merita anteueniunt, Castalde, onerant, non ornant.

II. *Muliebri prece empti.* An eos à te conductos negabis, quos infimis precibus emisti? Questus est ex illis non nemo, se duos integros menses nobilis matronæ à te, tuísve submissæ precibus tandem aliquando victum, testimonium dixisse laudationis tuæ, quod tamen modestissimè fecit, procul ineptiis, ac maledictis. Nomini parco, dicturus tibi Castalde (si fortè, inscio te, alij hoc tentârunt) quandocumque scire volueris; parco, inquam, nomini, ne stigmata leuitatis viro inuram, qui bimestrem matronæ oppugnationem non tulerit.

Dissimulo interim illorum ineptias, qui te Orpheo, atque Herculi componunt: Et stipes verè, & cautes sit, qui vanitatem scribentis non irrideat. Tu Orpheus, Castalde, qui nondum Latinè scribis? Tu Hercules, qui in Mortuum pugnas, quem viuum rogaueras, ne te scriptis vrgeret? Prætereo catachresim *doctrinam tuam fontem è paradiso progredientem sibi videri dicentium*; (Ex litteris P. Bart. Belucderij.) qui se, quàm illimes fuerint illius fontis latices, planè produnt ignorare, cùm illis tuam hanc scriptionem tot maledictis lutulentam comparare non dubitant. Mitto sannas in nos plusquàm scurriles, dum *verecunduli, ac taciti agere* dicimur, *& illud vulgatum profari: Parce defuncto* (quod grandioribus characteribus fuit scribendum, ne quid contumeliæ deesset) *& bellè bellissimum scrupulum iniicere*, scilicet triennij silentium non studio Charitatis, sed degeneri timori imputauit quisquis ille fuit, qui viris nobilibus os subleuit.

III. *Et parum Latini.* Taceo pueriles in re Grammaticâ hallucinationes, quibus ea testimonia tanquam gemmis Erythræis distinguun

distinguuntur; quanquam tota tua scriptio ita illis exundat, vt, nullo penè labore, collectam illarum lineam apud me habeam, quam magno emptam vellet Valla, vt eius Elegantiarum libellus superbissimè posset exornari; verùm hæc, aliáque tuæ Logicæ incomparabilis, additæque diuinarum scripturarum interpretationis ornamenta in aliam, si cui animus erit experiri, scriptionem seponamus.

V. *Notantur ingrati animi.*

Dissimulo in eorum non nemine, cui nobilitas ingentes animos facit, ingrati animi maculam indelebilem, quòd non leuibus à Præside nostræ Societatis beneficiis affectus, & à Sociorum nemine vnquam læsus, in eam liberrimè inuehatur: Non excutio nouam vocis *defensionis* vsurpationem; nam qui libellum tuum Defensionem Ordinis tui dixit hic quoque idem dixit Nabuchodonosor iuranti, quòd ab omnibus regnis, quæ illius tyrannidi vltrò ceruices subdere noluerant, se defenderet, hoc est, vt omnia, quantùm conari posset, pessundaret, ac deleret. Hæc mitto omnia, & antequam ad maledicta transeo, tuos omnes plausores monitos opere quàm maximo ego peruelim, vt temperantiùs in futurum de alienâ famâ loquantur, néve in alienam contumeliam venusti esse velint: nam si dicere pergent quæ volunt, audituri fortè sunt, quæ nolint. Et nostro, si his armis pugnare modestiæ esset meæ, sequitur de vulnere sanguis, scirem & ego in nomine ludere, moresque aliquorum, & emptos, nobilitate, aut gratiâ litterariæ Reipublicæ titulos, dignitatésque ludos facere. Sed pluribus abstineo: Tu verò, Castalde, putásne mihi, meisque amicos adeò nullos, aut ita nullius esse dignitatis ac nominis, vt cùm tu non paucos fabulæ tuæ laudatores in manipulos deduxeris; centurias legionésque huiusmodi, si inanibus nominum clarorum caussæ firmamenta constarent, sub signis habere non possim? Sed viceris hac plausorum pompâ, vt etiam contumeliis.

Iudith c. 1.

VI. Quæro enim ex te, Castalde, an ea, quæ illi male-

 dicta

Castaldus plausorum suorum maledicentiam præstare debet,

dicta iaciunt, tu probes? hoc enim scire vehementer opto. Quid ais? Probas? Igitur criminis particeps, & maledicus es. Improbas? Cur igitur ab iis, quorum tibi est improbata maledicendi licentia, laudari non erubescis? Laudari à laudatis viris, ea demum ingenua, & probabilis gloriæ vsura est: ab illaudatis, illiberalis est laudatio omnis. Quid autem tam illiberale, quàm scurrarum more maledictis ludere? Id factum abnuis? certè non potes, si ea legisti; quod si non legisti, prudentiam tuam si desiderari dicam, de me queri non

VII. *quæ atrox est, cùm aliorum,*

potes. Sed age, maledicta, de quibus te interrogaui, videamus. Vocatur Nigronus. *Vmbra stridens*, & ab eo dicitur, *Dolis laruata veritas: Nigra* dicitur *auis sacros tuorum parentum manes pertinaci crocitatu deturbans:* dicimur nos omnes *Millenarij veritatis osores technas struere, in quas simus casuri:* Vocamur *tuæ Religionis Euersores*, quam ego calumniam iniquissimè fero. Deuouemur diris acerbissimis. *Taceant, pereant*, & Nigrono imprecatur non nemo, *Vt in puluere dormiat, & quæsitus non subsistat.* Hæccine tu probas Castalde? Perge porrò: Confertur Nigronus *Goliato*, tu *Dauidi*, atque ob illum prostratum (quasi verò Lutherum, Caluinúmque deuiceris) tibi cœlesti in Capitolio triumphus decernitur, vnius tamen tantùm Senatoris sententia. Dicitur à te deuictus *Latitare voluisse sub silentio, & insignia tibi tradere victoriæ*, & quasi Philistæus aliquis à te *Generoso Samsone proculcatus*: Dicitur, *Esse in perditione, & nec veritatem, nec misericordiam Dei posse narrare.* quod dictum inhumanum planè, atque impium, & viro, qui dixit, longè indignissimum est: Nos omnes componimur Epuloni, qui mortuum in viuentium scenam induximus. Dicitur *è tenebris sepulchri tenebricosus prodire* Nigronus; & incautissimè *Larua Nigroni auras veritatis concutere.* Dicitur, *Ab Orci sinu ex inopinato procax ascendere, si fortè suis offusis tenebris in lucem inuehi quoquo modo possit.*

VIII. Túne Mari Torelle, cum tuâ hac procacitate incastigatus

ſtigatus hinc mihi abires; niſi ego iuratam huc attuliſſem patientiam? Tu Iulio Nigrono, viro omnigenâ non minus virtute, quàm diſciplinis omnibus ornatiſſimo, quique ſexaginta propemodùm annos religioſis moribus ſpectatus, probatus, laudatúſque eſt, qui ſummâ conſtantiâ atque pietate, me præſente, obiit, ita conuiciareris? Verùm quid ego Marium Torellum accuſo, qui nuſquam eſt? Res planè admirationis pleniſſima, hominem hunc I.C. tanti eſſe nominis, vt libello tuo pondus aliquod auctoritatis maledictis poſſe addere crediderís, cùm illius nomen in Albo Iuriſconſultorum totius regni Neapolitani diù quæſitum nuſquam comparuerit. Vt mihi proinde ex manifeſtis dubia æſtimanti fallaciam aliquam hîc adornatã eſſe ſuboleat; quod tamen in medio, donec aliquid diligentiùs explorauerim, mihi eſt relinquendum, ac de re quærendum Caſtalde: quo enim demum ore hæc audis, & probas, quæ tui Certaminis veriſſima probra ſunt? Hæccine Pacifici Certaminis denunciatio? Fac tibi cum Luthero, & Caluino, aut ſi quos hoſtes Eccleſiæ Dei proximo ſeculo tetriores effudit Orcus, decertandum fuiſſet, quid grauius dici potuit? Diſſimulemus interim alia, grauia illa quidem, ſi ſola dicta eſſent; ſed conſuetâ multorum vnà peccantium felicitate, immania hæc inter, nunc temporis mihi negligenda: ſatis enim habeo, ſi de iſtis, quæ in medium attuli, te interrogem. Quódnam igitur de illis iudicium tuum ſit, ex te ſcire volo. Cum eâ enim, quam profiteris, moderatione ſcribendi, quomodo iſta conueniant, non intelligo: ſed fruſtrà ego tuum de aliorum maledictis ſenſum exquiro, quem tuis vbique prodis.

Tum Marij Torelli præcipuè.

IX. Nec mihi ampliùs diſſimulandum eſt, verùm erumpenti veritati locus dandus, &, quæ hîc ſubeſt fallacia in lucem protrahenda. Dixi à tuorum aliquo plauſores tibi conductos, quod hominis vani videri potuit, & in magno quamuis ſapientum numero aliquem vnũ, qui

Detegitur fallacia nominũ illuſtrium.

qui ſtudio partium leuiuſculè egerit, reperiri minimè mirum eſt; ſed parum dixi: aio nunc, quicumque hoc fecit, abuſum planè licenter ſummorum virorum humanitate: rurſúmque aio per ſummam impudentiam ab eo homine confictos fuiſſe codicillos alieno nomine, intolerabili Lectoribus illudendi licentiâ. Et quidem iam mihi, cùm primùm ineptias illas inficetiſſimas plaudentium legiſſem, fraus aliqua ex ſimilitudine ſtyli ſubolucrat; ſed ne temerè quid affirmarem, ſuſpendere malebam aſſenſum, quàm minùs exploratum aliquid in medium afferre. Sumpſi igitur mihi ſpatium aliquod temporis, vt per idoneum amicum, virum nobilem, ac magnis amicitiis florentem cum laudatorum tuorum nobiliſſimis de iniuriâ expoſtularem; atque hoc maximè pacto exploratâ totius rei veritate, fidenter nunc clamo, nobiliſſimis viris fucum factum, & clariſſima nomina contumelioſis illis libellis non ſine malo dolo fuiſſe ſubſcripta; cùm enim aliquot illorum, ne Latinè quidem ſatis ſciant, rogati tamen ſiue à te, ſiue ab aliquo, qui adornandi triumphi tui ſibi prouinciam depopoſcerat, vt libellum perelegantem, in quo de Ordinis tui, cui addictiſſimi ſunt, præſtantiâ diſſereretur, ſuis auctum vellent nominibus, paterentúrque illi à ſuis honeſtatibus ſplendorem dari; quâ ſunt humanitate, nihil de contumeliis, ac maledictis ſuſpicantes, vel vltrò ſubſcripſerunt, nihil legentes; vel folia pura dederunt. Quâ nobilium virorum humanitate, niſi alienam in contumeliam quicumque hoc fecit (te enim, & probatæ virtutis, quos plurimos eſſe video, Ordinis tui viros exceptos hîc volo) abuſus eſſet, poſſent illi excuſari; nunc nimia credendi facilitas iniuriarum iure poſtulatur. Quis enim eſt mos hic non modo à gentis, ac nobilitatis genio alieniſſimus, ſed planè barbarus, & inhumanus, maledictis eos proſcindere, à quibus ne verbo quidem vnquam læſus fueris? In illâ ipsâ gladiatoriâ monomachiæ licentiâ, qui hyperaſpiſtæ accedunt, omni abſti-
nent

nent contumeliâ, & vbi vulnera inferri fas esse credunt, maledicta spargi indecorum ducunt: cur igitur hoc illi fecerint in hoc Pacifico Certamine? Muliebre, ac seruile hoc pugnæ genus, quibus hic quæstus in linguâ est, vt contumeliis obruant, quos ne digito quidem audent attingere. Quid aliud, si iniuriarum iudicium intentem, responsuri sunt nobiles viri, alieno scelere maledicentissimæ scurrilitatis rei, nisi nimium se facilè credidisse non ampliùs facturos? Et sanè qui suo Marte adprobationes eas composuerunt, satis plerique omnes modestè scripserunt, vt pestilitas illa omnis conuiciorum, atque scurrilitatum ab vno alterôve calamo deriuata videatur.

X. *& audacissima sycophantia, nescio cuius,*

Sed quamuis hæc grauissima sit accusatio, leuis tamen est; si cum eâ, quæ iam sequitur, conferatur. Nihil hîc mihi tecum est, Castalde, quem ex animi mei sententiâ, ignarum huius fraudis, & fallaciæ, quam nunc prodam, esse pronuncio; sed iustissimè conqueror, tantùm audaciæ homini alicui fuisse, vt facinus faceret longè turpissimum. Eum, quicumque ille demum fuit; magnâ voce ad ipsius veritatis tribunal conuenio, & fidenter illi dico, *Ambula in ius.* Interrogo enim illum lege Corneliâ, quâ profectò tenetur, nam codicillos alienos per scelus, vt legislator loquitur in C.*ad leg.Corneliam*, l.*si falsos*, §.*qui autem.* Supposuit laudanti testi, qui eos nunquam scripsit, neque illis nomen suum commodauit, atque id facere ne somniauit quidem. Grauis hæc accusatio est, sed vera: age enim responde, Castalde: nónne tuo in libro laudator vndeuigesimus est Ludouicus Ximenius Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de mercede Redemptionis captiuorũ Theologiæ magisterio nobilis? Est. Nónne strenuè cum aliis ineptit, téque laudibus in Cœlum tollit? Primum, inquis, omnino per nego, & tu viro clarissimo maledicis: secundum, eius beneuolentiæ, atque egregiæ in me fuit humanitatis. De illius iniuriâ ne cures, Castalde; fatere modò te ab illo laudatum,

XI. *cõfictis Ludouici Ximenij nomine codicillis,*

tum, probatúmque illi fuisse libellum tuum: fateor, & viro, inquis, clarissimo gratias ago habeóque. Lubétne, quæ ille tuam in laudem, & Nigroni contumeliam dixit, hîc audire? Audiantur.

Mag Fr. Ludouicus Ximenes, Ord. Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemption. Captiuorum.

Frustra in stadium Pugnator secundò accessit, qui in primâ acie superatus abscessit. Quem viuum supplex vna responsio deiecit, & vicit: mortuúsne stabit? aut millies confossus triumphos sperabit?

Extimuit viuus confracto gladio iterum inire certamen, atque debellata vibrare denuo arma. Siluit, & sub silentio latitare maluit, quàm rursus reiectum ab arenâ discedere. Sustulerunt mortuum, sperantes, quod vel sic timorem incuteret: sed qui viuum non timuit, mortuum non expauit. Principio contempsit, indignans mortuo respondere, postea vt pareret, quæ mira legis parauit. Arcum continuit, qui productior maiori virtute percussit. Viuat itaque felix, & columis, suæ Religionis custos, & columen. In puluere ille dormiat, & quæsitus non subsistat.

Papæ! quàm basilicè! iam Trossulus triumphares; nisi hæc omnia Ximenio ab aliquo Simiâ sycophantâ essent afficta, nihil enim vir grauissimus his ineptiis scripsit, nihil dixit, cogitauit nihil. Audi, Castalde, quid ille pridie Kal. Nouemb. anni M.DC.XL. scriptis codicillis suo Chirographo testatus sit, quos ego codicillos ritè obligatos habeo in meâ potestate. Reddam Latinè fide meliore, quàm stylo.

Dico ego Mag Fr. Ludouicus Ord. D. N. de Mercede Redemptionis Captiuorum, quatenus ostenso mihi, & à me viso nomine meo in libro, cui titulus est: Certamen Pacificum Io. Baptistæ Castaldi, edito à PP. Theatinis, miror aliquem ausum esse illud ibi apponere, quia ego conscius huius appositionis non sum, & impostura est, quæ mihi fit; In cuius rei testimonium hoc Chirographum meâ manu firmaui. In hoc Conuentu Sanctæ Vrsulæ Neapoli, hodie 29. Octobris. 1640.

Ego Magist. Fr. Ludouicus Ximenes, &c. affirmo vt suprà.

Ego

Ego Fr. Io. Bapt. Grottus Secr. & Definitor huius Prouinciæ Italiæ, & Siciliæ, fidem facio supradictam subscriptionem esse Patris Magistri Ximenes suâ propriâ manu factam, agnosco enim eam, & me præsente subscripsit. Atque ita ego meâ item manu firmo, & sigillo Ordinis munio eâdem die, & anno, vt suprà.

Mag. Fr. Ioan. Bapt. Grottus, Secr. & Definitor.
Mag. Fr. Michaël de Ceruallo Prouincialis.

Locus † sigilli.

Quid ego hîc tibi faciam, Castalde, cui aliena sycophantia præstanda est? aliena, inquam, neque enim mihi persuadere possum, te conscio, tantum scelus susceptum fuisse, quod iterum dixisse non piget. Certè mihi omnium testium tuorum suspecta iam nunc fides, nec illis credere iure ampliùs cogi possum: & dissimulâssem ista quidem, nisi hoc esset in caussâ præuaricari; sed pergamus, & de tuis maledictis videamus.

Quæro igitur, Castalde, an maledicta in nos, & in Nigronum, nullâ mortui, nullâ Religiosæ familiæ reuerentiâ dixeris? Quid ais? Fateris ingenuè? Do libens veniam, nec pœnas reposco. Negas? non ideo muto, sed dic tamen, quo loco hæc, quæ iam recensebo, habenda tibi videantur? Separemus, quæ in Nigronum, & quæ in Ordinem totum dicis. Ordiamur à Nigrono. Eum enim *Gloriosum gigantem gladio suo perimere* [a] te velle profiteris: Et *versutum* [b] non semel appellas, quod sine conuicio non dicitur: Ais *Insidiosum fictionibus adinuentionibúsque te infestare* [c]; *Non verum, sed veri fucum rimari* [d]: Et *fundamenta vitæ spiritualis euertere* [e]; hominem, qui de illo viuendi genere tantâ cum laude scripsit eruditissimos libellos: Minaris, te *os illi obstructurum* [f]. Accusas, vt vanum & superbum, monésque, *ne velit ambulare in magnis, & mirabilibus super se* [g]. Reprehendis vt hominem *iræ impotentem*, & *oppugnandi libidine victum* [h], & *carnali sapientiâ imbutum* [i]. Argumenta, quæ ille spicas dixerat, nullâ cuiusquam iniu

XII. *Castaldi maledicta in Nigronum.*

Animad. XXII. [a] p. 170. [b] p. 173. [c] p. 180. [d] Anim. III p. 29. 30. [e] Anim. I. p. 15. [f] Anim. IV. p. 38. [g] Anim. XIII. p. 112. [h] Anim. XXIII. p. 198. [i] Ibid. I. p. 191.

iniuriâ *tu ſpinas, ex quibus non vuas, ſed tribulos colligas*[k]. Vocas eius Diſſertationem *Famoſum libellum*[l], *Abortiuum, cui prudentum iudicio meliùs fuiſſet, ſi abſconditus non ſubſiſteret, ſicut qui concepti non viderunt lumen*[m]. Et tanquam Sacchini modeſtiſſima tuæ ad Marcum Thienæum Epiſtolæ confutatio, *Maſtix ſatyrica*[n] fuiſſet, ab illo te dotes impetitum. Nigronum, vt fallacem totis quatuor Animaduerſionibus[o] laceras, atque vt Tautologiæ vitio laborantem traducis. Vt pædagogo, & cum Grammaticis educato[p] illudis: ais, *Et Nigrono, & Typographo præſtitiſſet in tenebris conticuiſſe magis, quàm aſpexiſſe lucem, quod quidem vtrique honorabile, nunc certè probroſum, & tu quamuis deceptus, certè Lectorem non decepiſſes*[q]. Tum *Parco tibi, quia ignorans feciſti.* Quid grauius diceres, ſi Caluini Inſtitutionem edidiſſet? Iam verò de toto Ordine, quàm veneranter loqueris, qui nos *Venerabiles tibi Patres*[r] *appellas?*

k Anim. VI. p. 51.
l Anim. XXVII. p. 136.
m Anim. p. 8.
n In Præfat. p. 5.
o Anim. XXII & deinceps
p Anim. XIII. p. 117.
q Anim. XXI. p. 169.
r Præfat. p. 5.

XIII. *Et Societatem vniuerſam.*

An non dicis, Nos *pepigiſſe fœdus cum morte*[s]? Nos *Societatis fœdera & pacis terminos*[t] *tranſilire? Iunxiſſe pẽnas alterius ad alterum, & pennarum in te ſtruxiſſe phalanges*[u]? ſcilicet: Tantæ molis erat Caſtaldi vertere dicta. Accuſas nos, vt intolerandæ ſuperbiæ reos, & quidem per calumniam, dum poſt contumelioſiſſimam diſputationem, quaſi morum aliquis magiſter grandi admones ſupercilio: *Non ergo Perfectionis faſtigium præ cæteris ſibi adſcribant, qui infra cæteros tot perfectioris obſeruantiæ monilibus non ornantur*[x]. Per acerbiſſimam calumniam iſta dicuntur, quis enim noſtrum præ cæteris faſtigium illud ſibi adſcripſit? In eo conſiſtere Societatis noſtræ Inſtitutum opinamur, & veriſſimè quidem: at nullos eò euaſiſſe præter nos, quemquam noſtrum dixiſſe, contumelia eſt, & maledictum.

s In fine p. 236.
t Præfat. p. 5.
u p. 7.
x Anim. XIII p. 124.

XIV. *Nigronus ſolus Diſſertationis Hiſtoriæ auctor.*

Traducimur, tanquã ſuppoſititiũ libellũ Nigroni nomine vulgauerimus[y]; quod ſanè à te, Caſtalde, dici omnino par non fuit; niſi fortè memoria excidit, te anno XXIII. ad Nigronum tum Domus noſtræ, ad D. Fidelis, Præpoſitum Mediolani ſub meridiem adiiſ-

y Præfat. p. 7.

se,& ab eo contendisse,ne quam parauerat, Dissertationem Historicam euulgaret. Sed oblitus id fueris. Ego,qui morienti Nigrono affui,sanctè affirmo,libellum hunc reliquos inter ineditos supremâ expolitum manu ab eo nobis relictum, qui deinde vnà cum aliis eruditissimis opusculis lucem vidit, nullis vnquam tenebris obruendus. Quod si mihi affirmanti fidem adiungendam negas, testem appello virum omni exceptione maiorem,nec tibi,vt arbitror, ignotum, Carolum Sangrium Societatis nostræ Præposito Generali pro Italicis prouinciis Assistentem. Recitetur eius Chirographum.

Ego Carolus Sangrius Assistens Italiæ Societatis IESV, *fidem facio, iureiurando etiam, quatenus opus est, interposito, mihi, cùm Prouinciæ Mediolanensi praeessem, à P. Iulio Nigrono Domus Professæ D. Fideli Mediolani nuncupatæ Præposito sæpius narratum, ab se lucubratiunculam quandam Apologeticam elucubrari aduersùs P. Ioannis Baptistæ Castaldi Clerici Regularis, vulgò Theatini editam Epistolam, in quâ is iure, ac verè à se scriptis vulgatum tuebatur, S. Ignatium Societatis* IESV *Fundatorem olim à B. Caietano vt se in eandem familiam Theatinorum cooptaret, petiisse; quod tamen ipse in Commentariis Asceticis nullo solido niti fundamento docuerat: cùm autem paucis post mensibus idem P. Nigronus morbo correptus, ex quo etiam decessit, à Deo se euocari sentiret, eandem lucubratiunculam, quam Dissertationem Historicam inscripsit, iam absolutam penitùs atque perfectam è cæteris suis scriptis excerpsisse, mihique in manus, vt in lucem, si videretur, factâ à R. P. Generali potestate, edi posset, tradidisse. At ego libellum apud me annis compluribus, quòd Ignatianæ petitionis fabellam silentio ipso interituram sperarem, de industria clam habui. Vbi verò illam denuò animatam, atque in suggestum elatam frequentique concioni propinatam resciui, tum enimuerò taciturnitati modum ponendum existimaui, acceptâque à R. P. Generali facultate, Dissertationem Neapolim, vt ibi imprimeretur misi, eâque in vrbe illa ceu legitima P. Nigroni proles, quemadmodum etiam, vel ipsa doctrina, eruditio, &*

facis, omnium gentium, atque ætatum iudicio damnes. Verùm si coactus in caussam ingressus est, si argumentis validissimis, summâ vsus est modestiâ, danda homini venia ea dicenti, quæ minùs tibi placuerunt; quî enim aliud fieri potest, cùm de veritate cernitur? cùm facti quæstio est? cùm Institutorum, hominúmque necessaria causæ instituitur comparatio.

XVIII. *sed necessariâ vsus defensione.*

Quæritur; exempli caussâ, An à vestra paupertate allici potuerit Ignatius? Tu probabile ais; Nigronus fieri potuisse negat. Hucusque, nisi tyrannide Pythagoricâ nos premis, nulla tibi facta iniuria est. Probas eâ ratione, quòd ea summa sit in Ecclesia Dei: Negat Nigronus, & Frãcisci mendicitatem reiectæ tantummodo in Deum spei, hoc paupertatis nomine, anteferendam putat. Si hoc est iniuriam facere, Castalde, iam, opinor, mihi arenâ excedendum est; paucissima enim ex dictis tuis probaturus sum, nam in plerisque omnibus veritatem desiderari puto.

XIX. *quod & mihi faciendũ.*

Cæterùm, dic ingenuè, Castalde, atque ex animi tui sententia, si Societatem, vel ab amplitudine ministeriorum, vel ab Apostolicis missionibus, vel à gloriosis mortibus eorum, qui tam magno numero in fidei caussa ab eiusdem hostibus atrocissimis trucidati obierunt, vel à gentibus, populisque ad Christi nomen allectis; vel à continuis cum hæretica colluuie bellis, vel ab infinitis in omni disciplinarum genere, cum immortali eruditionis fama editis monumentis; vel à capitum numero, quæ suprà XVII. millia, XXXVI. amplius Prouinciis continentur: vel à Gymnasiorum, atque Academiarum splendore tantillùm præhabuisset, dic quæso te, an non verè gloriatus esset in Domino? an ad perdendum Ordinem tuum clarissimum incubuisset? Annon stella differt à stella? Et Benjamin (nam nos fratrum vestrorum minorum loco habes, cuius rei caussa gratias ago; toto enim in certamine vt hostes habuisti) plures partes obuenerunt. Nulla igitur caussa tantarum querelarum, nulla maledictorum

In fine, p. 237.

rum

rum fuit. Quæ cum ita sint,

Quæro abs te,quî tuo huic libello, quod à maledictis inchoasti,Certaminis Pacifici nomen imposueris? Hæc enimuerò , vt cum Iurisconsultis loquar, est *protestatio contraria facto.* Pax maledictis non seritur, nec falsis alitur accusationibus;Dicere quis possit admirans , qui nouus hic mos,*Pacem orare manu , præfigere puppibus arma?*Mihi nec tecum,nec cum vllo Catholicorum bellum est;nam ab adolescentia in hac Ignatij Schola in Ecclesiæ hostes bellum gerere , ab ipso erudimur tyrocinio,neque ad hunc vsque diem operæ nostræ Rempublicam pœnitet : Catholicas inter legiones(sic Religiosorum familias appello) aliquam oriri æmulationem non inutile creditur esse Reipublicæ , vt ipsâ æmulatione acriùs in hostes proruant, atque in eos iustas iras effundant : verùm si vsque ad arma,& bellum erumpant;iam scelus est,& publicum flagitium. Edico igitur fore , vt quamuis iræ caussas haud procul habeam,illam nihilominus teneam , ac de rerum, argumentorúmque veritate ita quæram,vt non vulnerem charitatem. Sequar Nigroni sapientissimi, atque amicissimi viri candida vestigia , in quibus,qui se spinas inuenire arbitrantur;videant,ne delicatiores sint,quàm vt sibi contradici,ac se refelli ferre possint. Ego te, Castalde, nunquam vidi, sed amo nihilominùs religiosos mores,laudóque diligentiam, quâ clarorum virorum gesta prosequutus , facem posteris præluxisti;quo tamen in opere tibi errorem aliquem obrepsisse si demonstretur,cur tantoperè indignaris,qui Ribadeneiram,& Orlandinum mendaciorum reos supremo conatu agis?

XX. *Titulus libri Castaldini fallax.*

In Epist. §. 16. & 31. in Certamine Animaduer. 10. & alibi.

An tibi fas sit,ab Orlandino tradita,si cum tuis pugnant,liberrimâ oratione vanitatis accusare;mihi eodem iure tecum experiundi fas non erit ? Ordinem ego tuum,vt magnum Ecclesiæ ornamentum, & nobilitate,virtutéque excultissimum amo, ac diligo.Habeo in illo viros amicissimos,& sanguinis cognatione coniun

XXI. *Nulla cum Ordine toto suscipitur contentio.*

cta omnino esse iusserunt, non Cimmeriis ex antris à me euocata, neque pro arbitrio composita, sed genuina & solida, dati in hanc caussam, si quando vsus erit, Censores liquidò recognoscát; ne quis forsitan interim, dum mihi ea vulgare fas non est, ceu euanida eleuare, aut reiicere solutum sibi temerè existimet: quod mihi prædicendum fuit, ne testium anonymorum fidem ex Iuris Prudentiæ oraculis Castaldus reiiciat; qui hoc nomine Nigronum exagitat; quasi verò illi difficile fuisset recenti adhuc fabulâ, quod mihi post annos amplius x x. expeditissimum fuit.

Denique quia aliam ego in meis Interrogationibus, quàm Castaldus suo in Pacifico Certamine, viam institi, vt cuiuis perspectum sit, nihil eorũ, quæ ad caussam faciunt, à me fuisse neglectum, sed cuncta planè siue in Ignatij constantiá, ac decus, siue in Nigroni doctrinam, atque existimationem obuersa torméta, prævalidè esse euersa, singuláque candidè, collatóque propiùs pede excepta ac reiecta; adieci ad calcem operis accuratum Indicem, in quo Castaldianas Animaduersiones ordine recensitas, simúlque exaduersùm, quid singulis à me partitè repositum sit, locis diligenter indicatis, adnotatum Lector offendet; quò scilicet collatis mutuò tesseris, diiudicare possit, ecquis nostrum pro veritate pugnet, quis illam oppugnet. In cuius etiam gratiam addo, me in Pacifici Certaminis paginis numerandis Surrentinam Editionem esse secutum. Anim. 7. p. 45.

INTERRO



INTERROGATIO PRIMA.

Initio Pacifici Certaminis.

DE CASTALDI PLAVSORIBVS, Stylo, & Operis titulo.

Maledictis vehementibus, conuitiis, atque fallaciis præter morem officiúmque omnia paßim scatere.



QVÆRO abs te, Ioannes Baptiſta Caſtalde, puteſne ad officium hominis modeſti pertinere, laudatores plauſoréſque ita conducere, vt non modò te laudibus inaniſſimis inflent, ſed & illiberalibus maledictis iaciendis aduerſarios laceſſant; ac veluti rorarij velites tuorum maledictorum legionibus prægrediantur? Annon vaniſſimè laudant, cùm *Te orbem terrarum tuâ prædicatione illuſtraſſe dicunt?* Hoccine ſine ingenuo rubore tu audis? Quota enim te Italiæ pars docentem audiuit? quæ te Hiſpania? quæ Gallia? quæ te nouit Germania? Cùm te affirmant in vno Nigrono *Totius mundi ingenia expugnâſſe*? quod anceps dictum ſecus interpretari nolo, ſed ad laudem traho: Cùm nouo belli ac victoriæ genere *Mortuos te iugulare* prædicant? quâ admirabili

I. *Laudatores Caſtaldi vanitatis arguuntur.*

bili fortitudine iam Turcas omnes delere te posse confido: Cùm te *Gloriosum militem* vocant, téque aiunt *in Caudâ exercitus tui habere charitatem*? quod fœdè non minùs, quàm ineptè chartis illitum Latinis est? Cùm te Ioanni Baptistæ Præcursori componunt? Contra quem enim Herodem depugnasti? Mitto reliqua; Laudes, cùm merita anteueniunt, Castalde, onerant, non ornant.

II. *Muliebri prece empti.* An eos à te conductos negabis, quos infimis precibus emisti? Questus est ex illis non nemo, se duos integros menses nobilis matronæ à te, tuîsve submissæ precibus tandem aliquando victum, testimonium dixisse laudationis tuæ, quod tamen modestissimè fecit, procul ineptiis, ac maledictis. Nomini parco, dicturus tibi Castalde (si fortè, inscio te, alij hoc tentârunt) quandocumque scire volueris; parco, inquam, nomini, ne stigmata leuitatis viro inuram; qui bimestrem matronæ oppugnationem non tulerit.

Dissimulo interim illorum ineptias, qui te Orpheo, atque Herculi componunt: Et stipes verè, & cautes sit, qui vanitatem scribentis non irrideat. Tu Orpheus, Castalde, qui nondum Latinè scribis? Tu Hercules, qui in Mortuum pugnas, quem viuum rogaueras, ne te scriptis vrgeret? Prætereo catachresim *doctrinam tuam fontem è paradiso progredientem sibi videri dicentium*; qui se, quàm illimes fuerint illius fontis latices, planè produnt ignorare, cùm illis tuam hanc scriptionem tot maledictis lutulentam comparare non dubitant. Mitto sannas in nos plusquàm scurriles, dum *verecunduli, ac taciti agere* dicimur, *& illud vulgatum profari: Parce defuncto* (quod grandioribus characteribus fuit scribendum, ne quid contumeliæ deesset) *& bellè bellissimum scrupulum iniicere*, scilicet triennij silentium non studio Charitatis, sed degeneri timori imputauit quisquis ille fuit, qui viris nobilibus os subleuit. Ex litteris P. Bart. Belucderij.

III. *Et parum Latini.* Taceo pueriles in re Grammaticâ hallucinationes, quibus ea testimonia tanquam gemmis Erythræis distinguun

distinguuntur; quanquam tota tua scriptio ita illis exundat, vt, nullo penè labore, collectam illarum lineam apud me habeam, quam magno emptam vellet Valla, vt eius Elegantiarum libellus superbissimè posset exornari; verùm hæc, aliáque tuæ Logicæ incomparabilis, additæque diuinarum scripturarum interpretationis ornamenta in aliam, si cui animus erit experiri, scriptionem seponamus.

V. *Notantur ingrati animi.*

Dissimulo in eorum non nemine, cui nobilitas ingentes animos facit, ingrati animi maculam indelebilem, quòd non leuibus à Præside nostræ Societatis beneficiis affectus, & à Sociorum nemine vnquam læsus, in eam liberrimè inuehatur: Non excutio nouam vocis *defensionis* vsurpationem; nam qui libellum tuum Defensionem Ordinis tui dixit hic quoque idem dixit Nabuchodonosor iuranti, quòd ab omnibus regnis, quæ illius tyrannidi vltrò ceruices subdere noluerant, se defenderet, hoc est, vt omnia, quantùm conari posset, pessundaret, ac deleret. Hæc mitto omnia, & antequam ad maledicta transeo, tuos omnes plausores monitos opere quàm maximo ego peruelim, vt temperantiùs in futurum de alienâ famâ loquantur, néve in alienam contumeliam venusti esse velint: nam si dicere pergent quæ volunt, audituri fortè sunt, quæ nolint. Et nostro, si his armis pugnare modestiæ esset meæ, sequitur de vulnere sanguis, scirem & ego in nomine ludere, moré sque aliquorum, & emptos, nobilitate, aut gratiâ litterariæ Reipublicæ titulos, dignitatésque ludos facere. Sed pluribus abstineo: Tu verò, Castalde, putásne mihi, meisque amicos adeò nullos, aut ita nullius esse dignitatis ac nominis, vt cùm tu non paucos fabulæ tuæ laudatores in manipulos deduxeris; centurias legionésque huiusmodi, si inanibus nominum clarorum caussæ firmamenta constarent, sub signis habere non possim? Sed viceris hac plausorum pompâ, vt etiam contumeliis.

Iudith c. 1.

VI.

Quæro enim ex te, Castalde, an ea, quæ illi male-

Castaldeus plausorum suorum maledicentiam præstare debet,

dicta iaciunt, tu probes? hoc enim scire vehementer opto. Quid ais? Probas? Igitur criminis particeps, & maledicus es. Improbas? Cur igitur ab iis, quorum tibi est improbata maledicendi licentia, laudari non erubescis? Laudari à laudatis viris, ea demum ingenua, & probabilis gloriæ vsura est: ab illaudatis, illiberalis est laudatio omnis. Quid autem tam illiberale, quàm scurrarum more maledictis ludere? Id factum abnuis? certè non potes, si ea legisti; quod si non legisti, prudentiam tuam si desiderari dicam, de me queri non

VII. *quæ atrox est, cum aliorum,*

potes. Sed age, maledicta, de quibus te interrogaui, videamus. Vocatur Nigronus. *Vmbra stridens*, & ab eo dicitur, *Dolis laruata veritas: Nigra* dicitur *auis sacros tuorum parentum manes pertinaci crocitatu deturbans:* dicimur nos omnes *Millenarij veritatis osores technas struere, in quas simus casuri*: Vocamur *tuæ Religionis Euersores*, quam ego calumniam iniquissimè fero. Deuouemur diris acerbissimis. *Taceant, pereant*, & Nigrono imprecatur non nemo, *Vt in puluere dormiat*, *& quæsitus non subsistat*. Hæccine tu probas Castalde? Perge porrò: Confertur Nigronus *Goliato*, tu *Dauidi*, atque ob illum prostratum (quasi verò Lutherum, Caluinúmque deuiceris) tibi cœlesti in Capitolio triumphus decernitur, vnius tamen tantùm Senatoris sententia. Dicitur à te deuictus *Latitare voluisse sub silentio*, & *insignia tibi tradere victoriæ*, & quasi Philistæus aliquis à te *Generoso Samsone proculcatus*: Dicitur, *Esse in perditione*, *& nec veritatem, nec misericordiam Dei posse narrare.* quod dictum inhumanum planè, atque impium, & viro, qui dixit, longè indignissimum est: Nos omnes componimur Epuloni, qui mortuum in viuentium scenam induximus. Dicitur *è tenebris sepulchri tenebricosus prodire* Nigronus; & incautissimè *Larua Nigroni auras veritatis concutere*. Dicitur, *Ab Orci sinu ex inopinato procax ascendere, si fortè suis offusis tenebris in lucem inuehi quoquo modo possit.*

VIII. Túne Mari Torelle, cum tuâ hac procacitate incastigatus

ſtigatus hinc mihi abires; niſi ego iuratam huc attuliſſem patientiam? Tu Iulio Nigrono, viro omnigenâ non minus virtute, quàm diſciplinis omnibus ornatiſſimo, quique ſexaginta propemodùm annos religioſis moribus ſpectatus, probatus, laudatúſque eſt, qui ſummâ conſtantiâ atque pietate, me præſente, obiit, ita conuiciareris? Verùm quid ego Marium Torellum accuſo, qui nuſquam eſt? Res planè admirationis pleniſſima, hominem hunc I.C. tanti eſſe nominis, vt libello tuo pondus aliquod auctoritatis maledictis poſſe addere credideris, cùm illius nomen in Albo Iuriſconſultorum totius regni Neapolitani diù quæſitum nuſquam comparuerit. Vt mihi proinde ex manifeſtis dubia æſtimanti fallaciam aliquam hìc adornatã eſſe ſuboleat; quod tamen in medio, donec aliquid diligentiùs explorauerim, mihi eſt relinquendum, ac de re quærendum Caſtalde: quo enim demum ore hæc audis, & probas, quæ tui Certaminis veriſſima probra ſunt? Hæccine Pacifici Certaminis denunciatio? Fac tibi cum Luthero, & Caluino, aut ſi quos hoſtes Eccleſiæ Dei proximo ſeculo tetriores effudit Orcus, decertandum fuiſſet, quid grauius dici potuit? Diſſimulemus interim alia, grauia illa quidem, ſi ſola dicta eſſent; ſed conſuetâ multorum vnà peccantium felicitate, immania hæc inter, nunc temporis mihi negligenda: ſatis enim habeo, ſi de iſtis, quæ in medium attuli, te interrogem. Quódnam igitur de illis iudicium tuum ſit, ex te ſcire volo. Cum eâ enim, quam profiteris, moderatione ſcribendi, quomodo iſta conueniant, non intelligo: ſed fruſtrà ego tuum de aliorum maledictis ſenſum exquiro, quem tuis vbique prodis.

Tum Marij Torelli præcipuè.

IX.

Nec mihi ampliùs diſſimulandum eſt, verùm erumpenti veritati locus dandus, &, quæ hìc ſubeſt fallacia in lucem protrahenda. Dixi à tuorum aliquo plauſores tibi conductos, quod hominis vani videri potuit, & in magno quamuis ſapientum numero aliquem vnũ,

Detegitur fallacia nominũ illuſtrium.

qui studio partium leuiusculè egerit, reperiri minimè mirum est; sed parum dixi : aio nunc, quicumque hoc fecit, abusum planè licenter summorum virorum humanitate : rursúmque aio per summam impudentiam ab eo homine confictos fuisse codicillos alieno nomine, intolerabili Lectoribus illudendi licentiâ. Et quidem iam mihi, cùm primùm ineptias illas inficetissimas plaudentium legissem, fraus aliqua ex similitudine styli suboluerat; sed ne temerè quid affirmarem, suspendere malebam assensum, quàm minùs exploratum aliquid in medium afferre. Sumpsi igitur mihi spatium aliquod temporis, vt per idoneum amicum, virum nobilem, ac magnis amicitiis florentem cum laudatorum tuorum nobilissimis de iniuriâ expostularem; atque hoc maximè pacto exploratâ totius rei veritate, fidenter nunc clamo, nobilissimis viris fucum factum, & clarissima nomina contumeliosis illis libellis non sine malo dolo fuisse subscripta; cùm enim aliquot illorum, ne Latinè quidem satis sciant, rogati tamen siue à te, siue ab aliquo, qui adornandi triumphi tui sibi prouinciam depoposcerat, vt libellum perelegantem, in quo de Ordinis tui, cui addictissimi sunt, præstantiâ dissereretur, suis auctum vellent nominibus, paterentúrque illi à suis honestatibus splendorem dari; quâ sunt humanitate, nihil de contumeliis, ac maledictis suspicantes, vel vltrò subscripserunt, nihil legentes; vel folia pura dederunt. Quâ nobilium virorum humanitate, nisi alienam in contumeliam quicumque hoc fecit (te enim, & probatæ virtutis, quos plurimos esse video, Ordinis tui viros exceptos hîc volo) abusus esset, possent illi excusari; nunc nimia credendi facilitas iniuriarum iure postulatur. Quis enim est mos hic non modo à gentis, ac nobilitatis genio alienissimus, sed planè barbarus, & inhumanus, maledictis eos proscindere, à quibus ne verbo quidem vnquam læsus fueris? In illâ ipsâ gladiatoriâ monomachiæ licentiâ, qui hyperaspistæ accedunt, omni absti-

nent

nent contumeliâ, & vbi vulnera inferri fas esse credunt, maledicta spargi indecorum ducunt: cur igitur hoc illi fecerint in hoc Pacifico Certamine? Muliebre, ac seruile hoc pugnæ genus, quibus hic quæstus in linguâ est, vt contumeliis obruant, quos ne digito quidem audent attingere. Quid aliud, si iniuriarum iudicium intentem, responsuri sunt nobiles viri, alieno scelere maledicentissimæ scurrilitatis rei, nisi nimium se facilè credidisse non ampliùs facturos? Et sanè qui suo Marte adprobationes eas composuerunt, satis plerique omnes modestè scripserunt, vt pestilitas illa omnis conuiciorum, atque scurrilitatum ab vno alterôve calamo deriuata videatur.

Sed quamuis hæc grauissima sit accusatio, leuis tamen est; si cum eâ, quæ iam sequitur, conferatur. Nihil hîc mihi tecum est, Castalde, quem ex animi mei sententiâ, ignarum huius fraudis, & fallaciæ, quam nunc prodam, esse pronuncio; sed iustissimè conqueror, tantùm audaciæ homini alicui fuisse, vt facinus faceret longè turpissimum. Eum, quicumque ille demum fuit; magnâ voce ad ipsius veritatis tribunal conuenio, & fidenter illi dico, *Ambula in ius.* Interrogo enim illum lege Corneliâ, quâ profectò tenetur, nam codicillos alienos per scelus, vt legislator loquitur in C.*ad leg.Corneliam*, l.*si falsos*, §.*qui autem*. Supposuit laudanti testi, qui eos nunquam scripsit, neque illis nomen suum commodauit, atque id facere ne somniauit quidem. Grauis hæc accusatio est, sed vera: age enim responde, Castalde: nónne tuo in libro laudator vndeuigesimus est Ludouicus Ximenius Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de mercede Redemptionis captiuorũ Theologiæ magisterio nobilis? Est. Nónne strenuè cum aliis ineptit, téque laudibus in Cœlum tollit? Primum, inquis, omnino per nego, & tu viro clarissimo maledicis: secundum, eius beneuolentiæ, atque egregiæ in me fuit humanitatis. De illius iniuriâ ne cures, Castalde; fatere modò te ab illo laudatum,

X. *& audacissima sycophantia, nescio cuius,*

XI. *cõfictus Ludouici Ximenij nomine codicillis.*

tum,

tum,probatúmque illi fuisse libellum tuum: fateor,& viro,inquis,clarissimo gratias ago habeóque.Lubétne, quæ ille tuam in laudem, & Nigroni contumeliam dixit,hîc audire? Audiantur.

Mag Fr.Ludouicus Ximenes,Ord.Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemption.Captiuorum.

Frustra in stadium Pugnator secundò accessit,qui in primâ acie superatus abscessit. Quem viuum supplex vna responsio deiecit, & vicit:mortuúsne stabit? aut millies confossus triumphos sperabit?

Extimuit viuus confracto gladio iterum inire certamen, atque debellata vibrare denuo arma. Siluit,& sub silentio latitare maluit, quàm rursus reiectum ab arenâ discedere. Sustulerunt mortuum, sperantes, quod vel sic timorem incuteret: sed qui viuum non timuit, mortuum non expauit. Principio contempsit, indignans mortuo respondere, postea vt pareret, quæ mira legis parauit. Arcum continuit, qui productior maiori virtute percussit. Viuat itaque felix, & columis, suæ Religionis custos, & columen. In puluere ille dormiat, & quæsitus non subsistat.

Papæ! quàm basilicè! iam Trossulus triumphares; nisi hæc omnia Ximenio ab aliquo Simiâ sycophantâ essent afficta, nihil enim vir grauissimus his ineptiis scripsit, nihil dixit, cogitauit nihil. Audi, Castalde, quid ille pridie Kal.Nouemb.anni M.DC.XL.scriptis codicillis suo Chirographo testatus sit, quos ego codicillos ritè obligatos habeo in meâ potestate. Reddam Latinè fide meliore,quàm stylo.

Dico ego Mag Fr. Ludouicus Ord.D.N.de Mercede Redemptionis Captiuorum,quatenus,ostenso mihi,& à me viso nomine meo in libro,cui titulus est:Certamen Pacificum Io.Baptistæ Castaldi, edito à PP.Theatinis, miror aliquem ausum esse illud ibi apponere,quia ego conscius huius appositionis non sum, & impostura est, quæ mihi fit; In cuius rei testimonium hoc Chirographum meâ manu firmaui. In hoc Conuentu Sanctæ Vrsulæ Neapoli,hodie 29.Octobris.1640.

Ego Magist.Fr.Ludouicus Ximenes,&c. affirmo vt suprà.

Ego

Ego Fr. Io. Bapt. Grottus Secr. & Definitor huius Prouinciæ Italiæ, & Siciliæ, fidem facio supradictam subscriptionem esse Patris Magistri Ximenes suâ propriâ manu factam, agnosco enim eam, & me præsente subscripsit. Atque ita ego meâ item manu firmo, & sigillo Ordinis munio eâdem die, & anno, vt suprà.

Mag. Fr. Ioan. Bapt. Grottus, Secr. & Definitor.
Mag. Fr. Michaël de Ceruallo Prouincialis.

Locus † sigilli.

Quid ego hîc tibi faciam, Castalde, cui aliena sycophantia præstanda est? aliena, inquam, neque enim mihi persuadere possum, te conscio, tantum scelus susceptum fuisse, quod iterum dixisse non piget. Certè mihi omnium testium tuorum suspecta iam nunc fides, nec illis credere iure ampliùs cogi possum: & dissimulâssem ista quidem, nisi hoc esset in caussâ præuaricari; sed pergamus, & de tuis maledictis videamus.

XII. *Castaldi maledicta in Nigronum.*

Quæro igitur, Castalde, an maledicta in nos, & in Nigronum, nullâ mortui, nullâ Religiosæ familiæ reuerentiâ dixeris? Quid ais? Fateris ingenuè? Do libens veniam, nec pœnas reposco. Negas? non ideo muto, sed dic tamen, quo loco hæc, quæ iam recensebo, habenda tibi videantur? Separemus, quæ in Nigronum, & quæ in Ordinem totum dicis. Ordiamur à Nigrono. Eum enim *Gloriosum gigantem gladio suo perimere* [a] te velle profiteris: Et *versutum* [b] non semel appellas, quod sine conuicio non dicitur: Ais *Insidiosum fictionibus adinuentionibúsque te infestare* [c]; *Non verum, sed veri fucum rimari* [d]: Et *fundamenta vitæ spiritualis euertere* [e]; hominem, qui de illo viuendi genere tantâ cum laude scripsit eruditissimos libellos: Minaris, te *os illi obstructurum* [f]. Accusas, vt vanum & superbum, monésque, *ne velit ambulare in magnis, & mirabilibus super se* [g]. Reprehendis vt hominem *iræ impotentem*, & *oppugnandi libidine victum* [h], & *carnali sapientiâ imbutum* [i]. Argumenta, quæ ille spicas dixerat, nullâ cuiusquam

Animad. XXII. [a] p. 170. [b] p. 173. [c] p. 180. [d] Anim. III p. 29. 30. [e] Anim. I. p. 15. [f] Anim. IV. p. 38. [g] Anim. XIII. p. 112. [h] Anim. XXIII. p. 198. [i] Ibid. I. p. 191.

iniuriâ *tu spinas, ex quibus non vuas, sed tribulos colligas*[k]. Vocas eius Dissertationem *Famosum libellum*[l], *Abortiuum, cui prudentum iudicio meliùs fuisset, si absconditus non subsisteret, sicut qui concepti non viderunt lumen*[m]. Et tanquam Sacchini modestissima tuæ ad Marcum Thienæum Epistolæ confutatio, *Mastix satyrica*[n] fuisset, ab illo te dotes impetitum. Nigronum, vt fallacem totis quatuor Animaduersionibus[o] laceras, atque vt Tautologiæ vitio laborantem traducis. Vt pædagogo, & cum Grammaticis educato[p] illudis: ais, *Et Nigrono, & Typographo præstitisset in tenebris conticuisse magis, quàm aspexisse lucem, quod quidem vtrique honorabile, nunc certè probrosum, & tu quamuis deceptus, certè Lectorem non decepisses*[q]. Tum *Parco tibi, quia ignorans fecisti.* Quid grauius diceres, si Caluini Institutionem edidisset? Iam verò de toto Ordine, quàm veneranter loqueris, qui nos *Venerabiles tibi Patres appellas?*

k Anim. VI. p. 51.
l Anim. XXVII. p. 236.
m Anim. p. 8.
n In præfat. p. 5.
o Anim. XXII & deinceps
p Anim. XIII. p. 117.
q Anim. XXI. p. 169.
r Præfat. p. 5.

XIII. *Et Societatem vniuersam.*

An non dicis, Nos *pepigisse fœdus cum morte*[s]? Nos *Societatis fœdera & pacis terminos*[t] *transiliire? Iunxisse pēnas alterius ad alterum, & pennarum in te struxisse phalanges*[u]? scilicet: Tantæ molis erat Castaldi vertere dicta. Accusas nos, vt intolerandæ superbiæ reos, & quidem per calumniam, dum post contumeliosissimam disputationem, quasi morum aliquis magister grandi admones supercilio: *Non ergo Perfectionis fastigium præ cæteris sibi adscribant, qui infra cæteros tot perfectioris obseruantiæ monilibus non ornantur*[x]. Per acerbissimam calumniam ista dicuntur, quis enim nostrum præ cæteris fastigium illud sibi adscripsit? In eo consistere Societatis nostræ Institutum opinamur, & verissimè quidem: at nullos eò euasisse præter nos, quemquam nostrum dixisse, contumelia est, & maledictum.

s In fine p. 236.
t Præfat. p. 5.
u p. 7.
x Anim. XIII p. 124.

XIV, *Nigronus solus Dissertationis Historiæ auctor.*

Traducimur, tanquā supposititiū libellū Nigroni nomine vulgauerimus[y]; quod sanè à te, Castalde, dici omnino par non fuit; nisi fortè memoria excidit, te anno XXIII. ad Nigronum tum Domus nostræ, ad D. Fidelis, Præpositum Mediolani sub meridiem adiisse, &

y Præfat. p. 7.

se,& ab eo contendisse,ne quam parauerat, Dissertationem Historicam euulgaret. Sed oblitus id fueris. Ego,qui morienti Nigrono affui,sanctè affirmo,libellum hunc reliquos inter ineditos supremâ expolitum manu ab eo nobis relictum, qui deinde vnà cum aliis eruditissimis opusculis lucem vidit, nullis vnquam tenebris obruendus.Quod si mihi affirmanti fidem adiungendam negas, testem appello virum omni exceptione maiorem,nec tibi,vt arbitror, ignotum, Carolum Sangrium Societatis nostræ Præposito Generali pro Italicis prouinciis Assistentem. Recitetur eius Chirographum.

Ego Carolus Sangrius Assistens Italiæ Societatis IESV, *fidem facio, iureiurando etiam, quatenus opus est,interposito, mihi, cùm Prouinciæ Mediolanensi praeessem, à P.Iulio Nigrono Domus Professæ D.Fideli Mediolani nuncupatæ Præposito sæpius narratum, ab se lucubratiunculam quandam Apologeticam elucubrari aduersùs P.Ioannis Baptistæ Castaldi Clerici Regularis, vulgò Theatini editam Epistolam,in quâ is iure, ac verè à se scriptis vulgatum tuebatur,S.Ignatium Societatis* IESV *Fundatorem olim à B.Caietano vt se in eandem familiam Theatinorum cooptaret,petiisse;quod tamen ipse in Commentariis Asceticis nullo solido niti fundamento docuerat:cùm autem paucis post mensibus idem P. Nigronus morbo correptus,ex quo etiam decessit,à Deo se euocari sentiret, eandem lucubratiunculam, quam Dissertationem Historicam inscripsit,iam absolutam penitùs atque perfectam è cæteris suis scriptis excerpsisse, mihique in manus,vt in lucem, si videretur, factâ à R P. Generali potestate,edi posset, tradidisse. At ego libellum apud me annis compluribus,quòd Ignatianæ petitionis fabellam silentio ipso interituram sperarem, de industria clam habui. Vbi verò illam denuò animatam, atque in suggestum elatam frequentique concioni propinatam resciui, tum enimuerò taciturnitati modum ponendum existimaui, acceptâque à R.P.Generali facultate,Dissertationem Neapolim, vt ibi imprimeretur misi, eâque in vrbe illa ceu legitima P.Nigroni proles, quemadmodum etiam, vel ipsa doctrina,eruditio, &*

modestia reliquis eiusdem Patris operibus gemina satis testantur, foras emissa est. In quorum fidem his propria manu subscripsi, ac muneris mei sigillum apposui. Romæ 11. *Maij, anno* 1641.

Locus † sigilli

Carolus Sangrius.

Nos in vltimum Ecclesiæ locum coniicis, quâ de re, quantum nostra interest, publicè tibi Societatis nomine gratias tibi agendas mihi puto; quocumque demum id animo à te scriptum sit; Nam de veritate, quoniam ea res publicæ aliquantulum interest vtilitatis, in loco videbimus. Hæc omnia, & alia adhuc longè grauissima, quæ clanculùm iaciuntur, libentissimè ferrem.

XV. *Qui cũ Castaldo iure potest expostulare, quòd hostis Clericorum Regulariũ ab eo falsissimè fingatur.*

Vnum est, in quo irasci, ac dolenter tecum agere, Castalde, te, Ordinémque tuum totum vehementer obsecro, vt per vos mihi fas sit. Id enim cùm de Nigrono, tùm de Societate vniuersa, quæ librum dignum luce publicâ censuit, à te dicitur, cuius si ille, si Ordo vniuersus, si quisquam omnino nostrum affinis est, immanissimi flagitij pœnam deprecor nullam; si verò per iniuriam affingitur, tuos ipsos sodales viros probitate ac sapientiâ nobiles, quibus hæc minimè probari scio, hîc appello, vt inter nos iudicent, quis nostrum iustiùs conqueratur. Ais, Nigronum *Religioni vestræ perdendæ quantus quantus est, incumbere.* Hoccine cogitasti Nigrone? Liceat nunc te mihi excitare, vt vel pro te in tam atroci criminatione respondeas. Ille sanè, si hac mortali adhuc aurâ vesceretur, dolentissimè sic tecum, Castalde, expostularet. Egóne tantum scelus concepi, vt Clericorũ Regularium familiã perditam vellẽ, quam amplissimis laudibus exornaui? Ego illam familiam, cum quâ, antequam tu, Castalde, pomum discordiæ iaceres, summa fuit animorum coniunctio? Sed quid mihi agendum fuit veritatem tuenti? Dixeras enim, opinor, Ignatium ad vestrum Ordinem allici potuisse paupertate vestrâ eximiâ, quippe stipem non mendicante. Respondi, Ignatio olim visam, & mihi

In Præf. Pacifici Certaminis, p. 6.

nunc

nunc vidèri longè sublimiorem, quæ se vsque ad mendicitatem abiicit.

XVI. *Nihil enim hostile dixit.*

Quæ hîc est Ordinis iniuria? si continuò vos sublimiorem, quàm Francisci alumnos, aut Societatis Professos paupertatem colere non dixi, iniuriam feci? Dixeras allici potuisse fructu plurimo animarum. Respondi vos, per illa vestra initia, non eam operam, quam nunc nauatis perutilem, illi animarum quæstui dedisse. Cæterùm vbinam à me dictum merè contemplatiuam vestram familiam fuisse? Si continuò Apostolos non appellaui, si aliquid ampliùs Ignatium cogitasse dixi, vos ego perdere volui? Vide, ne superbum sit, neminem sibi velle præhaberi: Dixeras nouum fulgorem ex coniunctione *Clericatus*, & *Monachatus* Ignatij in oculos incurrisse: Negaui nouum fuisse fulgorem istum, de quo Sanctissimus vir Bonauentura gloriatur; quique in Canonicorum Regularium familiâ nunquam omninò occidit: Dixi Ignalium socios habuisse, quos primis tui Ordinis Fundatoribus in disciplinarum cognitione præferret, quod verè dixi; Omnes enim illi magistri in artibus, & in Thelogicis diù multúmque versati. In quo ergo vos læsi, Castalde? Quia nimirum Ignatij dictum vulgaui? Sed nisi perperam interpretaris, ille vaticinatus est; nam tantâ vos olim celebritate concionum, cæterorúmque ministeriorum non agitâsse, præterquàm quòd litterarum monumenta loquuntur, si qui vicini temporum illorum adhuc tecum peregrinantur, senes optimi, ac probatissimi, profectò non diffitentur.

XVII *Nec omnino grauiori verbo vsus est.*

Hæc si dolenter tecum Nigronus agat Castalde, tu quid respondebis? Scisne, qui dimittit aquam, caput esse iurgiorum? Si te Nigronus, si Ordinem tuum, si quemquam verbo læsit, si dictum liberiùs dixit, si ludibrio habuit; si ludos fecit, si sannis illusit, si bellum ex pace collegit, nihil deprecor, quin calumniarum atque iniuriarum à te postulatum, quod tu amarissimè

 facis,

facis, omnium gentium, atque ætatum iudicio damnes. Verùm si coactus in caussam ingressus est, si argumentis validissimis, summâ vsus est modestiâ, danda homini venia ea dicenti, quæ minùs tibi placuerunt; quî enim aliud fieri potest, cùm de veritate cernitur? cùm facti quæstio est? cùm Institutorum, hominúmque necessaria causæ instituitur comparatio.

XVIII. *sed necessariâ vsus defensione.* Quæritur; exempli caussâ, An à vestra paupertate allici potuerit Ignatius? Tu probabile ais; Nigronus fieri potuisse negat. Hucusque, nisi tyrannide Pythagoricâ nos premis, nulla tibi facta iniuria est. Probas eâ ratione, quòd ea summa sit in Ecclesia Dei: Negat Nigronus, & Frãcisci mendicitatem reiectæ tantummodo in Deum spei, hoc paupertatis nomine, anteferendam putat. Si hoc est iniuriam facere, Castalde, iam, opinor, mihi arenâ excedendum est; paucissima enim ex dictis tuis probaturus sum, nam in plerisque omnibus veritatem desiderari puto.

XIX. *quod & mihi faciendũ.* Cæterùm, dic ingenuè, Castalde, atque ex animi tui sententia, si Societatem, vel ab amplitudine ministeriorum, vel ab Apostolicis missionibus, vel à gloriosis mortibus eorum, qui tam magno numero in fidei caussa ab eiusdem hostibus atrocissimis trucidati obierunt, vel à gentibus, populisque ad Christi nomen allectis; vel à continuis cum hæretica colluuie bellis, vel ab infinitis in omni disciplinarum genere, cum immortali eruditionis fama editis monumentis; vel à capitum numero, quæ suprà XVII. millia, XXXVI. amplius Prouinciis continentur: vel à Gymnasiorum, atque Academiarum splendore tantillùm præhabuisset, dic quæso te, an non verè gloriatus esset in Domino? an ad perdendum Ordinem tuum clarissimum incubuisset? Annon stella differt à stella? Et Benjamin (nam nos fratrum vestrorum minorum loco habes, cuius rei caussa gratias ago; toto enim in certamine vt hostes habuisti) plures partes obuenerunt. Nulla igitur caussa tantarum querelarum, nulla maledictorum

In fine, p. 1376.

rum

rum fuit. Quæ cum ita sint,

XX. *Titulus libri Castaldini fallax.*

Quæro abs te, quî tuo huic libello, quod à maledictis inchoasti, Certaminis Pacifici nomen imposueris? Hæc enimuerò, vt cum Iurisconsultis loquar, est *protestatio contraria facto.* Pax maledictis non seritur, nec falsis alitur accusationibus; Dicere quis possit admirans, qui nouus hic mos, *Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?* Mihi nec tecum, nec cum vllo Catholicorum bellum est; nam ab adolescentia in hac Ignatij Schola in Ecclesiæ hostes bellum gerere, ab ipso erudimur tyrocinio, neque ad hunc vsque diem operæ nostræ Rempublicam pœnitet: Catholicas inter legiones (sic Religiosorum familias appello) aliquam oriri æmulationem non inutile creditur esse Reipublicæ, vt ipsâ æmulatione acriùs in hostes proruant, atque in eos iustas iras effundant: verùm si vsque ad arma, & bellum erumpant; iam scelus est, & publicum flagitium. Edico igitur fore, vt quamuis iræ caussas haud procul habeam, illam nihilominus teneam, ac de rerum, argumentorúmque veritate ita quæram, vt non vulnerem charitatem. Sequar Nigroni sapientissimi, atque amicissimi viri candida vestigia, in quibus, qui se spinas inuenire arbitrantur; videant, ne delicatiores sint, quàm vt sibi contradici, ac se refelli ferre possint. Ego te, Castalde, nunquam vidi, sed amo nihilominùs religiosos mores, laudóque diligentiam, quâ clarorum virorum gesta prosequutus, facem posteris præluxisti; quo tamen in opere tibi errorem aliquem obrepsisse si demonstretur, cur tantoperè indignaris, qui Ribadeneiram, & Orlandinum mendaciorum reos supremo conatu agis?

In Epist. §. 16. & 31. in Certamine Animaduer. 10. & alibi.

XXI. *Nulla cum Ordine toto suscipitur contentio.*

An tibi fas sit, ab Orlandino tradita, si cum tuis pugnant, liberrimâ oratione vanitatis accusare; mihi eodem iure tecum experiundi fas non erit? Ordinem ego tuum, vt magnum Ecclesiæ ornamentum, & nobilitate, virtutéque excultissimum amo, ac diligo: Habeo in illo viros amicissimos, & sanguinis cognatione coniun

coniunctos adolescentes bonæ spei, quod perhonorificum mihi duco. Si bonis vestris frui vobis animus est, me inter admirantes, laudantes, plaudentésque habebitis, licet de plebe vnum, vt anno seculi XXIV. habuistis, cùm de Andreæ Auellini laudibus Augustæ Taurinorum coram Carolo Emmanuele Duce frequentissimam dicerem ad concionem: Omnes ingenij, eloquentiæ doctrinæque opes, quantulæcumque demum illæ sint, vestræ gloriæ, tuendæ, atque amplificandæ libentissimè profundam, sanguinem etiam si res ferat, libenter daturus, quod ex animi mei sententiâ dico.

XXII. *sed cū Castaldo, & qui idem sentiunt,* Verùm siue Castaldus, siue quis alius Patrem meum lædit, Matrem meam oppugnat, patimini, rogo vos, Patres, per vestram fidem, me repellere ac dedocere, quod à vestrâ modestiâ, atque humanitate, quam plurimam profitemini, impetraturum me nullus dubito. Separent tuam, Castalde, à communi causâ; tecum enim acriùs, sed intra modestiæ fines, agere mihi consilium est; Irascor enim tibi iure, qui quietas res primus turbasti, vulgatâ domesticâ fabulâ, nullo demum operæ pretio; nisi aliquod fieri credis, vt dictum dicas, amicum perdere. Sed non ita erit; Scio inter amicos offensiones enasci, quæ tamen amicitiam non dissoluant, & quam Christus sanguine suo coagmentauit, nulla iniuriarum tuarum perdet acerbitas.

XXIII. *vt tamen charitas sarta tecta seruetur.* Eam qui amant, officium à nobis nullum desiderabunt; qui bella serunt, vt crescant, alios sibi hostes quærant, in quos incurrant: nobis milite limitaneo, & armata pace satis erit fines tueri. Nam si hanc serram adhuc reciprocare volueris, quoniam nouum aliquod argumentum caussæque firmamentum afferre te non posse sat scio, iam nunc profiteor me, quamcumque demum conuitiorum procellam effuderis, vt ipso neglectu consenescant, insuper habiturum.

INTERRO



INTERROGATIO SECVNDA,

DE INSCIENTIA CASTALDI rerum nostrarum.

CASTALDVM in Societatis IESV Instituto planè peregrinari, ac proinde falsò multa scribere.



ON ego tibi Castalde rerum nostrarum inscientiam obiicerem, nisi de illis disputares; neque enim tanti nos facio, vt magnâ in viri eruditi laude reponendum putem, si quis Rēpublicam nostram, leges, ac mores calleat; superbum hoc esset, atque hominis longè vanissimi. Verùm qui eos arguere, qui carpere, ac vellicare, atque, vt mitissimo verbo vtar, disputare de illis voluerit, hūc animo illa priùs cognita, atque explorata habere debuisse nō dubito. Fac enim nos formicinū genus esse, quos omnes supploso proteras pede; fuerat nihilominùs hominis prudētis de formicis disputaturi, illarū primò cubilia & Rempublicam nôsse; quod à te neglectum iure quidem ac merito tibi obiicio, ac nisi senectuti tuæ parcerem, huiusmodi inscientiam, quæ I. *Cur insciētia accersatur Castaldus.*

calumnias è ſinu effudit, grauiùs caſtigarem. Patieris tamen me tuos hîc errores non diſſimulare. *Vt*, tuis vtar in Nigronum verbis, *ab ipſo dicendi exordio compertum ſit omnibus, cuius auctoritatis, cuiuſve fidei ſit libellus tuus*, quem à te ſolo ſcriptum gloriari, neceſſe non erat, ipsâ enim ſcripturâ ſe prodit. Anim. I. pag. 8.

II. *Primus Caſtaldi error de ſecularibus curis,* Quæro igitur ex te, Io. Baptiſta Caſtalde, Quâ demum fide ſcripſeris Animad. xv. nobiſcum agens: *Vos ad ſecularia negotia diſtracti, laudabili veſtro Inſtituto id à vobis poſcente, ſupergredimini vniuerſos.* Quàm multiplex hîc calumnia! Sed vt eius atrocitas, & ſcribentis animus, vel certè indiligentia palàm fiat, addam, quæ ex Hieronymo proximè antè in mediũ attuleras: *Cleros Græcè, Latinè ſors interpretatur; propterea clerici dicuntur, quia de ſorte Domini ſunt.* Tum ea ſubdis, de quibus te interrogo. Quid enim? aut ea incredibili negligentiâ ſcripſiſſe te dicere neceſſe eſt; aut ſi eam, quam ibi inſtituiſti, Clericorum, ac noſtrum comparationem vrges, probaturus, quod agebas, nos perfectos abſolutóſque Clericos non eſſe; aduerſantem ſententiam illam eſſe oportet. Itaque ais, nos de ſorte Domini non eſſe, quod atrocius eſt, quàm in eos dici debuerit, quorum Ordinem Preſbyterorum eſſe, atque ad Eccleſiam Dei tuendam, & amplificandam Pontifices teſtantur. Quid autem interfuit, dum reprehendis amariſſimâ ironiâ, nullâ Tridentini Concilij reuerentiâ, cuius ea ſunt verba commendationis ampliſſimæ, *Laudabile Inſtitutum*, dicere? Et quodnam laude dignum Inſtitutum eſſe poteſt, quod alumnos ſuos à Deo auertit ad ſecularia diſtrahit? Tum illud, *ſupergredimini vniuerſos*, cuius demum notæ eſt? Vniuerſos? Quos? Etiamne mercatores, inſtitores, cauſſidicos, tabelliones, ſcribas? Sed non hîc te iniuriarum reum perago, ſed inſcientiæ. Nóſne, Caſtalde, rebus ſecularibus à Dei ſorte diſtracti, ſupergredimur vniuerſos? idque laudabili noſtro Inſtituto poſtulante? Omnino, inquis; ſcripſi enim. At ego te falſi conuinco.

p. 142.

III. *graui cum contumeliâ Societatis,*

Ad Nepot.

Audi

Audi Constitutionum ab Ignatio conditarum, quibus Institutum omne continetur, & forma Reipublicæ, Partis 4. cap.3. paragraphum 7. quem profectò legisse debueras; vt de rebus nostris scriberes sine vituperatione: *Vt plenius possit Societas rebus spiritualibus, iuxta suum Institutum, vacare, quoad eius fieri poterit, à negotiis secularibus abstineat, qualia sunt testamentariorum, vel executorum, vel procuratorum rerum ciuilium, nec ea vllis precibus adductis obeunda suscipiant, vel in illis se occupari sinant.* Hoc legum caput in Summarium Constitutionum, quas nos omnes scire oportet, relatum est num.45. & in Regulas communes num. 41. Quid hîc expectas Castalde? an vt grauiùs querar? satis ipsa legis verba te falsi reum coarguunt. Nam si quid fortè aliquando peccatur ab aliquo, id verò, *laudabili Instituto poscente*, non fit. Et amicè te monitum velim, ne Religiosas familias ex paucissimorum hominum moribus æstimare velis; puto enim vbique in hac tantâ hominum imbecillitate esse, quod melioribus doleat, nec ideo dici posse leges exaruisse; quòd à parùm cautis (grauiùs enim de viris Religiosis interpretari nolo) aliquando violentur. Pergamus. IV. *reuincitur ex Constitutionibus.*

Anim. XIII. p. 115. Quæro, quâ fide differens de iure nostræ paupertatis, dicere ausus sis, non posse cogi Religiosos nostros non professos ad suorum bonorum abdicationem, cui non modò votæ paupertatis, sed obedientiæ, vt loqueris, exilitas tibi Logico eximio consequens est, de quo in loco videro. Aio, te falsissimum scribere. Recitentur verba Examinis generalis, quod statim nostris tyronibus traditur, primum veluti Instituti, quod suscipiunt, rudimentum. V. *Secundus Castaldi error de Paupertate pluribus item confutatur.*

Cap.4. n.11. *Quòd si statim, propter honestas caussas, bona non relinquat, promittat* (ingrediés) *promptè relicturum omnia, vt dictum est; post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocumque per superiorem iniunctum ei fuerit in tempore probationis.* Audin' Castalde? Interrogo te, an cogi possint, qui promittunt ad iniungentis nutum, se omnia dimissuros? Legerásne, Castalde, cùm

illa tua ſcriberes, Conſtitutionum verba quibus ſancitur poſſe retineri dominium, *Ad certum vſque tempus, quod ſuperiori intra probationis tempus videbitur?* Viderâſne Conſtitutionum earumdem 3. Partis caput 1. §. 7. & 6. Partis Caput 2. Littera N? Quæro, inquã, an hæc loca videris? Vidiſti? Quomodo igitur contra cognitam tibi veritatem tam apertè doces? Non vidiſti? quæ tua eſt prudentia de legibus, in quibus peregrinaris, adeò confidenter diſputare? Adde abdicationem hanc rerum omnium Superioris arbitrio faciendam ita voto paupertatis contineri, atque illigari, vt *Quotieſcumque*, loquor Magni Suarij verbis, *ſuperior præſcripſerit, ac deſignauerit tempus ad relinquendum dominium, & poſſeſſionem omnium bonorum, ſtatim obligetur ſcholaris Societatis ad abdicanda omnia non ſolum ex vi Conſtitutionum (quæ per ſe non obligant ad culpam) ſed ex vi voti; quod per ſe obligat ſub mortali*, non quidem obedientiæ, ſed paupertatis: vt eo loci locupletiſſimus auctor eſt idem Suarius, cui accedunt Sanctius & Molina, quorum aliquem vnum te non vidiſſe, mirandum eſt.

Part. 4. cap. 4. lit. E.

Tom 4. de Religione, lib. 4. de Societ. c. 4. n. 3.

Lib 7. O. M. c. 3. n. 6.

Tom 1. de Iuſt. diſp. 139.

VI. *Tertius Caſtaldi error de Opibus Collegiorum ad Domos Profeſſas deriuatis.*

Quæro tertiùm ex te, quâ fide ſcripſeris Animad. tuâ 10. & quia dolum malum ſuſpicari nolo, quâ demum incogitantiâ chartis illeueris: *Quoniam collegia copioſè reditibus cumulata ſunt, horum copiâ ſubleuari* (Profeſſos in domibus Profeſſis agentes, de quibus ibi agis) *Apoſtolicis præceptis ſatis congruũ videri: ſicut boni diſpẽſatores multiformis gratiæ Dei, fraternitati compatientes: ſic enim docet Ioannes: Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Quæro vt hũc tibi errorem detraham, putéſne ita fieri & clancularijs ſubſidiis Domos profeſſas à Collegiis iuuari, aut ſaltem poſſe? Si primum illud aſſeris, doleo virum prudentem vulgi ſermonibus fidem habuiſſe, & quæ nobis obiiceret, de triuio accepiſſe: Tum teſtem inuoco Deum, qui nos iudicaturus eſt, hoc nuſquam fieri, ſed

P. 89.

legibus,

legibus, quæ id prohibent, suum adhuc honorem, suam integerrimam constare reuerentiam. Eodemque Deo teste, affirmo, aut nulla, aut quàm paucissima esse Collegia, quæ ita bonis abundent, vt facere possint, quamuis maximè velint.

VII. Quid igitur? Censes fieri debere? At, ô bone, scias id legibus nobis interdici. Lege Examinis Generalis cap. 1. n. 4. *Nec domus Professorum, nec aliquis eorum, aut etiam Coadiutorum eisdem* (Collegiorum bonis) *vti poterit.* Lege Caput 2. Partis 4. & caput 2. Partis 6. Constitutionum; lege Regularum Præpositi Caput 6. Quamquam quid ego ad ista te ablego, Castalde? Videre hæc poteras apud Thomam Sanctium, & Magnum Suarium. Reliquum est, vt videas reiiciendam tuam illam opinationem, cuius contrarium Pontificiâ auctoritate sancitum est, & habetur in diplomatibus amplissimis, Apostolicâ Ioannis sententiâ nequaquam fulciri: Quis verò oraculi sensus, quæ mens illorum verborum sit, nemo est eruditiorum, qui nesciat, neque ego hîc opus habeo inculcare.

Euertitur.

Operis M. lib. 7. c. 27. n. 12. Tom. 4. de Relig. lib. 4. c. 11. n. 9.

Quæro 4. vnde nã hauseris errorẽ, in quem sæpius præcipitas *Paucissimos* admodum esse in Societate, qui *Dominij sint incapaces*; quod tuum dictum quàm falsum sit, nôrunt omnes, qui nos nôrunt. Quotquot enim sunt professi, siue ij quatuor, siue tribus editis votis publicum dixerint sacramentum: quotquot sunt coadiutores formati, siue hi domesticis operibus sint addicti, siue in procurandâ hominum salute operam suam Societati nauent; hos omnes dominij ac successionis cuiuscumque omnino incapaces esse scire te oportebat, antequam illa scriberes; tum sociorum omnium censum habere; vidisses non adeò paucos esse, vt tu velles, sed omnes omnino, qui societati sese probârunt. Narro tibi Castalde. In hac nostra Mediolanensi Prouincia Ignatij sectatores numeramur septuageni circiter supra trecentos; nam Tyrones de quibus nulla mihi tecum est discordia, ego nõ

Animad. XII. p. 120.

Et quartus de paucitate incapacium dominij.

censeo ex his CCCLXX. qui Societati longissimis experimentis probati, ab eâque varios in ordines more nostro distributi, bonis omnibus externis planè vacui, atque nudi Christo seruiunt, quosque ne tuo quidem iudicio *locupletes constituit* Ignatius, CXCI. habes, duas nimirum propemodum tertias. Age, mi Castalde, quis te Boëtius hanc admirabilem numerorum rationem docuit, vt duas propemodum tertias Paucissimos dicas? Sed tu fortè Arithmeticam illam subtiliorem sus deque habes, & iura curas tantùmodo, nam in C. Inquisitionis ex Glossa didicisti XLIV. paucos dici, quorum comparatione, nos omnes minùs aliquanto esse quàm paucissimos iure conficies. Sed memineris, ô bone, illa XLIV. ex DC. demi. Cæterùm, vt multùm iura diurnâ, nocturnâque manu versare solitus sis, duas prope tertias paucorum nomine appellatas non inuenies. Non vrgeo te eorum sententiâ, qui Ouidium sequuti, duobus, tribusve vim vocis definiunt, sic enim ille loquitur:

Si paucos aliquis tresque duosque vocat. De Tribus.

Neque Bartolum oraculum illud I. P. tibi obiicio; qui vltra VIII. non extendi docuit l. scire oportet, ff. De excusatione tutorum. Neque te ad Quartã reiicio, quæ paucitatis regula est, C. Quando & quibus &c. l. 2. lib. 10. Per me enim fas tibi est, Tertiam paucos appellare C. De Decurionibus l. Nominationum, lib. 10. sed partem vltra dimidiam Paucissimos appellas, iure, quod ego nouerim, planè nullo, ac proinde non sine aliqua veritatis iniuria. Adeò scribendi æstu abripiebaris Castalde, vt syrtes ad quas offendis non caueres, adeóne extremi hominum sumus Ignatij sectatores, vt hæc discere non posses? Quis te de Antipodibus ipsis tam oscitanter scribentem ferat? Quis historico, etiam de rebus aut locorum intercapedine, vel temporum longinquitate maximè disiunctis tam immaniter hallucinanti nigrum theta non præfigat?

Quæro

Quæro quintò, quâ fide, aut diligentiâ ſcripſeris Animad.XIII. Ignatium *ſuos ſectatores omnes locupletes, pauciſſimis exceptis poſſidendi incapacibus conſtituiſſe*? Planiſſimè. quid enim? ſed non *more Romano loquendo, benè nummatos, ſed quomodo Stoici dicunt, omnes eſſe diuites, qui cælo, & terrâ frui poſſunt.* Locupletes planè, atque, vt loquitur Petrus, *Diuites in fide.* At aliorſum tendis. Sed falleris turpiſſimâ inſcientiâ rerum noſtrarum. Lege Examinis, quod tyronibus ſtatim traditur Caput 1. num. 3. ſatis ibi ſanctiſſimi Legiſlatoris mentem, animum, ac decreta veneraberis. Recitentur. *Sic paupertatem,* inquit, *accipiendo, vt nec velit, nec poſſit reditus vllos ad ſuam ſuſtentationem, nec aliud quiduis habere: Quod non tantum in particulari de vnoquoque, ſed etiam de Eccleſiis ac Domibus Societatis Profeſſæ intelligendum eſt.* Hæccine qui præcipit, eum legiſlatorem ſanctiſſimum dicis ſuos omnes pleroſque locupletes conſtituiſſe? Hoc eſt bonâ fide agere, Caſtalde? Præterea, qui omnibus bonorum abdicationem præcipit, niſi maior Dei gloria probationis tempore aliud poſtulet, quam paulò longiorem Inſtituti ratio poſcebat, hîc tibi videtur *Sectatores ſuos omnes locupletes, pauciſſimis exceptis, conſtituiſſe?*

IX. *Et quintus de diuitiis ſociorum.*

p. 120.

Cic. 1lib. 7. famil. epiſt. 16.

Quæro ſextò, an paſſurus ſis, dedoceri errorem aliis nihilo minorem, noſtros homines, quos tu tuâ liberalitate locupletes omnes reddidiſti, quando tales ſunt, mendicare, quod tu tamen adducto magnâ pompâ Caietani teſtimonio, atque ipſius Nigroni verbis, quaſi fieret, acriter, atque acerbâ ironiâ reprehendis? Sed falleris rerum noſtrarum inſcientiâ. Scire etenim par fuerat earum Cenſorem, Collegiis, cùm ſufficientem pro numero fundationem habent, quicquam non modò petere, ſed & accipere eleemoſynæ nomine nequaquam fas eſſe. Hanc porrò legem tulit Ignatius Conſtitutionum *Part.* 4. *cap.* 11. §. 6. quam eâ conſtantiâ adhuc ſeruatam video, vt alicubi neque illa ipſa munuſcula, quæ inter amicos miſſitari conſueuerunt,

X. *Et ſextus de voluntaria mendicatione.*

Anim. XIII. p. 120. & 121.

ſueuerunt, accipiantur. Quod ſi prompti eſſe ad mendicandum VI. *Parte Conſtitutionum*, *cap*. 2. §. 10. omnes iubemur, cùm ſiue anguſtior erit domi res, ſiue id à Præſidibus fuerit imperatum, duarum maximarum virtutum cauſsâ id factum ſcias. Nam Ignatius, qui te nondum magiſtrum audierat, putabat, Franciſcum Aſſiſinatem ſequutus, (ſatis, opinor, Paupertatis idoneum auctorem,) ad eius aliquod ornamentum demiſſionem illam Chriſtianam, quæ plurima exercetur mendicando, pertinere: Et obedientiam validè intendi, ſi quis ad alterius arbitrium mendicare non erubeſcat; quàm autem id arduum ſit, qui non fuerit expertus, ægrè poteſt iudicare. Itaque doctiſſimus Sanctius, ſi quis imperatam abnuat mendicitatem, eum violatæ obedientiæ magis, quàm paupertatis, reum ſibi videri, docet; Ob hanc rem cautiùs te loqui oportuit, Caſtalde, maioríque erga virum ſanctum eiúſque Conſtitutiones à ſanctâ Sede approbatas veneratione agere. Quid enim, rogo, ais, *dubitari poſſe ex doctrinâ Caietani, an ea, quæ S. Ignatius præſcripſit, fieri licitè poſſint?* Quid, inquam, hoc eſt? Quæro, an Caietani placita (quæ Ignatianis contraria eſſe perperam tu quidem, ſed tamen reris) tibi probentur. Atqui probari poſſunt contraria his, quæ Romana probauit auctoritas? Diſplicent? quid ergo ais, dubitari poſſe? Erroris quidem ex falſo dari poteſt occaſio; dubij autem cùm verum conſtat, nullo modo.

Vbi ſuprà n. 36.

Anim. XIII. p. 122.

XI. *cuius ratio redditur.*

Verùm ne vllus tibi ex inſcientiâ rerum noſtrarum ſcrupulus ſuperſit, & errandi occaſio, ſcias plerumque, cùm ad mendicandum in Collegiis exercemur, id nos facere, aut vinctorum in cuſtodiis, aut ægrorum in Noſocomiis decumbentium, aut aliorum pauperum bono. Quod ſi rariſſimè non fiat, actionem certè illam demiſſionis Chriſtianæ, quæ plurima exiſtit, tum ab ipsâ mendicatione, tum ab hominum contumeliis grauibúſque repulſis, ad perfectam ſui vt vocant *abnegationem* (niſi tu tamen aliter doces) vehe-

mentem

menter facere; quod nobis, qui sæpiùs sumus experti, te quamuis hominem acutum, nullâ tamen huius rei experientiâ præditum credere par esse, iudicabunt viri sapientes.

Quæro septimò, an si de doctearis, depositurus sis errorem longè maximum, quíque grauissimam omnium meretur accusationem? Recognosce, rogo te, Castalde; quæ Animad. XIII. scripsisti: *Si S. Ignatius voluisset assumere illum gradum paupertatis, qui perfectissimus in Ecclesiâ Dei censetur, quique constituit Religiosos verè & propriè mendicantes, vtique assumpsisset, quem Venerabiles atque Religiosissimi Patres Capucini, atque aliæ nobilissimæ Religiosorum familiæ sanctè colunt.* Hæc tu ibi. Mitto inconstantiam sententiarum tuarum; quem hic gradum Paupertatis *perfectissimum in Ecclesiâ Dei* censeri dicis, cum ad vestrum illum apicem non pertinere alibi doces. Sed si censetur perfectissimus, rogo, à quibus? Si ab aliis, te vno, tuisque exceptis; res mira, tot inter vos tantùm sapere? Si vestro etiam suffragio, iam profligata quæstio est, in quâ mirum quantum gloriaris. Iam verò vide Castalde, quò progressus sis. Tua illa est Maior, quæ in illâ modali, vt cum Logicis loquar, latentem continet assumptionem: *Sed non elegit*, cuius iam consequens est; quam Ignatius constituit familiam, verè ac propriè mendicantem non esse. Quid hæres? hæc tua ipsissima sententia est; neque vllâ vnquam interpretatione tenebis, vt tuis verbis alia subsit notio. At, scisne Pij V. amplissimo diplomate contrarium, non quidem sancitum, sed declaratum fuisse, & Pontificem loqui non modò de Professorum domibus, verùm etiam de Collegiis, quæ Scholasticorum sunt? Sed non huius ego te contradictionis postulabo. Pontificis verba sunt: *Præpositum* (Generalem) *ac singulas personas Societatis huiusmodi verè & non fictè mendicantes fuisse, esse & fore* &c. Confer modò cum hac Pij sententiâ, tuam illam Castalde; Verbum ego non amplius addam.

[Margin: XII. *Et ostenditur contra Castaldum Societas verè mendicans.*]

[Margin: p. 120.]

[Margin: Anim. XV. pag. 147.]

XIII. *Septimus error Castaldi de principio Regularũ.* Quæro tamen octauò, Constitutionésne aliquando, regulásque legeris Societatis? & non expectato responso, aio te non legisse. Neque enim si legisses, scripsisses Animad. XXVII. de Ignatio agens: *Hinc Regulam traditurus, ab his profectò verbis exorsus est*, AD MAIOREM DEI GLORIAM. Quàm confidenter ista dicuntur! Hoccine initium Constitutionum? an potiùs, *Hæc minima Societas*? Quid ego dicam, nisi te negligenter, atque contemptim scripsisse? Nisi fortè vox *Profectò* tibi, cui *Fortasse* affirmantissima vox est, dubitantis sit, atque diuinantis. Sed facile fuit homini, qui argui nollet, libros, codicésque consulere. p.230. Anim. VI.p.47.



INTERRO

INTERROGATIO TERTIA.

DE PROBATIONIBVS.

Probationes facti ab eo afferendas, qui asserit; quod donec fecerit, nullum neganti euidentium rationum onus incumbere; quorum primum negauit, secundum asseruit Castaldus.



VÆRO ex te, Ioannes Baptista Castalde, an Traditionis illius tuæ fabularis, de quâ IV. videbimus interrogatione, in Epistolâ, quam Nigronus refutat, vsquam memineris? Nusquam, inquies; neque enim id temporis eam excogitaueram, quàm tandem aliquando, vt ab impressionibus Nigronianis me defenderem, aggestis aliquot testimoniis, veluti aggerem validissimum, quem rescindere nemo possit, prudentissimè obieci. Non igitur illâ in Epistolâ de Traditione verbum vllum fecisti? non feci. Quo igitur iure illam identidem Nigrono obiectas, vt illum minùs validè tua conuellere ostendas? Quoties id facis, facis autem sæpissimè, toties te victum fateris, aut præuaricaris. Nam si traditio non esset, nulla tibi reliqua esset defensio: eam enim tanquam sacram anchoram habes. Quare si cùm scribebat Nigronus, ea nõdum cusa tibi erat traditio, ille tuas vanissimas coniecturas planissimè perdidit. Quod te non vidisse vehementissimè miror, ob eamque rem sæpissimè ad tuam hanc tradi-

I. Castaldus nusquam in Epistolâ meminit traditionis:

Anim. XI.

Anim. VI. pag. 43.

II. Quare nihil obesse potuit Nigrono.

tionem prouocare, quod quamuis passim mihi dicendum necessariò videam, hìc tamen volui prædicere, vt te ab illâ contra Nigronum defensione depellam; nam quod ad me attinet, quare illam sus dèque feram, in loco tibi demonstrabo.

III. *Qui verissimè dixit, Facta non præsumi, nisi probentur.*

Quæro secundò, cur Nigronus à te [a] tuisque [b], vt Iurisprudentiæ imperitus traducatur? Equidem cùm Iurisconsultorum nominibus, ac legum titulis pererudítos tuos margines conspexissem, hæsi paululùm addubitans, an locum istum, vt caussæ minùs necessarium, penitùs omitterem. Quid enim reputabam mecum, Iurisconsultissimo respondere ego possim; qui neque in Iurisprudentiæ adyta me vnquam penetraui, neque sum in foro iudiciisque versatus? Itaque iam abibam, sed reprehẽdit Marcus Tullius, monuitque, si me modò excitarem, posse triduo Iurisconsultum fieri. Ergo rem aggressus, operæpretium feci non pœnitendum: deprehendi enim abs te, tum Nigronum de leuissimo amanuensis errato accusari; tum legum capita, in quibus nihil pro te habeatur, allegari. Age enim, In quo peccauit Nigronus, Castalde? Quæris? dixit *Facta non præsumi, nisi probentur.* Hoccine Nigronus? Planè. Et falsum est? vt quod quàm maximè. Quî probas? Primò, quia Iasonem laudauit, qui hoc tamen non dicit. Si tibi Marij Torelli os esset, hoc tamen dicere non debueras, Castalde. Iason hoc non dicit? Appello hìc fidem diligentiámque tuam; quid enim interest veritatis, siue amanuensis, siue operarum typographicarum indiligentiâ, locus vnus ex Iasonis operibus pro alio, & facillimo quidem ob vocum similitudinem lapsu, citetur; & ff. pro Cod. reponatur? Nam titulus, *de collatio.* nusquam habetur in ff. in quo tantùm reperitur, *De collatione Bonorum*, qui longè alius est à titulo, *de Collat.* qui in eâdem l. *si emancipati*, reperitur in Codice, in quem Iason commentatus est, vbi ipsissimis verbis expressissimè id habet: *Facta non præsumuntur, nisi probentur.* Sciebas id Castalde? quæ igitur fuit humanitas

[a] Anim. I. p. 10. Anim. VI. p. 44. 45.
[b] in Iudicio Plausorum.

Anim. VI. p. 44

humanitas tua, Nigronum vt falsum accusare, tuísque, plausoribúsque irridendum propinare? nulláne in tuo hoc opere operarum errata cernuntur? Quid illud *Nouus e Theologus nauta*? aliáque passim? Nesciebas? frustra te igitur vt Iurisconsultissimum laudant, qui de triumphato Nigrono tibi plaudunt. Sed mitto de his quærere.

Anim. XXII. p.174.

Anim. VI p.44

IV. *Quod tum pluriũ Iurisc. auctoritate.*

Quæro an tibi dictum illud placeat, *Facta non præsumi, nisi probentur?* Negas, & conuellere conaris. At placuit Iasoni, placuit Alciato in *Præludiis*, *de Præsumpt. part.3.n.6.* placuit Menochio *lib.6. præsumpt.*14. qui dictum hoc, vt regulam iuris laudant, probántque l. *in bello.* ff. *de Captiuis, & Postlim. reuersis*, & l. *denique*, ff. *quibus caussis:* & l. *vnicâ, de mandato Principis*, & l.1. C. *de Probat.* l. *Assem ratio.* C. *de numer. pecun. Cap. Licet Constitutio, in* 6. Patierisne igitur Clarissimos viros Iasonem, Alciatum, Menochium, trium ætatum principes Iurisconsultos tibi & laudatoribus tuis præhaberi? Nam vt de istis sileam, nos Castalde, qui in Theologicis exercemur, minùs bonos aliquando esse Iurisconsultos, mirum profectò non est. Sed vide quò me adegeris; Iurisconsultum agere volo.

V. *Cum sit veluti regula iuris.*

Scisne hanc regulam adeò firmam esse, vt ad eam passim controuersiæ exigantur? Venítne in mentem, Iasonem sæpiùs ad eam recurrere? Probaturus *Authentica, Sacramenta pub. l. si aduersùs, num.* 56. Certiorationem non præsumi, quâ aliâ vtitur viâ, quàm hac? *Facta non præsumi, nisi probentur,* & *Certiorationem esse quid facti.* l. *in Bello*, ff. *de Captiuis, & Postlim.* Rursum Iasonem eundem l. *Monendi*, ff. *de iureiurando. num.*5. disertè docere, sententiam latam non præsumi, quia est quid facti; & Facta non præsumuntur. Et matrimoniũ non præsumitur, quia est quid facti, apud Menochiũ *cons.*199. Recordarisne (nã qui Iuriscõsultissimus haberi vult, hunc excellenti quadam memoriâ præditum esse oportet) traditionem rei non præsumi? Pete huius rei rationem; respondebit Iason. *Quia est quid facti; Facta autem*

non præsumuntur, nisi probentur. Scisne in donationibus præsentiam Donantis & Donatarij, nisi eius fiat mentio, non præsumi? Quære à Castrensi rationem, hanc ipsam reddet; quia est quid facti. Recordarisne mandatum non præsumi? quæ huius rei caussa? quia est quid facti, inquit Cagnolus. Putásne eum, qui decessit, filios præsumi habere superstites? Vix arbitror; sed si hoc arbitraris, errorem dedocebit Bartolus: quia filios genuisse, est quid facti *consil.* 42. *col.* 2. atque addet ita plerosque omnes sentire. Putásne de quolibet præsumi posse, sacris illum initiatum esse, aut Ecclesiam quamlibet solemnibus dedicatam esse ceremoniis? Vtcũque tu sentias, negabit Alciatus, eâ regulâ vsus, *Facta non præsumi, nisi probentur.* quid ais, Castalde, satísne probatum? Si nondum sat testium est, sed eorum nomenclaturâ paginæ sunt implendæ, adire, si hæc cupis, Mascardum tibi per me liberum est, qui eos *conclus.* 732. agminatim producit; vel Tuscum *conclus.* 10. qui antiqua etiam huic sapientum edicto subiacere docet.

VI. *Tum validissimâ ratione firmatur.*

Sed age, nulla sit lex, sileant codices omnes, nihil de hoc sanxerint Iurisconsulti; putásne Facta præsumenda, etiamsi non probentur? Et hoc feret genus humanum aperiri omnium mendaciorum asylum? quodnam verbum excidit septo dentium, vt cum Homero loquar? Ergo cuicumque quæcumque dicenti habenda fides? Ergo iam accusasse sufficit? nullus profectò innocens erit.

VII. *Exemplóque.*

Sumatur nobis quidam accusator importunus, & ineptus Historicus, qui laudem inauditis rerum narrationibus quæsiturus, maiores tuos centum abhinc annis occulta cum hostibus iniisse consilia Reipublicæ perdendæ, ac deprehenso scelere in furcam actos fuisse scribat per impudentissimam calumniam; Rogo te Castalde, quid acturus sis? quiescésne, maculámque turpissimam dissimulabis, & factum credes? quis credat? Non calumniatorem vrgebis, vt proferat tantæ rei

rei legitima documenta? non veteris Historiæ silentium appellabis, & tanquam certissimam fidem implorabis, quòd rem tantam dissimulatam ab illis fuisse, verosimile non sit? Non testes dari postulabis, eósque singillatim, quoniam falsos rei ab omni veritatis specie abhorrentis esse oportet, diligenter reiicies.

At ego tuum tibi dictum occinam, & quiescere iubebo, Castalde; quid enim probationibus opus est? *Facta, etiam nullatenus probata, præsumuntur.* An nescis factum præsumptione prius esse debere; nam illud est, quod præsumi dicimus? an oblitus es, Syluestri dictum à te afferri, *Procedi posse ad condemnationem, nedum ad credulitatem ex violentâ præsumptione?* Quid iam tam incredibile dictum est ab accusatore? Coniurâsse, Rempublicam prodere? An non alij viri nobiles aliquando fecerunt? Fieri ergo & à maioribus tuis potuit. Clamas, hanc esse calumniam; accusatori, nisi probet, non credendum. At factum præsumi, accusator ait, etiamsi non probetur, téque ipso teste vtitur. Laudat tecum Panormitanum, cæterósque, quos Animad. VI. citasti; Vidésne tuâ in machinâ torqueri, tuôque visco teneri te? Quânam tandem ratione maiorum tuorum existimationem, famámque tueberis? Inito, quam volueris, viam; eâdem ego tuas has præclaras rationes eludam.

Anim. VI. p. 45.

p. 45.

At audio, quid sis dicturus: te nimirum non de omni quocumque facto; quid enim ridiculum magis ineptúmque dici queat? sed de eo loqui, quod præsumptionis sit fundamentum. Hoc profectò *Præsumptione iuris*, siue de iure credi; nam de his disputas; Age igitur; cedo legem aliquam, in quâ vel speciatim de Ignatio, vel de viro saltem graui, & qui cum Sociis firmatam votorum sacramento societatem haberet, quíque magna moliretur, in alienum Ordinem, quem vix nôsse poterat, ab homine hospite, quíque nullum gereret magistratum, se adlegi postulaturum, præsumatur.

VIII. *Nullam de Ignatianá petitione præsumptionem iuris esse.*

p. 44.

tur. Perridiculam, inquis, rem postulas. Ita planè, sed nisi hoc dicis, alterum cum conuicio generis humani dicere necesse habes: Facta quæcumque, quanquam nondum probata, præsumi tamen: quò te vertis Castalde? Aut de facto quocumque loqueris, quod esset hominis insanientis; aut de eo, quod Præsumptioni Iuris, aut de Iure subiacet. Ergo si hoc secundum placet, debes mihi planissimè iuris ac legum caput, particulámque aliquam in medium afferre, quæ præsumptionem hanc aut iubeat, aut recipiat; quod donec feceris, nos, qui minùs Iurisconsulti sumus, Iasonem cæterósque magistros sequuti, quamuis tu nolis, Facta non præsumi, nisi probentur, constantissimè profitebimur.

IX. *Salomon, probatá præsumptione, sententiam tulit.*

At tu, inquis, malâ fide agis. Egóne? quamobrem? quia nobilissimum Salomonis factum ex materno amore filium matri iubentis dari dissimulas; Quod iudicium clarissimi ac sapientissimi Regis à me allatum rem planè conficit; vt *habetur in textu cap. 2. de Præsumptionibus, Gloss. super eodem cap. verbo, affer tu mihi: vbi dicit: Fuit sententia definitiua lata per solam præsumptionem: & verbo, Hæc est mater eius; Id est præsumitur ex dilectione vnius, & odio alterius.* Hæccine Glossa, Castalde? Eius verbis teneris. Quid enim? An non dicit *ex dilectione vnius, atque alterius odio*, matrem præsumi? Sed quæ maior matris probatio, quàm amor? Quodnam hìc præsumptionis solitariæ vestigium? Certè ante probatum, intentatâ infantis cæde, matris amorem, secundùm illam Salomon non pronunciauit. Habuit igitur probationem amoris, quâ in genere coniecturali, nulla potuit esse violentior. Videris ergo, Castalde, quàm te iuuet ista tua Glossa, quæ caussam planè iugulat; ostendítque vt aliquam probationem facti, antequam illud præsumeret, ab alterutrâ eliceret, incomparabili sapientiâ præsentissimo infantis periculo maternum affectum exploràsse Salomonem, quo deprehenso, quia matrem huius infantis hanc, vel illam esse,

Anim. VI pag. 44. & 45.

esse,quid facti erat; illi, cui probata amore *præsumptio* fauebat,litem adiudicauit. Si ergo Ignatius Sociorum parens erat,illósque diligebat tenerrimè,quæ vsquam ratio fuit, vt eos mutato repentè consilio deserere vellet?

X. Sed si nulla apud Iurisp. robustior haberi potest probatio,quàm quæ ex aduersarij dictis habetur,vide, ne obliuiosus audias, & tecum pugnes Castalde, qui dum maximè probare contendis, falsum esse Iasonis dictum,*Facta non præsumi,nisi probentur*; quod idem valet,ac si diceret,*Præsumptionem* veram,validámque dari nullam, quam coniecturæ, atque argumenta non fulciant;paucis post verbis eâdem Animad.VI.idipsum planissimè ex DD.auctoritate conficias.Quæ enim est *Præsumptionis* apud Iurisp.definitio? An non est *Existimatio,quæ ex verisimilibus argumentis, & coniecturis ducitur?* Hoc ego ibi à te didici. Das hoc verum esse?Nulla igitur sine argumentis,& coniecturis *præsumptio*: concedis? Præsumi autem factum sine *præsumptione* non potest;Ergo nec sine argumentis,& coniecturis. Non igitur facta præsumuntur, nisi probentur; nam facti probatio,& præsumptionis, vbi de præsumptione iuris non agitur;eadem omnino est. Quomodo hinc te explicas, Castalde? Præsumptum necessariò præsumptionem inuoluit tanquam formam; vt paries hic albus albitudinem necessariò animo obiicit.Quomodo enim album sine illâ; ita nec præsumptum sine præsumptione;hæc verò quanta,quanta est,tota ex argumentis coniecturísque conflatur; Factum igitur præsumptum, vt præsumptum, coniecturis argumentísque indiget, & sine illis esse non potest.Coniecturas verò atque argumenta probationes appellari quis vnquam dubitauit?

Castaldus ex suis maledictis conuincitur.

Pag. 44.

XI. *Nam factū præsumptū probā à præsumptione probatur.*

XII. Nemo igitur dubitare potest,quin verum sit, *Facta non præsumi, nisi probentur.* Sed ego præclarâ meâ traditione, inquis, factum probaui: aduersum quem ista dicuntur? Nigronum,qui probationem facti,sine illâ non

Quam Castaldus Nigrono nō probauerit.

non præſumendi, poſtulauit? Nondum è ſuis latebris, in quibus abdita, Caracciolum & Tuſum latuit indagatores licet diligentiſſimos, prodierat iſta traditio; cuius illud conſequens eſt; iure quàm optimo Iaſonis auctoritate contra te Nigronum egiſſe. Si me traditio petit, de illâ mox cernemus; ſed interim de *Negatiuæ*, vt aiunt, probatione præclara tua Iuriſprudentia eſt diſcutienda.

XIII. *Quæ negatiua demõſtrãtibus ſit probanda?*

Quæro igitur ex te, Io. Baptiſta Caſtalde, quid nunc demum ſentias de tertiâ tuâ Animad. in quâ illud efficere contendis, *Probandi aleam ſubire debent negantes concludentibus rationibus, non autem leuibus coniecturis.* p. 29. Probas adhuc tuam hanc egregiam Philoſophiam? Reſponde igitur homini nequam, & importuno, quem paulò ante cogitatione fingebamus, maiores tuos ac nominatim præclariſſimum Ducem Io. Baptiſtam Caſtaldum tacitæ cum Reipublicæ hoſtibus colluſionis, ac præuaricationis turpiſſimæ in Tranſiluanico bello editis libellis accuſanti; Ille ait, tu negas. Igitur tibi onus incumbit concludentibus rationibus *negatiuam* probandi. Quî vnquam id facere poſſis, ſi, quæ doces, vera ſunt, non video. Num in Tranſiluaniâ non fuit? At ibi bellum geſſit. Num cauſſa non fuit? At magnæ hoſtium vires, & Turcici nominis maieſtas non procul aberat. An quia à nemine Hiſtoricorum, qui ea tempora literis commendârunt ad poſteritatis memoriam, ad hanc vſque inſtitutæ accuſationis diem, hoc dictum eſt? Hoc nihil eſt; illos enim infelices in eruendâ è temporum parietinis rerum geſtarum memoriâ, præ ſe fuiſſe dicit accuſator. At indignum eſt de clariſſimo Imperatore hoc ſuſpicari. Quidni enim? alios feciſſe legimus adhuc longè clariores. At ſine teſte dicis. Nequaquam, inquiet accuſator, habeo domeſticos teſtes, qui huius rei neſcio quo in pago celebrem fuiſſe rumorem dicunt. At reliquum vitæ maximâ cum fidei ac fortitudinis laude Cæſaribus Carolo & Ferdinando militauit. Parum intereſt; mutauit enim moni-

tus

tus ab hostium duce, ne alienam fortunam vellet experiri. At Cæsares amplissimis litteris hominis fidem laudârunt. Quippini? ignorârunt latentem fraudem, quam ego diligentissimè ac fortunatissimè inuestigaui. At huius facti nulla probatio adducitur. Nihil agis; Facta etiam non probata præsumuntur. At probandi onus incumbit affirmanti. Vetus hoc quidem dictum ineptorum quorundam ex vulgo Iurisperitorum est; nam nos, qui toto Iurisprudentiæ fonte labra proluimus, sat scimus, *Probandi ideam subire negantes, idque concludentibus rationibus, non leuibus coniecturis*, cuiusmodi hæc sunt, quas attulisti.

Fac vnum aliquem de grege accusatorum, hominem nullâ fronte, proiectâque audaciâ, atque maledicendi libidine infamem ita contentiosissimè tecum agere; an non odiosissimum appellabis, superûm, hominúmque fidem testatus, si huiusmodi calumniandi licentia gliscat in Historiæ foro, nullam superesse antiquitati veritatis laudem, quam calumniosissimis fabulis homines impij non ausint, si velint contaminare? Hæc tu quidem verè; sed, ridente accusatore, dices. Quæ igitur tibi superest, Castalde, via euadendi, nisi ad eam te recipias munitionem, quam extructam contra huiusmodi hostium importunitatem habes, l. 1. C. *de probat.* & à Glossa l. 2. in verbo, *Compellere*, C. *de iure Emphyt.* & à l. *in Except.* ff. *de Probat.* & à l. *Inciuile*, C. *de rer. vendicat.* in eam, inquam, munitionem, quam plurium exemplorum veluti propugnaculis, firmant Iurisperiti; *Negatiuam quandoque probari eo ipso, quod contrarium non probetur.* Quare, cùm aduersarius tuus nihil validè probet, sed fieri tantummodo id potuisse occinat, & multa fuisse, quæ hominem, quantumuis fidum ad defectionem allicere potuisse videntur, illius impetus omnes hac solâ exceptione refutabis, *Actore non probante, absolui reum*, omnium gentium præclarâ consensione debere; Quæ enim vsquam terrarum tam barbara gens, tam efferatis moribus, tam nullo

XIV. *Ea scilicet, quæ fundatã Actoris intentionem negat;*

XV. *Nam simplex affirmatio demonstrantibus non est necessariò infirmãda.*

iure viuit, quæ nullâ auditâ probatione accusatoris, reum damnet? Hæc cùm ita sint, rogo te, Castalde, per humanitatem illam, quam verbo profiteris, vt in eodem defensionis vestigio, quo tu aduersarium excipis, hærere patiaris Nigronum; non enim esset æquitatis tuæ, publico eum iure prohibere. Quare si nullis rationibus, cùm ille scriberet, nondum extructis validissimis Traditionis turribus, intentionem fundaueras tuam; cur illum accusas, quòd concludentibus rationibus non probet? quamquam id ipsum falsissimum esse toto opere demonstrabimus; Aio enim, etsi coniecturis probet, manifestissimè tamen probare. Quid? nouum tibi fortasse, atque insolens dictum videtur? Quamobrem? an coniecturæ Manifestæ probationis nomen dignitatémque non sustinent? angustioréſne tibi videntur, quàm vt huius amplitudinem capiant?

XVI. *Quod tamē coniecturis fecit Nigronus.*

Anim. IX. p. 69

Animad. III. p. 30.

XVII. *Quæ ex verosimili euidentia vim habere possunt.*

At alia omnia sentit Iason, fatale tibi in hac lite nomen; is enim commentans in l. *si pluribus*, ff. *de legatis*, primo vocem *Manifestissimis*, quæ eadem euidenti est, coniecturis conuenire docet. *Nam dicitur euidens*, inquit, *etiā quod ex coniecturis apparet*, l. *si Imperator*, laudátque ibi Bartolum, alióſque magnos iuris Antistites, quibus nos, supremis illis sacris nondum initiatos, assentiri, Castalde, par est. Nigronus igitur, qui te nihil nisi potentiam probante, rei totius fabulam coniecturis validis oppugnauit, manifestissimè sese, Ignatiúmque defendit. Verùm age, si te Nigronus conueniat, ex reo repentè factus actor, postulétque iniuriarum, tu quî potes manifestissimè *negatiuam* probare? Iura, mi Castalde, omnes iisdem vinculis alligant, quare nisi priuilegio solutus sis, eodem onere concludentibus rationibus *negatiuam* tuam probandi, profectò premeris. Scio equidem cùm actor validis rationibus intentionem suam fundauit, transferri in negantem onus iisdem probandi; verùm si ille ait, & hic negat, nisi fortè pondus accedat auctoritatis, quæ in te tuiſque scriptis tanta non est, vt ei cedere debeam, nihil agit actor;

actor;quippe qui,si verbo negetur,quod dixit,probare non possit.

Verùm vt errorem tibi euellam, in quem apud Baiardum incurristi; scito vnumquemque teneri probare ea;quæ sunt fundamenta suæ actionis, l.*Qui accusare*, C.*de edendo*.l.2.l.*ab eâ parte*. l.*in exceptionibus*, ff.*de Probationibus*. Quare si alicuius intentio *negatiuam* habeat pro fundamento,is concludentibus rationibus probare tenetur;Quod tunc maximè fieri dicimus, cùm aliquis negat id, quod de iure præsumitur (cuiusmodi esse Ignatianam petitionem nemo, nisi planè insaniat,dicturus est) *Præsumptio enim,secundùm plerosque, est probatio iuris liquidiss.ma*, ait Franciscus Herculanus. Nam alioqui tua illa Baiardi regula limitationibus atterenda & mollienda adeo est; vt plumbeus hic tuus mucro,quo iugulum caussæ te ferire putasti, nec in Nigronum acui,nec in me ardere possit.

XVIII. *Nec strictiori iure tenetur.*

De Proban. Negatiuâ n.5.

Pag. 45. & 46. Nec me tuo illo Iurisprudentiæ effato terres: *Magis vnico testi affirmanti credendum, quàm mille negantibus.* Hoccine,quàm latè sonat accipi placet? Quid si quispiam te malum virum esse affirmatissimè dicat; mille verò,quos inter ego primas mihivindico partes,exertè negent;cuinam parti fidem habendam doces?Effatum illud igitur,*ex Cap ad nostram,de Probationibus*, in criminosis caussis obtinet; cùm quis per aientem testem reus probatur; contra quem si vel mille testes dicant se nescire;non ideò illius dicta conuellunt. At si non suâ tantùm insicientiâ niti, sed validis coniecturis, sed tabulis, sed publicis agant documentis, hominisque innocentiam tueantur, secus erit. Quid igitur hîc tibi opis situm est,qui nullo antiquo teste narras? Ad hæc falsissimum est; Præsumptionem à iure concessam explodi à Nigrono, quòd ei nunquam somniatum;sicut nec Ignatianam hanc tuam petitionem à iure præsumi: cui tu dicto si fidem habes, quia habes, amittis.

Anim. III.p.31. Verùm quid ais? *Remouendum actum à sensu, non sen-* XIX.

Qui & remouit actū à sensu. *sum ab actu?* Audio;sed quæro,an in coniecturalibus,id coniecturis aptissimè confieri non possit?Si enim coniecturæ manifestissimè probant (quæ illi vis etiam inest ex Iasone,Bartolo,aliisque,) & coniecturis id minimè factum docetur à Nigrono,an nón, *actum ille remouet à sensu*,quod nusquam fuisse probat? Et quomodo,rogo te,actum *proditorium*, cuius exemplo superius te vrgebam,à sensu remoturus es,Castalde?Coniecturis opinor.Hoc idem fecit Nigronus.

Sed ineptus oppidò ego sum, qui fictis te vrgeam exemplis, quem verissimo possum percellere. Quæro enim ex te,Castalde,an non tibi de *prætenso Io.Petri Carafæ Monachatu* lis sit cum Sancti Baronti Abbate?Certè libellum in eum *Iudicij* nomine hac de re totâ edidisti.Ille ait,tu negas. Itaque ille tibi Castaldus est, tu illi Nigronus.An ideo minùs illius narrationem infirmare, atque vt falsam ac fabulosam euertere te credis,quod actum à sensu minimè remoues? Quod nullis demonstrantibus vteris, sed probabilibus? Quem enim auctorem laudas,qui nigrum à Carafâ cucullum testis de visu remoueat? Legi *Iudicium* illud tuum, ac magnoperè,non dicam iudicium,sed æquitatem desideraui,cùm ea tibi licere velle te vidi, quibus Nigrono plusquàm censoriâ seueritate interdicis. Temporis rationem à Nigrono initi fers iniquissimè: illam tu particulâ V. impensè vrges?Actum à sensu à Nigrono, quia *negatiuam* tuetur,remoueri vis;hoc tu, qui in eâdem naui versaris, nusquam facis: veterum à silentio Nigronum argumentationem ducere vanum putas; tu indidem probationem arcessis:domesticorum Scriptorum auctoritatem Nigrono non permittis; tu synceritate tuorum gloriaris.Hoc enimuerò est *pondus*,& *pondus*. Nôsti reliqua.

XX. *Ex quibus omnibus Propositio est demonstrata.*

Quare cùm facta non præsumantur, nisi probentur,quod negabas Castalde;& neganti non fundatam aduersarij intentionem,coniecturis, quæ manifestissimè probant, agere liceat, quod idem tu inficiabaris, vmbratili

vmbratili Traditionis Castello nondum extructo; & probationes à te iure postulauit Nigronus, & validissimis coniecturis in caussâ eodem iure versatus est; quod à te negatum, mihi probandum fuerat.


Verùm in caussam iam tandem aliquando ingrediamur, & primò Traditionem illam, quâ maximè niteris, & quam Nigrono toties obiicis, videamus. Facis tu quidem, ac si quis postquam sine scuto pugnans lethalia vulnera ab hoste accepit quàm plurima, is cùm ea curare non possit, arreptâ, nescio vnde, aliquâ crate malè textis viminibus fatiscente, illâ se clepens, identidem inclamet: Ego verò vulnerari non potui, putri hoc scuto impenetrabili tectus. Ridenda hæc esset iactatio. Haud aliter tu, Gloriose miles, (ne succenseas sic appellanti; hanc enim vocem ad laudem pertinere ab vno è tuis laudatoribus didici.) nam à Nigrono planè confossus, putrem tuam traditionem languenti demum brachio induisti, eámque, dum acceptis à Nigrono vulneribus medicinam facis, subinde obiicis, & clamas: Hoc me non ferit; habeo enim traditionum turres: At non habebas cùm Nigronus pugnaret. An verò his te turribus tueri possis, postquam latè prociderint, téque ipsum pugnantium dictorum mole obruerint, experiemur. Remoue parumper traditionem tuam, habésne in toto tuo Certamine isto Pacifico verbum, quo aliquid præter potentiam probes? attulistine veteris alicuius fidem? probabilem aliquam rationem? An putas nos adeò fungos esse, vt in illis, quæ passim concionabundus effundis, nihil virium esse non intelligamus? Dum congressum Ignatij cum Caietano cæterísque Patribus fingis, dum eum ad illorum pedes abiicis, dum osculantem manus, quas militum auaritia, non odium Religionis, in illâ vrbis direptione vinculis adstrinxerat, prope est, vt eius verba per prosopopœiam Rhetor egregius etiam repræsentes; an non diuinas, ac vaticinaris Castalde? quæque fieri potuerunt, in medium affers? Sed nouum planè

Anim. II. & deinceps.

Anim. VII. p. 53.

vaticinij

vaticinij hoc genus eſt, quod non modò omnes temporis, vt ita dicam, ætates complectatur, ſed, quod longè mirabilius eſt, ignoratâ ad hanc vſque diem efficaciâ, etiam falſa, & quæ nunquam fuerunt: Supereſt, vt ad Caietani genua prouolutum expingatis Ignatium *ac pedes illos compedibus obligatos* exoſculantem: quidni enim, te vaticinante, hoc aliquis veſtrum faciat? Faciat? Immò Syracuſis factum eſt, nam Caietano ſublimi in Sede collocato, ſuos intermedio quaſi in Concilio aliquo, Ignatium ad pedes in genua abieciſtis, ab eo graui dexteræ ſignificatione reiectum. Hîc enimuerò exultant declamatores minùs prudentes; locus enim peramplus eſt; nam viros graues ab harum ineptiarum narratione abſtinere ſat ſcio; Nimirum quia ſancti, viua ſancti Spiritus Templa ſunt, & patres veſtri Martyres erant paupertatis. Caſtalde, ſi ſic argumentaris, viciſti omnium omnino Logicorum ſubtilitatem.



INTERRO



INTERROGATIO QVARTA.

DE TRADITIONE.

Traditionem Ignatianæ petitionis, quam Nigronus postulauit, & Castaldus tertiâ tandem actione attulit, non vsquequaque probari; ipso Castaldo aliisque ex eodem Ordine testibus; tum eam nihil omnino probare ineluctabili ratione palàm fit.



VÆRO ex te, Ioannes Baptista Castalde, putésne traditionem hanc tuam, quam demum, ne caussâ cecidisse videreris, Animad. II. nobis obiecisti, nullâ antiquarum tabularum fide probatam, à nullo certo auctore ductam, nullo teste firmatam, qui se vel à Caietano, vel ab aliquo viro omni exceptione maiore, qui ab illo audîsset, accepisse se dicat; sed recentibus tantùm testimoniis fultam, quorum nullum ante annum XI. aut XII. seculi huius, quo tu Florentiæ Caietani gesta condebas, redditum est; Quæro, inquam, an tuam istam elumbem traditionem; in quâ tamen tibi, tuisque plausoribus triumphare videris, satis ipse tu verè afferri putes? Quæ est, inquis, hæc tua insania, me, qui in eâ opes totius caussæ, fortunámque victoriæ sitam esse glorier, qui ad eam passim prouocem, qui eius beneficio, etiam antequam nasceretur, Nigroni petitiones excam, sic demum interrogare? Rogo te, Castalde,

I. Traditio, quam Nigronus postulauerit, & Castaldus serò attulit,

Anim. II. p. 16.

de, per humanitatem, candorémque tuum; pérque communem nobis amorem veritatis, ne mihi, ne tarditati meæ velis irasci, si aliquid tibi fortasse magis inopinatum ampliùs ex te scire voluero. Quæro enim, an dicta tot Antistitum satis fide digna esse arbitreris? Iam tibi furere videor, sed noli mirari; Tu enim, & de hoc secundo vehementer addubitare coëgisti; quid enim ego faciam, homo minimè acutus, qui aut te, aut illos falsi debeam accusare; & vtrisque credere, etiamsi maximè velim, minimè tamen possim, quippe contraria admodum affirmantibus, & contradicentia? Hoccine tu audes? inquis? Quidni enim? Nos contraria? vos ipsi testes mei mihi? Admodum: Cedo tabulas. Audi.

II. *Ab eodem Castaldo euertitur.* Meministíne te scribere Epistolâ tuâ ad Marcum Thienæum, te fortunatum fuisse, quod quæ Caracciolum ac Tufum diligentissimos rerum vestrarum scriptores latuerant, magno Dei munere sub ruinâ veterum temporum abdita, inuestigaueris, atque in locum protuleris? Cùm enim in Asceticis silentium Caraccioli & Tufi tibi obiecisset Nigronus; tu, allato Ribadeneiræ atque Orlandini exemplo, probare niteris antiquorum Historicorum silentium nihil sequutis officere. Tum sic loqueris: *Denique hoc mirabile non est, alium alio in inuestigandis veterum monumentis, vel diligentiorem, vel certè fortunatiorem plerumque existere. Quod mihi diuino munere datum fuisse, non obscurè, vt humanissimè Caracciolus ipse significare dignatus est Epistolâ ad me datâ sub anno 1612. quâ gratias Deo refert, quod meo labori propitius annuerit, multa sub ruinâ temporum, vel sub modio Religiosæ humilitatis latentia in lucem protulerim. Ita censuit Caracciolus, cui specialiter mea reuisendæ Historiæ iniunctum est opus, vnáque cum aliis grauissimis Patribus eam approbauit, non falsâ opinatione deceptus, sed validissimis ductus rationibus, post codices exactè collatos, qui consultò interea apud nos asseruantur, aptiori tempore proponendi.* Quonam tandem Castalde? nam in hoc demum Certamine fuerant

rant hæc arma mouenda, codices nimirum antiqui, & Caracciolo ignorati, qui ſchediaſmata in laudem Caietani minutiſſimâ diligentiâ comparauit, atque in lucem protulit.

III. *Nam illi olim ignara.* Sed antequam progrediar, dic Caſtalde, cùm illa ſcriberes, erátne tibi nota traditio, an non? Erat? Cur ergo ad illam non prouocaſti? Cur ne verbo quidem attigiſti? Vt nudam, ſic enim ais, Nigrono leuiſſimis, ac nullius momenti rationibus agenti, obiiceres veritatem? per ſe notam ſcilicet, cui ſtatim hominem ſanum aſſentiri, ſit neceſſe. Quæ eſt iſta nuda veritas, quam totâ illâ Epiſtolâ conquiſitis probabilium, vt tu quidem rebaris, opinationum centunculis, quaſi mendacium eſſet, oneráſti? nuda ſi tibi placuit veritas, cur illi vero ſimilia circumpoſuiſti? Si hoc facere tibi otium fuit, neque indecorum duxiſti, cur Traditionis, quæ probationum omnium caput erat, non meminiſti? Nota non erat? Cur ergo eam toties Nigrono in hoc tuo Certamine obiicis? Et ſi tibi erat ignota, rumorum huiuſmodi non indiligenti, cui nota demum erat? aut vbi erat? nam traditioni notum eſſe, atque eſſe quid differunt? Vates fuiſti, Nigrone, cùm prædixiſti, ſi Caſtaldus quid huiuſmodi afferret, quod facturum videbas, fidem illi nullam habendam.

Anim. VI p. 42.

IV. *Sicut Caracciolo & Tufo Clariſſimis Theatinorũ Hiſtoricis.* Sed age, Caſtalde, tuam agendi rationem, & Nigronum omittamus, regrediamúrque ad illa tuæ epiſtolæ verba. Ignatij cum Caietano colloquium, & arcana petitio vnum ex his, in quibus inueſtigandis eruendiſque bonus tibi arriſit Deus, profectò eſt; neque tu negabis, qui Caraccioli ac Tufi ſilentium prementi Nigrono, te illis aut diligentiorem, aut certè fortunatiorem in maiorum inueſtigandis, eruendiſque monumentis fuiſſe dicis. Quid ais? Negas? noli facere; ne te aliena loqui dicamus, qui tuam hîc diligentiam fortunámque afferas ad rem ad quam modò illam negas pertinere. Ais? bene habet. & ego tecum ſentio. Ignatianum igitur Colloquium à te inueſtigatum, at-

que crutum est; vt hoc etiam nomine, & tibi plurimum debeat posteritas, & Deo gratiæ sint agendæ, quod Caracciolus fecit; & verò etiam supplicationes ab Historico senatu in aliquamplurimos dies ob Rempublicam veritatis præclare gestam decerni potuerint. Res igitur erat abolita Ignatianum colloquium; alioquin enim quomodo duce diligentiâ, comite fortunâ inuestigasti? eruisti? in lucem protulisti? Abditam planè fuisse oportet, quæ Caracciolum,& Tufum vel diligentiâ vsos minori, vel certè fortunâ destitutos latuit. Itáne sentis, Castalde? Ita planè, inquis; nam ita ad Marcum Thienæum scripsi grauissimâ in Epistolâ, quâ & mei dicti rationem reddidi,

V. *Cetera Episcoporum dicta,* & Nigroni opinationes contrarias *planè elumbaui*. Bene iterum est. Abdita & latens res erat. Quî ergo dicunt Antistites tui iuratissimi testes, rem adeò apud vos peruulgatam fuisse, vt nemo de illâ dubitauerit? Hocne Antistites dicunt? Admodum.

VI. *Surrentini,* Audi primum Ioannem Antonium Angrisanum Surrentinum: *Neque hoc vllo vmquam tempore dubium fuisse, aut controuersum; sed ab omnibus creditum & absque vllâ hæsitatione narratum.* Anim. II. p. 19.

VII. *Ephesini,* Audi secundum Basilium Cacacium Ephesinum: *Et quod ab ipso* (à Dom Innocentio Valentino) *percepimus, sæpissimè cum aliis loquuti sumus, neque apud quemquam vmquam dubitatum aut controuersum audiuimus.* quàm disertè personas omnes, & tempus à dubio remouet? *Quemquam, numquam.* Ibid. p. 21.

VIII. *Motolensis,* Audi tertium Thomam Anchoram Motolensem. *De hoc denique dubium, aut controuersiam fuisse non audiui, cum de eo semper omnes, sine vllâ dubitatione locuti sint. Omnes locuti sunt?* Quid, rogo, celebrius aut illustrius? Omnes? & ego Caracciolum, & Tufum numquam audisse, numquam locutos fuisse credam? Ibid p. 22.

IX. *Hydruntini,* Audi quartum Caietanum Costam Hydruntinum: *Et apud omnes sine vllâ dubitatione creditum*: *Et affatim à nostris Patribus affirmari audiuimus.* Ibid. p. 23. Ibid. p. 24.

Audi

Audi quintum Thomam Caracciolum ex Cyrenensi iam Tarentinum: *Quâ de re plures ipse alios allocutus fui, & alij plerique mihi enarrauerunt, vt pote rem communiter omnibus perspicuam* (hoc enimuerò falsum est) *& absque vllâ hæsitatione atque ambiguitate.* X. *Tarentini.*

Audi VII. Ianuarium Filomarinum Caluensem (qui tamen antiquæ traditionis testis à te producitur, quùm de annis tantum X X V. testimonium dicat, anno seculi X X X I I. quibus si detrahas X X V. superant VII. antequàm tu scriberes, qui anno XII. scripsisti. Quare quàm idoneus testis antiquæ traditionis sit, non intelligo) sed audi tamen: *Numquam aliquid dubium esse cognoui* Hæc Antistites testes tui, Ignatianum nimirum colloquium cum Caietano, rem esse apud vos domesticis celebratam sermonibus notam, de qua nemo vmquam aut dubitauerit, aut sine vlla hæsitatione non crediderit. Quæro, igitur, Castalde, an satis vera esse credas, quæ Antistites sacramento affirmant? Quidni? inquis; Rursum: An te vera scripsisse confirmes? Admodum, inquis; nam si mendacij semel conuictus fuerim, nullam vmquam mihi fidem habendam esse, sat scio. At tu latentem te rem summâ diligentiâ inuestigasse, ac maiori fortunâ eruisse, ob eámque rem Caracciolo & Tufo præhaberi te velle, dixisti: Antistites rem hanc, (quam tu Historiam putas, ego fabulam esse confirmo) apud vos peruulgatam, domesticorum colloquiorum materiam fuisse asserunt, idque tantâ famæ celebritate, vt dubitaret nemo, assensum sustineret nemo, perspicua omnibus esset, crederent omnes. Hæc, mi Castalde, profectò adeò contraria sunt, vt contradicentia etiam sint. Quare si tibi fidem habeo, Antistites mendacij accuso; si hos reuereor, te illius habeo manifestum. Cùm igitur mihi ob vtriusque aut alterius saltem partis reuerentiâ hæreat aqua, vbi, cui fidem habere debeam, tibíne arcanam rem fuisse dicenti; an id negantibus Antistitibus, tu me docueris,

X I. *Caluensis, testis vicini tantum temporis.*

Ibid. p. 26.

X I I. *Contra quos testatur Castaldus.*

 Castalde,

Castalde, tum de tuâ fide videro. Interea tamen quocumque te vertas, teneris. Quid iubes? me tibi tuâ in Epistolâ credere? Iam res ante annum XII. aut XI. huius seculi arcana fuit, & incognita. Nulla igitur traditio; quæ enim potuit esse de re occultâ?

XIII. *Traditio sine testibus rumor est.* Tum si à te obliuiosam eruderante antiquitatem, gemma hæc eruta est, cedo vbi tibi tam feliciter fuit, cum tineis blattisque luctari? vbinam sunt vetustæ membranæ? vbi codices antiquæ, ac syncerae fidei? non hoc à me addi putes, quasi addubitem fore, vt aliquid huiusmodi aliquando fingatur; de te certè non credam, ac ne de tuis quidem; verùm homines sumus, & tibi non latet Periodos Pauli, & totam *baptizati* Leonis fabulam ab Amatore Presbytero Pauli amore confictam, animo non quidem bono; non enim mendacio fuisset delectatus, at saltem non omnino malo, nec sine aliquâ excusatione. Mihi quæcumque fortè producentur olim, iam nunc manifestissimè ac disertissimè prædico, suspecta erunt, & pro falsis habebuntur.

XIV. *A Prato nō scripta.* Certè Castalde, satis ego mirari non possum à Vicodarzere tuo laudari testem Ioannem Antonium Pratum; quasi anno proximi seculi XCIV. Petitionem Ignatianam, & Caietani diuinitus acceptam futurorum prænotionem sibi narrantem, quum idem Io. Antonius Pratus, IV. post annos aliquo scripto de Caietani miris testatus, vt ea in publico Ordinis tabulario seruarentur, hanc prænotionem, quâ nihil illustrius eius inter gesta fulgeret, ita omiserit, vt Caracciolus, qui ea Prati chirographa non ignorauit, quippe qui ex illis hausit, quæ narrat in eiusdem Caietani vitâ, illam ibi non viderit? Quæro enim, omiseritne Pratus, an non? Omisit? Ergo alia longè inferioris notæ diligenter adnotauit, prænotionem hanc, quam narrare consueuerat, errore neglexit? Quis credat? aut certè senex optimus inter domesticas confabulationes, quæ rumoribus, sine mendacij probro, aluntur,

Anim. II p. 28.

aluntur, & Historiæ fidem, quæ nisi certis nitatur fundamentis,fœdè labat, aliquid putauit interesse.

Itaque quem Vicodarzerio domesticum anno seculi XCIV. Pratus narrauit rumorem, eum idem XCVIII. vt indignum tabulis dissimulauit;aut si scripsit,Caracciolus, qui eas tabulas vidit, quique sibi Caietani vitam *opus difficili rerum inquisitione, quæ illum diù tenuit, planè laboriosum* fuisse testatur, vt fabulam, non fide modò indignam, sed etiam narratione transmisit. Quid enim, inquam, visne me Antistitibus credere? XV. *Ut ex Caraccioli silentio conficitur,*

Quî ergo rem tam peruulgatam, celebratámque omnium sermonibus ignorarunt Caracciolus, & Tufus, diligentissimi antiquitatis? Sciuerunt? quæ igitur illis rem tam nobilem caussa fuit dissimulandi? An indignam æstimârunt, quam suis monumentis posteritati commendarent? Caussam ego huius iudicij quæro:an facti erit obscuritas?at minora multo consectati sunt.An nobilitas? at miracula & reuelationes tradiderunt.Et quàm inepta esset humilitas,cùm Dei opera suis in seruis laudes, quæ maximè laudabilia sunt, ignauissimo silentio obruere? Si ergo non sciuerunt, falsum testantur Antistites, quod ne dicam sciuisse illos,sed pro fabulâ habuisse nunc tantummodo dico, paulò post aliquid ampliùs dicturus. XVI. *Et Tufi,*

Quæro enim ab Antistitibus,vel potiùs abs te,Castalde, quem tuorum testium dicta defendere par est, an eos, qui tam affirmatè dicant nunquam dubitatum,ab omnibus sine vllâ dubitatione, aut hæsitatione creditum,an illos,inquam,quid Venetiis in cœnaculo domus vestræ anno XII.vel XIII.seculi actum sit, vnquam audîsse credas?Non,opinor,scîsse. Ego narrabo; Habeo enim apud me confectas ritè à publico notario tabulas (producturus si opus fuerit, quod modò non facio,ne cuiquam inuidiam,aut odium creem) quæ illud docent. XVII. *Contra dicta Antistitum.*

Res ita se habuit. Legebatur super mensam recèns XVIII.

à te

Testimoniũ Alexandri Mammoli. à te Caietani edita vita, magnâ omnium approbatione,& sancti Patris nobilia exempla admirantium, & tuam,Castalde,industriam laudantium,cùm improuisâ admodum vnius hominis virtute refrigerati sunt: Ventum enim erat ad hanc Ignatiani cum Caietano colloquij longè illustrissimam narrationem,quæ cùm plerosque mirificè caperet (quid enim siue ad Caietani, siue ad nascentis Ordinis commendationem excogitari ac fingi potuit illustrius?) Alexander Mammolus Sacerdos seueritatis antiquæ,& cui ante domesticorum gratiam veritas esset,quippe vt annis,sic morum integritate,ac longo rerum vsu venerabili, élatâ voce anagnostem ea omittere iussit,quæ fabulis essent simillima;falsam eam totam narrationem esse:se illorum temporum ætate propemodum æqualem, nihil huiusmodi factum esse satis scire. Auertit res insolita domi omnium animos, sed Præpositi præcipuè, qui manu Alexandro silentium indixit;paruit ille, ita tamen vt falsam eam esse narrationem iterum diceret. A cœnâ digressi Alexandrum omnes circumsistunt, ac certatim interrogant;ille fabulam arguere,ac vanitatis ream peragere. Cui viro quamquam ab ætate & prudentiâ plurima per sese inesset auctoritas; tamen, vt in ore duorum staret omne verbum, accessit Leo Ariminensis,antiquus & ipse Sacerdos, & qui illius proximus, qui nouum hoc tuum commentum, Castalde, falsitatis argueret. Quomodo id à me probatum sit,publicisque tabulis exceptum, rogo te, Castalde, per humanitatem tuam, ne me prodere velis, facturum tamen, si aut res, aut tu necessarium putabis. Interim sat scis vestros, nostrósque homines sæpiusculè peregrinari,atque inuicem aliquando excipi hospitio;multa minùs cautè, quàm opus sit, vtrinque dici,inde plurima, quæ domi secreta habebantur, in publicum effundi.

XIX. *Cui fides habenda.* Hæccine igitur traditio, de quâ nunquam à quoquam dubitatum sit? cui omnes vbique sine hæsitatione

tione adhæserint? Quid? Mammolo tu fidem habendam negas; non quæro, quàm id iure facias, qui Antonio de Vicodarzere de Rusticâ me habere iubes: Fiat, vt vis; mihi satis in præsentiâ est, traditionem hanc tuam, constantem apud omnes non fuisse; quod etiam ex silentio ac diligentiâ Caraccioli legitimè conficiebam. Parum est, vno Mammolo niti. Plerique tuorum id testantur, quorum nomina populari obiicere inuidiæ, quâ illis conflagrandum esset, quamuis fidei nostræ non sit, eos tamen testes dabo, qui se ab illis audiuisse ritè ac sanctè confirmant, quos nemo ausit confutare. Producantur igitur tabulæ, ac primò quid pridie Kalend. Augusti anno MDCXL. actum sit, audiamus.

XX. *Et alterius viri grauissimi.*

Nos infrascripti Societatis IESV *Professi fidem facimus, & testamur, etiam, quatenus opus est, cum iuramento, die 31. Iulij currentis anni 1640. qui dies memoriæ Sancti Patris nostri Ignatij sacer est, aliquos Patres Theatinos ad nostram Ecclesiam, Domúmque benignè & humaniter, vt solent, accessisse, & inter alios vnum ex antiquioribus, & grauioribus, qui Neapoli multis abhinc annis degit, per horam integram Nobiscum valde familiariter consedisse; Cúmque occasione ipsius festiuitatis eum enixè rogaremus, vt amicè syncerèque Nos doceret (erat enim aliquibus ex iis, qui consederamus, amicissimus) ecquod fundamentum in suâ Religione haberet colloquium illud, quod Pater Castaldus typis iam tertiò mandauerat; videlicet Sanctum Ignatium à Beato Caietano illius habitum petiisse, cùm à condita Societate nunquam tale aliquid apud Nostros auditum fuerit; syncerè & amicè respondit, duo sibi esse certa, alterum P. Castaldum bono animo id fecisse, nec vnquam credidisse fore Societati molestum, sed potiùs valde gratum quod à Beato Caietano præuisa, ac reuelata sancto Ignatio fuerit futura eius Societas; alterum se per omnes fere Domos, quas sua Religio in Italiâ habet, excurrisse, in multis etiam diù commoratum fuisse, Venetiis præsertim, nec tale quicquam de illo colloquio vnquam inaudisse, nisi solùm Neapoli tunc temporis, cùm Pater Castaldus vitam Beati Caietani scriberet;*

XXI. *Qui negauit veram esse Traditionem,*

Quare planè se obstupuisse, vnde id in mentem dicto Patri incidisset, & vnde talis vox, nunquam antea inter suos audita, repentè insurrexisset: præsertim cùm res tanta neque ab Episcopo Tuso, neque à Patre Antonio Caracciolo diligentissimis sui Ordinis, suarúmque rerum scriptoribus, qui res longè minutiores typis mandarunt, memoriæ prodita fuerit.

XXII. *Et se frustrà à Castaldo sollicitatum affirmarit, vt suo chirographo firmaret.*

Addiditque præterea idem Pater, sæpè Castaldum à se petiisse, vt testatum scripto relinqueret, se ab ingressu in Religionem id audiuisse, saltem vt tanta rei memoria in eorum Archiuo, seu Tabulario seruaretur, sèque constanter respondisse, non posse id tutâ conscientia facere, cùm reuera nunquam, & nusquam id antea inaudiuisset; Cui responso P. Castaldum nequaquam acquieuisse sed potiùs vrsisse, affirmasséque id tutissimè fieri potuisse, cum & suo Ordini & nostro valde honorifica esset talis reuelatio & prædictio: se tamen in incepto perstitisse, nec vnquam tale quid aut verbo aut scripto testari voluisse. Cæterùm dictus Pater Nos omnes enixè rogauit, ne se vnquam vlli ex suis proderemus: nosse enim optimè tam cordatos ac Religiosos viros, quanto odio futurus esset obnoxius, si inter suos id resciretur; quod & nos sanctè illi polliciti sumus, & infallibiliter præstabimus; Quod si fortè alicui supremo Ecclesiastico Magistratui, à quo iure cogi possimus, eius nomen aperire oporteat, ita aperiemus, vt certi omninò simus, nulli planè ex suis id vnquam notum futurum; In cuius rei fidem hanc paginam manu nostra subscripsimus. Datum Neapoli, die quarto Augusti 1640.

XXIII. *Quod viri magni testantur.*

Nicolaus Berzettus	*Iulius Cæsar Recupitus*
Io. Iacobus de Alexandro	*Flaminius Magnatus*
Hieronymus Marchesius	*Marc. Ant. Palumbus*
Ignatius Garganus	*Io. Baptista Galeota*
Vincentius Carrafa	*Io. Ant. Rodericus.*
Franciscus Mascambrunus,	

Vt verò sciant omnes, qui viri hi sint ego bonâ illorum veniâ, indicabo.

Nicolaus Berzettus, tertiùm Iam Prouincialis.

Io. Iacobus de Alexandro, sæpiùs Prouincialis, Rector, & Præpositus.

Hierony

Hieronymus Marchesius Exprouincialis,& olim Præpositus Domus Professæ.

Ignatius Garganus, olim Magister tyronum, & Rector, nunc Præpositus eiusdem Domus.

Vincentius Carafa, sæpius Rector, Præpositus,& Prouincialis.

Franciscus Mascambrunus Coll Neapol. Rector.

Iulius Cæsar Recupitus, vir omnigenâ litteraturâ editisque monumentis clarus.

Flaminius Magnatus S. Officij Consultor.

Marcus Antonius Palumbus Theologicis monumentis notus.

Ioannes Baptista Galeota Concionator, & Sodalitatis celeberrimæ diu moderator,qui nuperrimè diē suū obiit.

Ioannes Antonius Rodericus,sæpius Rector.

Horum ego virorum breues has commendationes eâ gratiâ illorum nominibus à me addendas censui, Castalde, non vt apud te, qui eos nôsti,aliquod illorū auctoritati pondus accederet;verùm vt, quibus ignoti sunt,illorū esset dignitas manifesta.Quantâ porrò fide ab illis agatur,ego superiore anno expertus.Nunquam enim à Nicolao Berzetto quamuis enixè admodum illum rogarem, vt vel mihi sanctè pollicito me non vulgaturum hominis nomen indicaret,impetrare potui. Nihilo tamen minùs quùm tamdiu solum eum nostris hominibus confidentem video, vt meam suspicionem fatear, Episcopum arbitror esse; & fors dies dicendi libertatem dabit: nec despero. Interim tamen tuus est. Age rursum alium testem demus eadem nominis dissimulandi veniâ ab æquis iudicibus impetratâ. Audi:

XXIV. *Tertius testis contra Traditionē, ex fide Flaminij Magnati.*

Ego Flaminius Magnatus Sacerdos Professus Societatis IESV *affirmo,etiam,quatenus opus est,cum iuramento: paucis abhinc annis cum extra vrbem vna cum N.N. vno ex antiquissimis, & grauissimis Patribus Theatinis, cui socius laicus erat,vt & mihi meus,ambularemus, interrogatum à me fuisse*

dictum Patrem quonam tandem fundamento niteretur, quod Pater Castaldus scripserat in vitâ B. Caietani Thienæi, Sanctum scilicet Ignatium Venetiis ab eodem Caietano poposcisse in eius Religionem admitti; Ipsum maximâ cum synceritate, syncerissimus enim vir est, mihi respondisse, nullum se huius petitionis fundamentum scire; neque se in suâ Religione, in quâ LX. *annos vixerat, quidquam huiusmodi audiuisse antequam Castaldus vitam B. Caietani conscriberet. Nomen socij laici huius Patris ego ignoro; meo nomen est Antonio Orecchio, qui huic Chirographo subscribet.*

Addo eâdem iurisiurandi religione, quatenus opus est, Patrem hunc, de quo hîc ego testor, non eundem illi esse, de quo testatus sum 4. Augusti cum vndecim nostris Professis, sed alium omnino diuersum. In quorum fidem huic folio subscripsi manu propriâ, Neapoli 4. Octobris 1640.

Ego Flaminius Magnatus affirmo vt suprà.

Ego Io. Andreas Orecchius affirmo vt suprà.

XXV. *Quartus ipsemet Castaldus.*

Satisne testimoniorũ est, Castalde? Arbitror aliis satis esse, supérque, tibi tamen nondum satis. Visne me vnum aliquem testem dare, cuius nomen prodere nullâ promissi religione, nullo odiorum, aut inuidentiæ timore prohibear? Grauem, vt vis testem cogita, vincetur omnis tua expectatio, est enim tibi carissimus. quis? Tu ipse iterum es, Meminisse enim te velim sermonum, quos aliquot abhinc annis habuisti cum Marco Antonio Palumbo, viro non tibi modò, & vrbi Neapoli tantùm, sed Orbi ob edita Theologiæ monimenta notissimo; quod vt tibi iam seni facilius sit, neque occiput scalpere opus habeas, Chirographum eiusdem Palumbi hîc Lectoribus exhibebo. Recitetur:

XXVI. *Iuratis testibus M. Antonio Palũbo, & Vicentio Carafâ;*

Ego Marcus Antonius Palumbus Ascanij, Sacerdos Professus Societatis IESV *ex consensu mei Superioris testor, etiam cum iuramento, qualiter post mortem Illustrissimæ Dominæ Ducis Andriæ, cui nomen Donnæ Mariæ Carafæ, quæ exinde Monacha in Monasterio Sapientiæ Neapoli appellata fuit Soror Maria Magdalena, cùm de illius vitâ in lucem ad Dei gloriam*

gloriam edendâ ageretur, mihi necesse fuit ad D.Pauli monasterium PP.Theatinorum adire vnà cum Patre Vincentio Carafa eiusdem Illustrissimæ Ducis filio, & alloqui Patrem Ioannem Baptistam Castaldum Theatinum, in cuius manu erat prædicta vita, ne se editioni obiiceret, pateretúrque vnum ab illa vita non auferri, fuisse nimirum sub eiusdem Ducis morte necesse euocari P. Philippum Pantaleonem Soc. IESV, *qui olim eam de tota vita confitentem audiuerat, vt enatos nescio quos scrupulos euelleret, animúmque illi tranquillaret, quod & factum est; nam illam quietam reddidit, ac tranquillauit. Quod cùm vehementer quæsito alio colore abnueret Pater Castaldus, ego incalescens admodum, ei dixi: Pater mi, non debemus fugere, quod verum est; V.P. quomodo scripsit B.Ignatium poposcisse à B. Caietano Thienæo admitti ad Ordinem, cùm tamen nihil aliud fuerit, nisi quòd B.Ignatius postulauit recipi in quoddam Xenodochium, cuius curator erat Pater vnus Theatinus? Quomodo ergo vestra Paternitas æquiuocauit, asserens petiisse ingressum in Ordinem? Tunc dictus Pater Castaldus, familiari sibi gestu humeros mouens, affirmauit quod dixeram, & arridens hæc ipsissima verba respondit: Nos nobis accipimus, quod pro nobis facit. Cui ego: Sed non cum falsitate, præsertim in scriptis tanto nostro cum præiudicio, multáque addidi vsque in atrium. Hæc cum iuramento, Neapoli 15. mensis Octobris, 1640.*

Marcus Ant. Palumbus Ascanij Sacerdos Profess. S. Iesu.

Vinc. Carafa interfui & affirmo vt suprà.

Nondum scilicet Traditio exorta erat, & timida adhuc fabula vim instantis veritatis non ferebat. Quamquam autem tu tibi optimus, omníque maior exceptione testis esse debeas; attamen agmen illud Episcoporum animos, reor, facit, & priuatorum auctoritatem illis à me opponi, rem indignam putas. Mitto, quàm vanum hoc sit; sed detur hoc etiam, & tibi fas sit, *Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis* deposcere: Opponam Episcopum Episcopis: illúmque ex eodem tuo Ordine, qui illorum magnâ cum laude fœcundus, vtrique nostrum testes sufficit; meliori tamen

meâ ſorte, quod nulla in meum poſſit cadere ſuſpicio.
XXVII. *Quintus, Io. Baptiſta Tuſus Epiſcopus Acerrarum,* Quem mihi daturus es? inquis. Ioannem Baptiſtam Tuſum Acerrarum Epiſcopum, Hiſtoricum rerum veſtrarum; Hic enim ab Octauiano Tuſo (vt ſuis Chirographis, quæ apud me ſunt, publicâ tabellionis fide inſuper obſignata, ritè ſanctéque teſtantur, Michaël Nigronus, & Ioannes Baptiſta Galeota Societatis noſtræ Sacerdotes Profeſſi, quorum primus Neapoli, tibi non ignotus, in magnâ nominis celebritate viuit; ſecundus ſuis etiam virtutibus clarus ſupra gentis nobilitatem, dum hæc ipſa compono, ad meliores à nobis abiit) ab Octauiano, inquam, viro doctiſſimo, atque humaniſſimo, & mihi amiciſſimo pro eâ, quæ illi cum Epiſcopo erat, ſanguinis cognatione, interrogatus, quid de hâc tuâ nouitiâ narratione ſentiret, cúrve rem tantam in ſuos Annales non retuliſſet, candidè reſpondit: monitum quidem ſe ab vno è veſtris (noménque addidit, quod tamen Octauianus tacere voluit) vt faceret; verùm quòd nihil de re tantâ in antiquis tabulariis, commentariis, reliquíſque Ordinis monumentis (quod ne te quidẽ feciſſe hucuſque dixiſti Caſtalde, atque vtrùm dicturus olim ſis, ignoro) vnquam legiſſet, neque teſtes idoneos haberet, conſilio abſtinuiſſe, ne rerum certiſſimarum fidem, hoc oneratam commento labefactaret.
XXVIII. *Teſtante Octauiano Tuſo;* Quid abnutas Caſtalde? An Octauiano, vt partium teſti, fidem habendam negas? Vereor, ne iniquè facias. Sed vide, an tibi cauſſæque tuæ expediat, me tuorum nemini credere; quod eodem mihi eos iure liceat reiicere, quo tu Octauiano fidem abrogas.

Sed age, & Epiſcopi non magis ſapientiâ, quàm virtutibus, & prudentiâ longè clariſſimi, quem honoris cauſsâ hîc appello, cuius tu viri fulciendo incertiſſimo rumori teſtimonium nunquam afferes, Pauli Areſij ex alterius Epiſcopi ore ſententiam videamus. Habeo apud me literas à Conſtantino Epiſcopo Veglanenſi, viro litteris & moribus clariſſimo, & verita-

ris

tis amicissimo ad Odonem de Comitibus nostræ Societatis virum generis ac doctrinæ nobilitate Vrbi notum, Venetiis datas 10. Kal. Decembris superioris anni 1640. in hanc ipsam sententiam, & verba.

Admodum R. Pater in Domino obseruandissime.

Ex occasione edita à me superioribus annis vita B. Patris Æmiliani Fundatoris meæ Congregationis, quæ per sua initia vnita fuit Religioni Patrum Theatinorum, quærit ex me R.V. an inter excutiendas veteres schedas, dum illius componerem vitam, aliqua mihi venerit in manus, in quâ leue aliquod vestigium offenderim consuetudinis à S. Ignatio Venetiis olim habitæ cum B. Caietano Patrum Theatinorum Fundatore: tum vt ingenuè amici mei sensum aperiam circa id, quod in vitâ supradicti B. Caietani scripsit P.D. Io. Baptista Castaldus, Sanctum scilicet Ignatium à B. Caietano postulâsse in Religionem Patrum Theatinorum admitti. Quod ad primum attinet, verbo rèspondeo, nullam Scripturam venisse mihi ad manus, in qua vel leuiter aliquid innuatur de conuersatione inter hos duos Dei seruos. Quod ad secundum, quoniam V.R. meam vult me sententiam aperire, dicam liberè; non eam mihi rem hanc videri, cuius gratiâ siue V.R. siue quis alius de Societate turbari debeat, vt enim mihi constat, neque ab ipsis Patribus Theatinis vniuersè vera creditur illa narratio. Itaque credo fore, vt consenescat per sese. Anno 1622. mense Maio cùm à Capitulo Mediolani habito factus fuissem Præpositus sanctæ Mariæ paruulæ Derthonensis, data mihi facultas est sæpiùs fruendi consuetudine honestissimâ Domini mei Pauli Aresij Episcopi eius vrbis, Prælati vitæ integritate, & doctrinâ insignis, vt palàm est. Itaque cùm ei gratularer duas panegyricas orationes Sanctorum, eruditissimas, & summâ arte compositas in laudem Sanctorum Ignatij, & Xauerij, quarum alteram habuerat Mediolani ad D. Fidelis, alteram in oppido Castrinoui, in quo Collegium habet Societas, in lucem emiserat; addidi, vt hominis sententiam elicerem, potuisse illum lepidè meminisse cögressus Veneti Sancti XXIX. Sextus Paulus Aresius ex Constantini Episcopi fide.

Ignatij,

Ignatÿ,& B.Caietani, in quo ille Ordinem Theatinorum ab isto petiit. Ad quæ statim Aresius respondit: Falsam illam Historiam esse, & P.Castaldum nimiâ facilitate lapsum in scribendo; eúmque à P.Iulio Nigrono fuisse bene conuictum. Ad quæ cùm dicerem, audisse me, Castaldum, datâ ad amicum Epistolâ Nigrono respondisse, méque eam Epistolam videre admodum cupere; illam quidem respondit in Summâ Molfesÿ reperturum me, sed non esse mihi satisfacturam, vt verè non satisfecit. Etiam P.D. Michaël Ghislerius eiusdem Religionis Patrum Theatinorum, cùm illum Romæ ad D.Syluestri inuisissem, ortúsque de hac Historiâ sermo esset, se nunquam illam credidisse, mihi dixit, addidítque sine bono, ac reali fundamento imprimi non debuisse. Ego verò credo hanc esse grauiorum eiusdem Religionis Patrum sensum, quod ex eo conÿcio, quòd cùm aneis typis elegantissimis vita omnis B.Caietani edita fuerit, congressus iste cum S.Ignatio reliquas inter figuras non spectatur, qui vt res maximè plausibilis imprimi debuit. Hoc est, quod scribere R.V. habui de hac re totâ, illud iterum addens, per se ipsum rumorem hunc periturum, nemine impellente ad gloriam veritatis. Finio méque precibus eius atque sacrificiis admodum commendo, & felicia natalitia precor. Venetiis x *Kal. Decembr. M D C X L.*

Septimus Michaël Ghislerius ex eiusdem Episcopi testimonio.

R. Vestræ

Addictissimus, & obstrictissimus seruus
Constantinus Episcopus Veglanensis.

XXX. Sed impetrare à me non possum, quin particulam Epistolæ, quam ad me Aresius ipse suâ manu dedit 8. Decembris anni superioris, hîc veritati dicatam euulgem. Patiatur vir humanissimus, quo est in veritatem amore, suo etiam suffragio hoc loco absolui. Quamquam enim se nihil de ipsâ re scribere velle dicat, quod ingenio sit ab his contentionibus alienissimo, hæc demum ait: *Patrem Castaldum ex suo cerebro Historiam hanc credere voluisse, mihi persuadere non possum: noui enim semper bonum Religiosum fuisse. Vnde verò natus sit hic sermo, ego nescio.* Salue os aureum veritati consecratum,

Imo ex suâ ipsius Epistolâ Aresius.

tum. Egóne rem hanc veterum traditione peruulgatam fuisse, credam, quam Aresius vir tantæ auctoritatis ac sapientiæ, quíque diutissimè apud vos vixit, præcipuum Ordinis vestrij decus, ignorare se tradit? Non credam, quamuis me facere iubeas, Castalde. Et tanta quidem Aresîni nominis est amplitudo, vt vno illo contentus esse possim; nihilominùs alterius etiam Episcopi accedat auctoritas, vt non solùm dignitate, sed legitimo numero testium tuta sit veritas, & nouitiæ tuæ Traditionis vanitas palàm fiat. Is erit Laurentius Gauottus Episcopus Intemeliensis, qui antequàm infulas indueret, Ordini vestro fuit à Secretis. Is igitur ad Franciscum Gauottum Fratrem, Collegij nostri Sauonensis Rectorem, ab eo de hac tuâ Traditione interrogatus, litteras dedit, quas an libenter auditurus sis dubito.

Admodum Reuerende Pater.

Accepi litteras Paternitatis Vestræ admodum Reuerendæ, quibus à me postulat, vt liberè ad se scribam, an vnquam auditione perceperim, Sanctum Patrem Ignatium Loyolam petiisse à Beato Caietano admitti in Religionem Patrum Theatinorum, idque antequam suam conderet. Ad hæc ego in veritate respondeo, me id sæpius audisse. Sed cum eâdem veritate dico, huiusmodi sermonem, quantum quidem ego sciam, non aliud fundamentum habere, quàm auctoritatem Patris D. Ioannis Baptistæ Castaldi, qui id in Vitâ B. Caietani tradidit. Quâ verò ratione hoc ille asserat, dicere Paternitati vestræ admodum Reuerendæ ego nescio. Hæc habui, quæ de hac totâ re scriberem, de quâ cùm semper parum vtilem existimauerim esse numquam diligentiùs inquisiui. Oret pro me, sic enim te ex toto corde rogo, & finio. Intimelij, 8. Decembris 1640. XXXI. *Septimus testis L. Gauotius Episcopus Intemiliensis.*

P. V. A. R.

Deuinctissimus Frater
L. Episcopus Intemiliensis.

Vidésne homini minimè obscuri nominis, & qui

Præpoſito ipſi olim à Secretis in Ordine fuit, ignoratam fuiſſe, quam tu tantoperè vrges, Traditionem? Vidéſne ante te Auctorem, nullam illam fuiſſe, quî enim eam ignoraret? Vidéſne tandem validiſſimas illas Turres, ex quibus mille tibi clypei, & palmæ mille pendebant, nullis à te tam validis anteridibus, aut tibicinibus poſſe fulciri, quin ruinam trahant: Sed bonâ Præſulum veniâ, priuata, ſed clarorum virorum teſtimonia proſequamur, ac primum Angeli Sciuorij, quem perſpicuæ amabiliſque eloquentiæ laus, ac interiorum diſciplinarum cognitio, vulgo eximit. Audi Caſtalde.

Teſtificatio admodum Reuerendi P. Angeli Sciuorij Sacræ Theologiæ Magiſtri, & Doctoris, & Concionatoris longè celeberrimi.

In nomine Domini. Amen.

XXXII. *Octauus teſtis Angelus Sciuorius.* *Ego Frater Angelus Sciuorius, Ordinis Carmelitarum Ianuenſis Sacræ Theologiæ Magiſter, & Doctor, Teſtor, & cum iuramento valituro in iudicio quatenus opus erit, in conſcientiâ meâ me ſcire, Hiſtoriam ab admodum Reuerendo P. D. Io. Baptiſta Caſtaldo ſcriptam de S. Ignatio Societatis* IESV *Fundatore à B. Caietano Thienæo vno ex quatuor Fundatoribus PP. Theatinorum., eorum habitum petente Venetiis anno ſuperioris ſeculi* XXXVI. *haberi à grauioribus eiuſdem Ordinis Theatinorum pro falsâ, & nullâ veritate ſubnixâ, eoſque exiſtimaſſe ab eodem Caſtaldo nimis leuiter proditam, quamuis bono animo, & quodam amore peculiari, quo in Beatum ſuum Parentem fertur, hoc ab illo factum non dubitarent. Quæ omnia, cùm apud illos viuerem, audiſſe, iuratus, vt ſuprà, confirmo. Quod veritatis teſtimonium rogatus negare non potui. Ego verò nihil vnquam tale ante Caſtaldi Hiſtoriam eo in Ordine, vulgò creditum fuiſſe, omnino ſcio, quamuis ab eo*

tempore

tempore frequens de hac re sermo fuerit, quod idem iuratus affirmo. In quorum fidem hoc meum chirographum dedi, ac propriâ manu nomen addidi hodie IX. Kalend. Iunij MDCXLI.

Florentiæ in Collegio Societatis IESV.

Ego idem, qui suprà.

Frater Angelus Sciuorius Carmelitanus manu propriâ.

Personaliter constitutus coram me Notario infrascripto suprascriptus adm. Reuer. P. Magister Frater Angelus Sciuorius Ianuensis Carmelitanæ familiæ Concionator doctissimus, recognoscendi causâ suprascriptam fidem per eum factam, ac eius propriâ manu subscriptam, medio eius iuramento per me in formâ ei delato, tacto pectore more Sacerdotali, dixit, & asseruit contentum in eâ fuisse, & esse verum, & pro merâ veritate fecisse, & subscripsisse. In quorum fidem & robur

Ego Carolus Tempesta Cosmi filius Notarius publicus Florentinus manu propriâ scripsi, meúmque consuetum apposui signum ad laudem Dei, die mense & anno suprascriptis.

Signum Tabellionatus †

Nos Ambrosius de Ambrosiis I.V.D. Ciuis & Notarius publicus Florentinus, & ad præsens Proconsul Almi Collegij Iudicum, & Notariorum Ciuitatis Florentiæ, fidem facimus, & publicè attestamur, supradictum D. Carolum Tempestam fuisse, & esse Notarium publicum Florentinum, Legalem, & fide dignum, eiúsque scripturis, & subscriptionibus semper adhibitam fuisse, & ad præsens adhiberi plenam indubiámque fidem in iudicio, & extrà ab omnibus indifferenter. In quorum testimonium has nostras fieri iussimus, nostri sigilli impressione munitas. Datum Florentiæ die 27. Maij, 1641.

Locus † sigilli

Laurentius Bindius Canc. D. N. &c.

Verùm enimuerò ad tui Commenti fucum planè detergendum, & ne tibi tuâ placeas opinione, scito mihi adhuc plura superesse, quibus Traditionem XXXIII. *Alij plures testes.*

H 2 hanc

hanc tuam inter inania computem. Habeo enim apud me litteras à N. N. viro è vestris pereruditо ad Fabritium Britium Theologiæ Professorem Societatis nostræ Genuæ datas ad XII.Kal.Iunias huius anni XLI. quibus disertè profitetur libellum tuum in his, quæ ad Ordinis defensionem, vt quidam arbitrantur, spectant, haud cunctanter probari téque ob eam caussam popularem haberi; non item in his, quæ tibi domi tuæ nata, & à te olim euulgata tueri omni ope contendis. Habeo item litteras ad me Florentiâ scriptas ab N.N. viro genere, litteris atque eloquentiâ, & modestissimis vsque moribus totâ Italiâ clarissimo & longo olim rerum vestrarum apud vos vsu nobili, in quibus tuam hanc opinationem *Phantasticam chimæram*, ex vestrorum sensu appellat. Habeo N N. Pisaurensis Sacerdotis virtutis eximiæ, atque anxiæ veritatis testimonium, quod hoc ipso anno XVII. Kal. Iunias ab N.N. Notario, & Cancellario Cardinalis Archiepiscopi legitimè interrogatus dixit, eiúsque documentum ex formulâ confectum, quo liquidò constat duobus abhinc annis quæsiuisse illum à Marcello (cuius ille cognomen ignorat, ego Bentiuolum fuisse arbitror) Domus vestræ N. Præposito de tuæ Scriptionis veritate, atque ab eo audisse, *Te vel non satis fundatè, vel non satis prudenter, vel vtroque modo* Ignatianam petitionem euulgâsse. Parco hîc ego integrum documentum exhibere Lectoribus, quod ab amico ad me transmissum reliqua inter caussæ firmamenta interim seruo, ostensurus, si quando prolatis tabulis opus fuerit; téque interea rogo, ne fidem habere mihi abnuas, quod nomina testium premam: Scis enim, opinor, quæ sint amicitiæ leges, & quàm reuerenter ea nobis habenda sit. Cæterùm si vltima in iudicio probationum necessitas incubuerit, abs te hæc ipsa testium nomina non patiar desiderari. At præter externa documenta, impacto rationum insuper ariete tuas istas, quas comminisceris,

Traditionis

Traditionis turres penitùs iam labefactemus, ac proruamus.

XXXIV. *Castaldus Traditioni necessariò alligat veritatem.*

Quæro enim ex te Castalde, an probatâ tuorum Traditione, rem illico totam te confecisse putes? Sic enim arbitraris, imò disertè pronuncias his verbis: *Nam necessariâ consequentiâ deducitur* (Ignatiana scilicet petitio) *quæ omnia probat ipsa Traditio* [a] : & *necessariò fateri cogimur Traditione* [b] : & *Nigronus non animaduertens Traditionum robustissimas turres, etiam validis coniecturis euerti, nec concuti posse, multa adhuc leuia excogitauit* [c]. Ne aliena quispiam tibi parum æquus, te loqui dicat, totam sic conficere te oportet argumentationem. Quæcumque à maioribus tradita sunt, ea necessariâ consequentiâ vera sunt: Ignatiana petitio nobis à maioribus tradita est: Necessariâ igitur consequentiâ Ignatiana petitio vera est. Quid mussas, atque abnuis, Castalde?

a Anim. II. p. 29
b Anim. VII. pag 32.
c Anim IX. pag. 69.

XXXV. *Quod falsissimũ esse conuincitur.*

Hanc tuam ipsissimam esse ratiocinationem necesse esse, Logici omnes mecum dicent: nec petitionem potes exuere; si enim ex eo, quod est Traditio, dictum probas; necesse omninò est, te illâ niti propositione, quæ iam vides, quàm sit absurda. Sed tu irasceris mihi, vt Nigrono argumentationem à potentiâ ad actum obiicienti, quasi per versutiam, & fallaciam te circumuenienti tuámque mentem alienissimis à tuâ prudentiâ confictis argumentationibus dolo malo interpretanti: negas enim te tam esse impudentem, vt asseras, quæcumque à maioribus tradita sunt, ea necessariâ consequentiâ vera esse; addísque calumniæ postulari me posse, qui hoc tibi affingam: scire te dictum illud audacius esse, atque inconsultius, quàm vt ab homine modesto, atque pererudito (quam vtramque laudem ego tibi libens tribuo) defendi possit.

Anim V.

XXXVI. *Exemplis Traditionũ Synagoga.*

Non te clam esse multa olim in veteri, & adhuc Dei Ecclesiâ à maioribus ad posteros per manus tradita fuisse, non modò falsa, sed absurda, sed impia, de quibus nihilominùs non Apostoli tantùm, quorum

ſucceſſores Antiſtites ſunt, verùm & Deipara Virgo, imò & Chriſtus ipſe veriſſimè iurare potuiſſet, quod Epiſcopi tui iurant, Traditiones illas à maioribus acceptas, habitâſque pro veris, neque cuiquam illorum vnquam veniſſe in mentem de illis dubitare; quas tamen Chriſtus, vt legem Dei euertentes, palàm grauiſſimis verbis accuſauit, atque traduxit; illúdque fundamentum erroris euertit: didiciſſe te à puero, quod nemo Logicorum eruditiorum neſciat, longè aliud eſſe, verè Traditio eſt, &, Traditio vera eſt; quorũ primum Epiſcopi affirmatè dicunt; ſecundum, nec ipſi dicunt,

XXXVII. *Et Hermãni Hæretici,* nec dicentibus ſuo accedunt ſuffragio: Non ignorare te, quod indignum viro docto, atque in Hiſtoriis monumentiſque maiorum verſato ſit neſciſſe; multa olim à maioribus accepta, & diù credita fœdæ ad extremum, atque pudendæ vanitatis fuiſſe comperta: quotuſquiſque enim neſciat, Ferrariæ ex maiorum traditione diù cultum fuiſſe frequentiſſimâ populorum celebritate Hermannum Hæreticum, donec Benedicto IX. Pontifice, detectâ per Prædicatores fallaciâ, impuriſſimi nebulonis oſſa è tumulo extracta, &, quod viuens ille effugerat; debito demum rogo abolita fuerunt? *Ferd. Caſtil. p. 2. l. 1. c. 61*

XXXVIII. *Et Latronis à S. Martino diuinitus detecti.* Quis eruditiorum ignoret propè Monaſterium Sanctiſſimi Epiſcopi Martini, magnâ in celebritate, ac veneratione fuiſſe perditiſſimi olim latronis corpus, ad quod, veluti ad Martyris reliquias, vndique confluerent regionis accolæ, ac vota facerent? & quod adhuc longè fœdius eſt, iacuiſſe ſub altari ab Epiſcopis, Martini deceſſoribus, ſacrato? de quâ totâ fallaciâ, & diuturno populorum errore diuinitus certior factus Martinus, turpes atque impuratas ſceleſtiſſimi hominis reliquias inde abiecit, hominéſque minimè malos, ſed decipi faciles, errore liberauit. *Sulpitius in vitâ*

XXXIX. *Et Talmudi Alcoraniq;.* Non adeò te peregrinum eſſe in Hiſtoriis, moribúſque hominum, quin ſcias; Traditionis honeſtiſſimum nomen anilibus Talmudi deliramentis à Rabbinis imponi:

indidem

indidem inquinatissimis Mahometis vesaniis auctoritatem asseri ab eius insaniæ magistris: Tibi demum nunquam venisse in mentem, vt Propositioni stolidissimæ assentireris. *Quæcumque à Maioribus tradita sunt, ea necessariâ consequentiâ vera sunt.*

XL. *Non suffragari Ordinis sanctitatem.*

Ac ne fortè quis calumniam instruat, quasi verò illam quidem refutes; hanc tamen amplexeris: *Quæcumque à maioribus nostræ familiæ tradita sunt, ea necessariâ consequentiâ vera sunt*; sanctè te item profiteri, hoc nequaquam verum esse; dementissimæ nimirum superbiæ reum fore, qui domesticis vnius familiæ, licet sanctissimæ, traditionibus ita veritatem alligare vellet, vt ab illis diuelli non posset, quod idem est, ac dicere: Necessariâ consequentiâ vera esse, quæcumque in eâ familiâ tradita sunt.

XLI. *Quæ Traditiones necessariò vera sint?*

Addes, didicisse olim te, cùm Theologos audires, magnum quidem Traditionum splendorem esse, eorúmque nomen Ecclesiæ hostibus valdè formidolosum; Verùm triplex illarum genus tantùm esse, quæ vim necessariæ obtinent consequentiæ, Diuinas, Apostolicas, Ecclesiasticas, quo verbo publicâ Ecclesiæ auctoritate comprobatas significamus; reliquas omnes mendaciis obnoxias esse, ac fabulis sæpè mixtas, hominum siue noua fingendi, siue auditis aliquid addendi, detrahendîve mirâ quadam libidine: Harum auctoritatem infra Historiarum fidem à prudentibus haberi; Nam cùm Historici, ni fabulatores esse velint, de rerum scribendarum veritate diligenter inquirant, tempora rebus componant, déque rerum consequentiâ, atque connexione accuratè iudicent; traditiones huiusmodi sæpenumero, vtpotè temerario famæ sinu effusæ, nihil eorum curant, dummodo loquantur; ídque adeò verum esse, vt Historicis ipsis incautè Traditionum nomini credidisse, fraudi sæpè fuerit. Quid enim illustrius morte Alexandri Magni, & Regni successione, quam tantâ pompâ describit Q. Curtius, qui dubio procul aut ipse, aut illi à quibus ipse accepit, traditione

Bellar. Tom. 1. lib. 4. cap. 11.

XLII. *Humanarũ inconstãtia.*

XLIII. *Historicos aliquando deceptos.*

Lib. 10.

traditione audiuerant? Sed hoc quàm illuſtre mendacium ſit, in Machabæorum hiſtoriâ legimus: Imò famâ ipsâ eſſe fallaciores, ac malum ſæpe veritati longè nocentius domeſticas haſce traditiones eſſe, ſcire te non diſſimulas; cùm enim Fama ſit, vt viris doctis placet, *Notitia rei recentis à præſentibus ad abſentes tranſmiſſa*, illæ verò definiantur, *Notitia rei antiquæ à maioribus ad poſteros tranſmiſſa*; quis neſciat plura fingi, addíque poſſe longo temporum, quàm regionum, interuallo? Quid quod Traditio famâ ſæpius nititur, cui quidquam neceſſariæ ineſſe veritatis, quis vnquam auſus eſt dicere? addet enim incerto rumori temporis tractum, & vnius penè ſeculi tenebras circumponet, atque ex illis audebit ſibi membra formare, quæ tamen cùm primùm veritas os aureum extulerit, momento reſoluat. Itaque falſiſſimam te iudicare dices Propoſitionem illam, quamuis domeſticæ famæ finibus circumſcribatur. Nullam enim tam ſanctam, atque in confabulationibus colloquiíſque domeſticis tam religioſam veritatis eſſe familiam, cui non aliquid ex vnius, aut alterius errore poſſit adhærere. Quare, cùm Apoſtolorum, Romani Pontificis, Eccleſiæque totius priuilegium ſit, & quidem longè diuiniſſimum, errare non poſſe, adeóque neceſſariâ conſequentiâ vera eſſe, quæcumque ab illis tradita ſunt, déque illis Chryſoſtomæum illud vſurpari: *Traditio eſt, nihil quæras amplius*, vtramque propoſitionem tam falſam tibi videri, quàm quæ mendaciſſima ſunt. Intuliſſe te quidem mentionem ſacrarum traditionum de Sacramentorum inſtitutione, déque B. Virginis Aſſumptione (quamquam non eadem vtrique auctoritas) eâque ratione, quaſi tua probaſſes, probationis onus in Nigronum reieciſſe; nolle tamen quemquam tibi ex eo calumniam adornare, quaſi auctoritatem domeſtici rumoris ſanctiſſimis Eccleſiæ traditionibus æquaueris; videre te nihil ex illâ comparatione dictis tuis firmitatis accedere, cùm longè diſpar ſit vtrorumque ratio, illis

XLIV. *Minor illis fides, quàm fama habenda.*

XLV. *Neque de illis locutus eſt Chryſoſtomus.*

In 2. ad Theſſal. c. 2.

XLVI. *Neque Eccleſiaſticis Diuiniſve componēda;*

Anim. VI. p. 43.

illis nimirum diuinitatis pondus inesse: tuis leuitatem planè popularem; scripsisse tamen, ne quidquam à te prætermitteretur, quod vel solâ vocis similitudine, ad caussam faceret. Quare vtramque te hanc Propositionem: *Quæcumque à Maioribus tradita sunt, hæc necessariâ consequentiâ vera sunt*; &, *Quæcumque à Maioribus nostræ familiæ nobis tradita sunt, ea necessariâ consequentiâ vera sunt*, inficiari; & primam quidem, vt absurdam & impiam, secundam etiam vt superbam, ac temerariam. Hæc contra me cùm dolenter egeris, Castalde, méque calumniæ postulaueris, quòd ea te sentire dixerim, quæ tu modò verissimè oppugnâsti. Ego qui illo depellor gradu, habeo tamen, quò me recipiam. Quod antequam facio, vt videas, quæ fides incertis rumoribus à viro prudenti haberi debeat, quid mihi Romæ, atque Alexandro Patri Mediolani acciderit, audisse te non pœnitebit. Fabella est sanè iucunda. XLVII. *Quia sæpius falsæ.*

Celebrabatur Mediolani Patrum Carmelitarum Discalceatorum sub annum seculi XIII. cùm paulò antè in eâ vrbe amplissimâ domicilium posuissem; celebrabatur, inquam, fecundissimis plebis, ac nobilium sermonibus vita ad omnem virtutis sanctimoniam exacta, nec supra merita rumor erat: ne tamen fama mendacem se esse dedisceret; paulatim reliqua inter illius Ordinis decora, iactari cœpit Bellarmini dictum; quasi dixisset Fratri Petro Hispano celeberrimi nominis concionatori, atque illius Ordinis clarissimo syderi, si vitæ ratio denuò sibi esset ineunda, se Ordinem illum vtique Societati præhabiturum. Res videbatur ad claritudinem Ordinis pertinere, ideóque creberrimè in sermonibus vsurpabatur. Erant tamen plurimi, quibus Bellarmini virtus, & constantissima in Societatem voluntas esset explorata, adeóque famam eiusmodi contemnerent, nec tamen veritatem sibi inuestigandam censebant, vt alienam. Alexander pater, vir antiquæ probitatis, ratus indignam rem esse, Bellarminum ita traduci, litteras ad eum hac de fabu- XLVIII. *Quod probatur exēplo falsi rumoris de Bellarmino.*

lâ componit,obsignatásque ad me,qui in Vrbe Theologos audiebam,transmittit, vt eas Bellarmino in manus traderem,nec tamen de re quicquam monet.Ego acceptas litteras ad Bellarminum in viciniâ Collegij Romani, vbi nunc Antonius Barberinus Cardinalis tyronibus Prædicatorum splendidissimè ædificat, habitantem, illico defero. Cardinalis inter legendum paululùm erubescere, ac subridere:mihi rubor explicatior iam erat in ore, cùm optimus senex:Scísne, inquit,frater (sic enim nos nondum sacris initiatos humanissimè compellabat)quo argumento hæ à parente tuo ad me datæ sint litteræ ? Tum ignorare fatenti, fabulam narrat,suauissimè arridens, datôque responso(cuius autographum apud me habeo) errorem parenti meo,reliquisque hunc erepturum se pollicetur; additque se olim Petrô dixisse per iocum, se si Ordinem illum ingredi vellet; nudis profectò tibiis non futurum, quòd iam; subsidentibus humoribus, intumescerent.Hæc ille.Iam verò si centum abhinc annis ab aliquo Mediolani Ordinis illius res gestæ litteris mandarentur, &, qui tam validè Bellarminiani dicti increbruit, rumor ad eum ab his, qui tunc audierunt, transmissus perueniret; atque ille dictum eiusmodi, nullâ diligentiore veritatis indagatione,chartis illineret,quâ fide illum acturum putas Castalde?

XLIX. *Quem ille datam ad Alexandrum Rho epistolà repressit.*

L. *De origine fabulæ huius coniectura duplex.*

Mutato nomine de te fabula narratur. Arcani alicuius colloquij ab Ignatio cum Carafà initi (nam cum Caietano nullâ similitudine veri confictum est) famam, facili in nominibus errore, fabulæ occasionem dedisse,si dicam,quid obiicies? Scitum est, eam arcanæ sermocinationis licentiam ésse, vt Liuius aduertit. Quamquam aliquam petitionem intercessisse, Palumbum verissimè fuisse coniectatum, cuiusmodi tibi negare non auso ille obiecit, vt paulò antè narraui, mihi facilè persuadeo. Quærebat nimirum Ignatius Xenodochium aliquod de more,in quod se reciperet, voluítque in illud aditum impetrare,ab aliquo scilicet

vestrum,

vestrum, qui id per ea tempora curabât. Nam hospitem eũ apud vos ad Diui Nicolai fuisse, ægrè admodum animum, vt credam, induco. Quid enim homo longè gratissimus id perpetuò non sine ingrati animi labe dissimulâsset? Rursum quomodo nobilem, ac tam bene moratum hospitem, nullísque adhuc incommodis sermonibus laborantem ad consuetudinem Carafa non admisit; quod post compositas turbas factum demum esse, à te didici? Vtcumque res se habuerit (neque enim vates sum) petitionem illam Ordinis à Caietano fabulam esse non dubito. Certè ex Caietani ore qui audiuerit, testis nullus datur. Sed incertissimis auctoribus tota nititur traditio, ob eámque rem,

In Epistolâ ad Thurn. §.xv.

L I. *Rursum fabula vanitas ostenditur.*

Quæro ex te cur veritati Traditionis huius tuæ firmandæ nullam adhibueris diligentiam? Attulisti tu quidem testimonia Episcoporum, qui immotam apud vos celebrémque fuisse dicunt traditionem, quod ego, te ipso, reliquos inter teste locupletissimo, Falsum esse demonstraui; sed an verum sit, quod à vobis pro vero, sine dubio, habebatur, ne verbum quidem addunt; in quo laudo Antistitum prudentiam. At, inquies, vtcumque sit: Nigrono certè os obstructum est, qui sæpiùs à me traditionem postulauit, quasi herbam daturus, si protulissem; arbitrabatur enim homo leuissimus, me ex meo cerebro Mineruam hanc effudisse: sed ego traditionem meam habebam tanquam gladium in vaginâ reconditum, cuius aduersi fulgore victus, si viueret, in eas, opinor, tenebras abiret, quas dudum subiit. Rogo te, Castalde, ne implacabiliter irascaris, si te ita loquentem facio, didici enim hæc à laudatoribus tuis illis conductitiis, qui adhuc licentiùs in Nigronum loquuntur, quôsque tibi placere, qui ab illis laudari ac probari voluisti, manifestò doces. Verùm ne de Nigrono saltem triumphum ducere te putes, quòd postulatam ab eo tandem aliquando Traditionem prouideris, scias non falsam eum postulasse

Traditionem, ſed veram cui niti poſset Hiſtoriæ fides; non rumores, fabuláſque domeſticis adoleſcentibus in fide, atque admiratione continendis primò timidè ſatas, deinde æuo iam validas, ac Traditionis laruâ minaciter ſe inferentes. Is ſi viueret apud nos, ſtarétque pro eâ veritate, quam ſe olim defendiſse clariſſimâ, vt mihi viri virtus perſuadet, in luce videt, ac lætatur; ſi viueret, inquam, à te quæreret: Quiſnam huius traditionis auctor ſit? nam ſi obſcurus, ſi incertus, ſi nullus demum eſt, obſcuræ ac nullius auctoritatis, qui apud vos rumor increbruit, pro verâ traditione afferri non debuit. Sed audio: Antonius Vicodarzere ait, ſe ab antiquioribus hoc accepiſse, etiam antequam Religioni nomen daret (ſpecioſa enim narratio eſt alliciendis adoleſcentium animis non inepta) ſed præcipuè ab Ioanne Antonio Prato, qui cum Caietano egerat, cuius nouitius fuerat. Nihil agis Caſtalde. Nũquam enim dixit Pratus, id ſe à Caietano audiſse, quod ſanè ſi audîſset non diſſimulaſset, vt maior dicenti fides haberetur; & auditurum ab eo fuiſse, ſi Caietanus hoc vulgauerat, aut, cùm eo familiariter vteretur, interrogaturum quis dubitet? Verùm nihil huiuſmodi à Prato factum, dicit Vicodarzere, ac ne Pratum quidem à Caietani ſociis ſe accepiſse, teſtatum vnquam fuiſse: quamquam de Prato iam diximus, eum inter Caietani mira, quæ in monumentis Ordinis condenda conſcripſit, nihil huic rumori detuliſse. Quare, cùm Traditionis caput non habeatur, & Caietani æquales teſtes producantur, qui profectò ab eo ſcire potuiſsent, eam flocci Nigronus penderet. Non enim credo te dicturum flumen hoc ſermonum ex paradiſo veritatis fluere, cuius ideò ad caput veniri non poſſit; nam licet Ordinem tuum illuſtriſſimum, præ noſtro humillimo Cœlum appellaueris allato teſtimonio Iſaiæ: *Quantum exaltantur cœli à terra*: tamen ne de te tam ſiniſtrè ſentirem, quaſi familiæ tuæ auctoritatem Eccleſiæ æquares, paulò antè me ſapienter

[Left margin: LII. *Cum nullus idoneus teſtis adducitur.*]

[Right margin: Anim. II p. 28.]

[Left margin: LIII. *Cum caput non habeat.*]

[Right margin: Anim. X. p. 89.]

ter

ter admonuisti. Quæreret præterea Nigronus, quoniam incerto partu edita traditio est, an à magnis viris saltem sublata fuerit, atque educata? an membranis veteribus, quasi fasciis inuoluta, & firmata? Hæc ille si quærat, tu quid responsi dare possis, Castalde, non video: Mittamus enim Nigronum, ne vnus aliquis laudatorum tuorum, te probante, infausto eius *Crocitatu* offendatur; Quæro ego, quis ante seculi huius XII. à XXXVI. superioris, quo gesta esse dicitur, rem hanc Historiis prodidit? nemo: Historiis, dixi? quis priuatos retulit in commentarios? nemo: quis membranis commendauit? nemo: Quo illæ in tabulario asseruantur? in Vtopiâ? Scio scribere te, asseruari ad D. Pauli Neapoli nescio quid huiusmodi, sed scio etiam eas litteras quas ab amicis Florentiæ accipiebas anno XI. seculi, quum Caietani vitam elucubrares, eò à te illatas, vt nobile olim essent antiquitatis monumentum: vbi etiam recentissima Episcoporum testimonia deposuisti, in eamdem spem. Quod mihi prædicendum fuit, ne hæc olim ex illo veluti antiquitatis sacrario prolata, venerationem inuenirent. Vide igitur, Castalde, an rumor domesticus, nullo certo patre editus, atque à viris magnis per tantum æui neglectus, à te demum adoptatus in fidem ac patrocinium, pro verâ Traditione, quam Nigronus postulauerat, obtrudi possit.

LIV. *Neque ab vllo Antiquiore fuerit scripta,*

LV. *Sed recentibus testimoniorum tabulis in Neapolitanum tabularium illatis.*

Anim. II. p. 16. & 17.

Hîc enimuerò mihi venit in mentem nobilis illius fabellæ, quam superiorum seculorum indiligentiâ progenitam, atque impio plausu à Sectariis, Nouatoribúsque exceptam Baronius, Bellarminus, viríque alij oppidò magni ac nuperrimè Leo Allatius eruditissimo edito libello profligârunt, de Ioãna Papissâ. Ea enim, si tua hæc ratio agendi valet, optimè defendi posse mihi quidem videtur, tuæque Ignatianæ petitioni adeò similis est, vt aqua aquæ ex alto haustæ puteo. Vis mutemus partes personásque? Sic enim res tota clarior apparebit. Fiat. Aio verissimam illam esse

fabellam, quæ longè fabulosissima est. Tu quid ais? Rogas? inquis, nego. Quare? Quia à grauioribus auctoribus antiquis tradita non est, qui profectò rem tantam non dissimulâssent, illos quippe latêre certè non potuit. At rumor de illâ antiquus est, neque enim illam ex Mariani Scoti, quem primum eius esse auctorem volunt, capite, vt Pallas armata, & minax orta est. Sed enim æqualem illorum temporum non habes. Nec tu tuæ Ignatianæ habes petitionis; nam vt hæc à tuis Episcopis audita sit; ita illa à Martino Polono, & Platinâ Historicis cætera non malis audita, & scriptis prodita. Sed, inquis, Baronius, & reliqui, temporum diligenti habitâ subductâque ratione, illam vanitatis arguunt. Hi quidem, te indice, ineptè faciunt: quid enim *tempora moliuntur, & moras*? totus hic labor inanis est: neque enim temporum ista momenta in rebus antiquis sunt examinanda. Sed iidem plurimis rationibus cubilia fabulæ planè subuerterunt, inquis: Quomodo? Quæro enim an demonstrantibus rationibus id faciant, quòd tu negantibus onus imponis? Rursum; an testes producant, qui actum à sensu remoueant, quod tu ab iisdem necessariò præstandum doces? Non, opinor, faciunt, quî enim post tantum æui id possunt? Si de recentis adhuc memoriæ facto quæstio sit, sciri poterat à prudentibus tua illa lex: quæ, cùm de antiquioribus noua exoritur dubitatio, inter ἀδύνατα prorsus reiicienda est. Vidésne igitur Ignatianæ tuæ huic petitioni rumorem nescio quem, Traditionis nomine à te infucatum nihil addere probabilitatis, atque ex silentio auctorum, cæterísque coniecturis *negatiuam* optimè probari? Plura adhuc dici possunt ad conuellendam tuam hanc inanissimam Traditionem, nisi his, quæ hactenus disputata sunt, penitùs concidisset. Nihilominùs, ne quid à me possis desiderare, memineris neque vnius libelli, quem tamen nullum habes, tantam esse auctoritatem, vt veritati officiat. Quid? defendésne adhuc *Itinerarium perfectionis Christianæ*,

Anim. IV. p. 38.

Anim. III.

Ibid. p. 31.

Christianæ; quod semel iterumque Io.Baptistæ Pegnæ Clerici Regularis nomine, non dicam per sycophantiam; sed per crassam indiligentiam editum est, illius partum esse, quem Bagnacaualli Minorum Conuentualium Generalis, & Iosephi Clericorum pauperum Matris Dei, quos Scholarum piarum dicimus, luculentissimis testimoniis Antonio Cordetio Catalauno Societatis nostræ homini vindicatum scis, ac Panormi publicatum? Enimuerò quia in Pegnæ cubiculo post eius excessum inuentum fuit M.S. illi adscribi non debuit. Nimirum faciles homines sunt, qui ea, quæ ipsi amant, & vera esse, & ab aliis credi volunt. Ipsis Apostolicis *Breuibus* litteris fraus sæpe fit. Sed lubricus locus est, ideòque abstineo. Caue tamen vanam aliquando ex dolo malo subrepsisse Traditionem homines leuissimi Panormi extundant. Intelligenti pauca, & hæc tibi tantùm.

LVI. *Falsos rumores etiam in Religiosis familiis percrebrescere.*

Verùm antequam interrogationem hanc de Traditione absoluam, consilium à te peto, Castalde, vel lémque à te discere; quibus tandem Traditionibus fidem me habere par sit: de humanis loquor, deque illis præsertim, quæ in Religiosis familiis, nescio quo fato, non modò percrebrescunt; verùm etiam ex domesticis latebris à parum cautis, vt mihi quidem videtur, Scriptoribus publicam in lucem Historiarum nomine protruduntur. Ego enim, vt qui non semel tantùm fuerim deceptus, iam omnia suspecta habeo, latéque, quò exploratò credam, temporum ac personarum, vt ita dicam, regiones circumspicio. Habeo namque triplicem Traditionem trium Religiosissimorum Ordinum, quibus ego quidem, nisi tu aliter doces, minimè libens credam; vereor tamen, ne illorum offensionem incurram.

LVII. *Cuiusmodi Caracciolus vult esse cucullum Carafa.*

Quid, rogo te per tuam fidem, respondere debeo Benedictinis Monachis, qui ex antiquâ Traditione, imò ex Historiæ fide Ioannem Petrum Carafam Fundatorem vestri Ordinis, vt suum olim Monachum à vobis

à vobis reposcunt, nixi auctoritate Gonzali de Illescas, qui Hispanicè Pontificum vitas composuit? Huic enim viro fidendum negat Caracciolus tuus, nullâ quidem *negatiua* additâ probatione, Sed addere potuit, ideo se negare, quòd homo prudens, ac famæ suæ minimè prodigus, rem timidè narret, nec omnino affirmet; sed esse qui credant, dicat. Quamquam acerrimam tibi de hac re totâ cum Constantino Caietano Abbate Sancti Baronti litem susceptam esse video: edidisti enim anno superiore proximè euoluto libellum, cuius suprà memini, indito *Iudicij* nomine, in quo latâ sententiâ illum indiligẽtiæ ac vanitatis damnas; quod iuréne, an iniuriâ facias, meum non est anquirere. Risi tamen, quum in manus venit is libellus: quidni enim riderem hominem, qui aliorum fines vanissimo nixus rumore incursauerit, suos iam vix tueri? & qui Ignatium sibi voluerit præripere, iam Carafam vix posse retinere? Quis hìc non videat, *Per qua quis peccauit, per eadem puniri?* quod à me ita dictum te intelligere velim, vt de Historiæ peccatis tantùm loquar, neque de tuo animo quidquam à Religiosæ vitæ sanctitate alienum suspicer. Cæterùm is est Barontinus Abbas, si bene hominem noui, qui vadimonium deserturus non sit, neque aduocato opus habeat. Quàm verò ridiculum estè tuorum Scriptorum synceritate argumentari te, qui viros in Historiâ clarissimos Ribadeneiram atque Orlandinum, quum tibi placentia non loquuntur, fasitatis arguas? quæ enim tuorum tanta est præ cæteris auctoritas? Rursum quum externorum auctorum silentio Constantini dicta reprehenderes, satisne memineras neminem omnino neque externorum, neque tuorum Ignatianam petitionem, præter vnum te, commendâsse? Quid igitur mihi tandem responsurus es, si Scriptorum silentium non externorum dumtaxat, sed tuorum etiam cum Nigrono obiecero? Quis mihi hac argumentatione interdicat? Quid si Athanasij dictum vsurpem

Lib. 6. cap. 10. In collectaneis de vitâ Paul. IV.

In Epist. §. XVI. & XXXI. & in Certamine Animad. X & alibi.

Epist. ad Epuect. vsurpem: *Maiores nostros non ita sensisse*, quo tu aduersùs *Barontinum* vteris? Quid si ab aduersariorum Ignatij *obmutescentiá*, qui tertius tibi locus est, ego pariter argumenter? Quem enim ex Ignatij ac Societatis hostibus, quos plurimos fuisse, atque adeò esse non negabis, & quidem acerrimòs, quíque frontem hæresi magistrâ strenuè perfricuerint, huius fabellæ auctorem habes? At si Ignatio, te quidem iudicè gloriosum Anim. X p. 80. & dein ceps fuit alienum Ordinem, prioribus consiliis omissis, appetere; cur probrosum Carafæ futurum fuisse credis, Cassinensium cucullum induisse, vt propterea id illi ab hostibus, aut parum æquis ita obiici debuisse confirmes, & ex illorum silentio nihil ab eo huiusmodi In indicio § 3. tentatum fuisse contendas? Et ego iure dicam: *Itaque aduersariorum Ignatij obmutescentia nobis, ac veritati plurimum fauet.* Vt vt sit de Cassinensibus.

LVIII. *Quem & Prædicatores affirmãt.* Quæro ex te, quid de Prædicatoribus sentire debeam, qui non suum in Ordinem propenso animo fuisse, quod tu *Iudicij* tui §. I. scribis, sed apud se aliquãdo egisse adolescẽtem adhuc Carafam habitumque ordinis gestâsse, quem tamen postea, parentibus rem ægriùs ferentibus, posuerit; affirmatissimè tradunt? Tu verò ne credas, inquis. Quidni autem? nam hoc Neapoli pro concione, vestro in templo, die festo Caietani ad circumfusam nobilissimam coronam ex Prædicatorum Ordine Orator confidentissimè dixit: quod equidem ab illo dictum nollem, neque enim tãtum inde lucis Prædicatorum familiæ in Republicâ clarissimæ potuit accedere, vt vestris propterea Luminibus ille quoquo modo officere, ac vobis ægritudinem afferre debuerit. Sed dixit nihilominus. Caue tamen, inquis, credas. Ego enim rem huiusmodi falsam puto. At ille nititur Historiâ sui Ordinis, quæ hoc narrãt. Sed inquis: quæ vnius Lopezij post tantum æui id asserentis auctoritas? At aiunt, in commentario Legationis Bernardi Nauagerij, quem ille Venetias reuersus, Senatui obtulit, id haberi, cùm de Ponti-

ficis naturâ, moribus, rebúsque gestis agitur? quasi verò vnius Senatoris dicto in alienis factis peregrinanti fidem habere tu debeas. At Stephanum Sampaium in Stemmate Dominicanorum, & Sandoualium Episcopum Pompeiopolitanum in libris de vitâ Caroli V. & Petramalarium in Paulo IV. & Panuinum auctores sui dicti laudant. Nugæ; qui enim hi sunt, quos mihi anteferas, præsertim cùm non nemo illorum rem satis timidè scribat? Caue, credas. Parebo consiliis.

LVIII. *Et Camaldulenses solitudinē petere cū Sociis voluisse tradunt.* Sed nondum quieto esse licet per Camaldulenses; nam & hi Carafam ad se trahunt. Legi enim in illorum Historiâ post abdicatum Episcopatum cum tribus eiusdem propositi litteris illum suo atque Sociorum nomine datis ad Beatum Paulum Iustinianum, id temporis adhuc superstitem, vt se sociósque suis *Eremitis* adscribere vellet, vehementer postulâsse, nec impetrâsse tamen. Quid hîc me facere iubes, Castalde? hoc enimuerò ad præclaram Christianæ demissionis laudem pertinet, non minùs, quàm Ignatij, te quidem arbitro, commendet humilitatem? Adeòne, respondes, fabulis delectaris, vt Carafam tantâ virum constantiâ, ob quam ineptis quibusdam obstinatior ac contumacior aliquando videbatur, hoc spiritu vertiginis agitatum fuisse tibi persuaderi patiaris? An non ego scripsi ab Episcopatu ad nostrum condendum Ordinem discessisse? Ini temporum rationes, tota ea fabulositas profligabitur. Putásne hoc Carafæ tentamentum incognitum nobis futurum fuisse, qui hominis gesta summâ fide ac diligentiâ composuimus? Quid homini extraneo ac rumusculosos, nescio quos, secuto (nam si veterum tabulis niteretur, produxisset illas, ac ritè obsignatis egisset) quid, inquam, homini in rebus nostris hallucinanti, ac suæ eremo celebritatem aliquam ex hac fabellâ captanti credis? Hoc qui faciat, ineptè faciat; nam antiqua sine teste componentibus, nulla per me fides debetur. Ius quidem

postulare

postulare videris, Castalde, verùm ego vehementer vereor, ne causâ cadamus. Lucas enim Eremita Hispanus tabularum antiquarum fidem appellat. Audiatur: *Extat præterea Epistola quædam propriâ manu* (Carafæ, de quo agebat) *scripta, ex quâ ostenditur eundem Carafam voluisse cum quibusdam sociis simul cum Paulo Eremitam fieri, sed ad aliud maius à Deo vocatus non potuit desiderium explere.* Hæc Lucas, cuius fides vt constet, Carafæ Epistolam, quam appellat, integram infra in loco reddam. Quid hîc mihi faciendum censes? Quid consilij das Castalde? Iste Epistolam laudat Carafæ manu exaratam, cui fidem non habere res dura sit. Quid ais? Noli credere, fabula est. Quam ob causam? quia nobis omnino ignota, & Carafa ad prædicationem verbi Dei vocabatur, non ad solitudinem. Hæc ais? & me nihil eorum credere iubes? Iubeo, inquis. Parebo igitur, Sed hac lege, vt nec tibi, eiusdem æui res adhuc obscuriores expromenti (nam Camaldulina litteris actam rem prodit, tu arcani colloquij petitiones ac repulsas refers) sine teste credam. Abibam iam hinc collecturus paucis, quæ de huius traditionis vanitate disputaui; sed retinent, iniectâ veluti manu, Clerici Congregationis Somaschæ, nouámque afferunt, auctore Stellâ, traditionem de cuius fide mihi necessariò es interrogandus: sed differamus in aliam interrogationem; longiorem enim disquisitionem requirit.

Hist. Romualdinæ lib. 3. c. 15 impressæ anno 1587.

LX. *Appellatio litterarum Carafæ chirographo exactæ fidei;*


LXI. *Cui si fidem habendam negat;*

LXII. *nullam mereatur Castaldus.*


LXIII. *Ex quibus omnibus Traditio planè euersa, vanitatis conuincitur.*

Vt ergo paucis multa complectar: Quùm traditio, quæ ab Episcopis clarissima fuisse dicitur, Castaldo auctore, rei sub ruinâ temporum latentis, aut nulla, aut obscura fuerit; Ideóque Caracciolo, & Tufo, & ignorata, & neglecta: rursus cùm traditioni sine vllo certo teste, domesticis sermonibus auctæ, non modò necessariâ consequentiâ, quod Castaldus docuit, non insit veritas, sed plerumque adnascantur fabulæ, vt exemplis palàm fa-

ctum est; Tertiò cùm de rebus alienis, & ipsâ temporum longinquitate obscuris, sine tabulis notæ fidei, & sine teste scribenti nulla debeatur fides; Traditio, quam tertiâ demum actione Castaldus excudit, nec Nigrono, qui Historicæ notæ non fabularis traditionem postulauerat, satisfacit: nec caussam ipsam quidquam iuuat, quod mihi fuerat demonstrandum.



INTERRO



INTERROGATIO QVINTA.

DE ARGVMENTATIONE à potentiâ ad actum.

Iure quàm optimo illius accusatum à Nigrono Castaldum videri, qui euersâ Traditione totus adhuc in illa detinetur.



I. *Quomodo aliquid in scripto contineatur.*

Anim. V. & Anim. XXII. p. 171.

VÆRO abs te Castalde, qui Logicissimus haberi vis, & Nigronum acerbissimè accusas, quasi vel dolo malo, qui à Religioso sene abesse debuit; vel supinâ Logicarum præceptionum ignoratione, quæ virum in litterarum studiis ab ineunte ætate versatum maximè dedeceat, tibi perridiculam, & puerorum sannis dignissimam argumentationem à potentiâ ad actum obiecerit; Quæro, inquam, an satis verè ab Angelico dictum putes, rem quampiam duplici ratione in aliquo scripto contineri posse, *Vel per verba, vel per sensum.* Dabis hoc, opinor, Thomæ, vt dicenti fidem habeamus. Quamquam res est exploratissima, vt nullâ etiam additâ Theologi auctoritate, de illâ tamen dubitare nemo possit.

P. p. q. 36. a. 1. ad 1.

II. *Nigroni de argumẽto à potẽtiâ ad actum sententia.*

Age, dic ergo, Castalde. Obiicítne tibi aliquando Nigronus, his te verbis vsum: *Potuit Venetius esse Caietanus cum Ignatio; Ergo fuit?* Hoc si Nigronus fecit, impudentissimè, ac per summam sycophantiam fecit; non defendo; non excuso, non deprecor, quin conuitio sapientium omnium vapulet: quin non modò eru-

ditorũ Senatu moueatur, sed in nullo etiã honestorũ hominũ ordine consistat. Nusquã enim in illâ tuâ Epistolâ tam fœdè verbo lapsus es: legi eã acutissimis oculis, semel, iterum, tertiò; magnâ ac liberâ voce testor; nihil huiusmodi inueniri. Sed quid te hoc iuuat, caussámque tuam, Castalde, de quo illud Ciceronis de Theophrasto vsurpare possit Nigronus: *Nusquam quidem id dicit omnino sed quæ dicit, idem valent?* Cedo locum, in quo te illa dixisse Nigronus asserat. Ille quidem Epistolam tuam omnem in particulas diuisam summâ fide, validissimis rationibus euertit; neque ignorare potuit, te verbis illis nusquam vsum, neque vir veritatis religiosissimus voluit affingere. Quo ergo iure mihi perridiculam obiicit, inquis, argumentationem? Eodem, quo idem ego facio, qui te à potentiâ ad actum totâ illâ epistolâ passim argumentari confirmo; quia nimirum fecisti; nos enim ouum ouum, & malum malum dicimus. Ego feci? Tu ipse non quidem *per verba*, sed *per sensum*, vt cum Theologo loquar, quod non Logices ignoratione vllâ, sed disputationis ardore quodam elatum te fecisse, non admodum mirum est; viros etiam magnos, vbi acriùs incaluerunt, errore labi non semel videmus, quem ipsi quidem minùs deprehendunt, sed qui audiunt, facilè vident. Cur igitur irasceris implacabilibus modis Nigrono, si in Logicis ab adolescentiâ versatus, id statim vidit? At dissimulare debuit, nec semel, iterúmque repetere; rem suam ageret, errorem in publicum non efferret; hoc est, quod mihi dolet; doleo & ego, factum à Nigrono nollem; sed cùm propiùs, collato argumentationum pede, certatur, id fieri amat, & sine iniuriâ dicitur, & sine iracundiâ refellitur. Ego certè iam dissimulare non possum, sed verissimè à Nigrono dictum, téque, si traditionem Nigrono ignotam (quæ enim potuit esse cognitio rei, quæ nondum id temporis existebat?) tantisper seponamus, eodem etiamnum argumentationis vitio teneri, planissimè affirmo. Age, dic Castalde,

In Tuscul.

Anim. 5. p. 40.

III. quo vtitur Castaldus in suâ Epistolâ.

Castalde, an non verum sit, quod iam narro. Scripseras Ignatium cum Caietano Venetiis colloquutum. Negauit Nigronus, rationésque addidit suæ inficiationis. Non potuisse verosimiliter, quo tempore Ignatius Venetiis agebat, ibi Caietanum esse, qui id temporis Neapoli à vestris Historicis fuisse dicatur. Hæc ipsissima Nigroni argumentatio est. Excute iam totam tuam Epistolam, si vel vnum verbum inueneris, quo Caietanum, vel iuisse Venetias, vel verosimile id esse probes, tum ego Nigronum boni viri officio defuisse dicam.

In Asceticis

IV. *Semper probans potuisse excurrere.*

Ego sanè hac ipsâ gratiâ semel iterúmque diligentissimè totam legi, neque vestigium vllum, vel leuissimum obseruare potui, huius quæ petebatur, probationis; nam illud vnum perpetuò vrges; *Potuit* §§. VIII. *Potuit Venetiis consuetudinē cum Ignatio habere:* XV. *Ergo eo tempore, quo B. Caietanus Venetiis adesse potuit, Ignatius Venetiis morabatur:* XVII. *Fortasse hæc commoda mouere.* XVIII. *Nec eâ ambitionis face vreretur* (Ignatius.) *vt vellet noua prolis parens appellari. Poterit facilè in illum mentem incidere, facilè allicere potuit.* Vidésne quoties ad hoc *Potuit* tanquam ad metam hæreas? Iterum dico, in totâ illâ Epistolâ, in quâ, an ea res facta fuisset, quærebatur, verbum nullum dixti, quo factum probares; potuisse fieri absolutè, atque, vt subtilissimi solent Philosophi, Metaphysicè probas, quod nemo, opinor, negauit; potuit enim, vel in duobus locis esse, Deo naturam legibus suis soluente. At non id quærebatur, sed an ibi verè fuerit. Non erat, quod Nigrono potentiam Venetæ profectionis probares, qui eam nunquam in Asceticis negauerat; sed eâ Profectione ex silentio duorum Historicorum, quorum vnus alias omnes exequitur diligentissimè, improbatâ, colloqui viros sanctos non potuisse validissimè confecerat.

V. *Quùm Nigronus probasset non excurrisse.*

Immò Dissertationis *Num.* 39. ad Epistolæ tuæ particulam XII. sic disertè ait: *Potuit enim, sed aquè non potuit; nisi probetur excurrisse, semper iure negabitur illa excursio.*

excursio. Et si Nigronus, potentiam probabilibus vsus coniecturis negauit, illarúmque consequens esse dixit, non fuisse, Logicissimè argumentatus est. Tu, qui potuisse, quamuis frustrà probare conaris; vide quid efficias, nisi potentiæ illius consequens esse dicas, fuisse, quod à Nigrono è dictis tuis confici doles. Quid enim aliud facere potuit homo pereruditus, (& quem tibi præhaberi in Logicis profectò irasci non debes, vtpote in scholis diù versatum) quùm obortâ de facto controuersiâ, aduersarium de eo silere, totâque effusâ vi Potentiam probare videret? Sic disseruerat Nigronus: Quo tempore Ignatius Venetiis fuit, validissimis coniecturis manifestissimè probatur, Caietanum ibi non fuisse; non ergo colloqui potuerunt.

VI. *Ideóque colloqui nõ potuisse cum Ignatio.* Hanc tu argumentationem vt eludas, debes Propositionem assumptam euertere, quod tamen nusquam facis; nec facere in illâ epistolâ conaris; nihil enim aliud agis, quàm probare (non dico, quàm benè). potuisse ibi adesse. Nihil ergo Nigrono respondes, aut si respondes, Potentiæ consequens actum facis. Hoc tibi Nigronus obiecit, quod nunquam dilues.

VII. *Quæ valida est ratiocinatio.* Quid ais? Propositionem negas? Quæro, quomodo? Qui fieri potuisse doceo, vt adesset. At hoc nunquam negauit Nigronus, sed non fuisse docuit, ídque probabilibus argumentis factum negauit: Consequutionem fortè Nigronianæ ratiocinationis negas? Quomodo id facias, quæro. Quia, inquis, quod Nigronus factum fuisse negat, quia fieri non potuit, ego fieri potuisse luculenter doceo. Videamus hoc. Quid negat Nigronus? Potuisse Caietanum Venetias per id tempus excurrere? Non de hoc quæritur primò, sed cum Caietano locutum Ignatium, qui est quæstionis titulus. Tu Castalde fieri potuisse doces, quod Nigronus suâ in consecutione non inficiatur. Concludit enim Caietanum, quippe qui Venetiis non fuit, cum Ignatio colloqui non potuisse. Quare da mihi paululùm placidas aures, & veri, quod te virum optimum amare

non

non dubito, patientes, conabor tibi falsam hanc opinationem eripere, ne à Logicis paulò acutioribus rideaaris.

In vitâ B Caietani, c. 5. Scribis primò Ignatium Venetiis Caietanum conuenisse. Nudum hoc tuum figmentum reiicit Nigronus in Asceticis hac argumentatione: Caietanus Venetiis tum non fuit; neque enim verosimiliter potuit; Non igitur verosimilia narras, & quia sine omni probatione, ac verosimilitudine narras; falsa dicis. Quâ sanè argumentatione ad Logicam amussim nihil in hac totâ caussâ potuit exactum magis excogitari. Tu contrà totâ tuâ Epistolâ eâdem in fide aberrans, tuum illud *Potuit* ingeminas: quo ex dicto, si quidem contra Nigronum aliquid conficere vis, illud necessariò colligere debes: Ergo fuit, & loquutus est. Teneris, opinor; neque tamen caussam irascendi habes; nam & viris magnis, vt prædixi, dicta tuendi amor sæpe fucum facit, in eósque laqueos induit; quos si quis adductis capitibus adstringat, tum se teneri sentiunt. Cùm enim validas omnino Nigroni coniecturas, atque rationes esse non ignorares, ísque alterâ suæ propositionis parte fieri id verosimiliter potuisse inficiatus esset; putâsti egregiè te satisfacturum, si eam quomodocumque infirmares; Quasi verò Nigronus, aut quispiam sanus ignoraret, nusquam, & nunquam ex ipsâ rerum naturâ duos hos terminos pugnantes esse, *Caietanum*, & *Venetias*, vt simul alligari non possent, sed quia commodè fieri non potuit, & nulla rei probatio fuerat allata, & multa vndique obstitisse, ne fieret, demonstratum fuit, iure optimo negauit Nigronus. Quare quæ ex Iurisprudentiæ scitis in medium affers, extra caussam sunt.

VIII. *quod euidenter palàm fit.*

IX. *Sacramentorum institutionem nō præsumi, sed diuina fide credi.*

pag. 42. Quod autem ais: *Aliquorum Sacramentorum institutionem, & Matris Virginis in Cœlum Assumptionem, aliàs non probari, quàm traditionibus, & tamen firmiter præsumi.* tibi quomodo dicas erit videndum. Mitto de Assumptione Magnæ Virginis quærere. Túne *Sacramentorum*

institutionem præsumi ais? Eáne præsumuntur, quæ diuinâ credimus fide? Quæ est ista loquendi nouitas? An exciderat mente Concilij Tridentini Canon 1. *sess.* 7. in hæc verba conceptus: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis à* IESV CHRISTO *Domino nostro non esse instituta, Anathema sit.* Quod & ab ipso proximè factum decerni aliis eiusdem Concilij locis planè euincit sapientissimus Suarius. Hanc tu rem tam certam, atque exploratam ad præsumptionem reuocas? Fidémne ego præsumptionem dicam? Quæ igitur illius firmitas? Cùm enim non de rerum naturis, sed de liberis hominum actionibus quæritur, nulla ineluctabilis præsumptio est. Sed fac esse; fac de causarum, effectorúmque fœdere, atque colligatione sermonem esse; quis violentissimam, vt Iurisconsulti loqui amant, quæ ab illis ducitur præsumptionem fidei componat? Si fumus ascendat, ignem esse: si cui demptum sit caput, eum diem suum obiisse: si quis Mediolani Kal. Maij stipuletur, eum tunc Romæ non esse, violentissimæ præsumptionis esse docent Iurisconsulti. Verùm aliquid ego longè firmiùs credo, cùm fide diuina credo; quod nemo inficiari audeat? Nullius ergo præsumptionis nomen fidei diuinæ suffici potest; quod si me docueris, ingentissimus mihi, & Iurisconsultus, & Theologus hoc nomine, & omnino magnus eris Apollo; nam me huiusmodi loquendi formam clam esse fateor. Scio te aliquid ex Menochio lib. 1. q. 3. num. 14. comminisci posse, sed fides, quæ hominibus adiungitur, & quæ Deo habetur, longè disparantur. Sed vt ista iam mittamus:

Tom. 3. in 3. p. disp. 12. sect. 1.

Menoch. de Præsumpt. lib. 1 q. 3.

X. *Quas ob res iuste Nigronus Castaldum reprehendit.*


Cùm Nigrono nihil à Castaldo totâ suâ in Epistolâ probationis allatum esset, quod verosimilitudinem congressus Ignatij, & Caietani comprobaret, sed tantum absolutam eius potentiam, quam ipse nusquam fuerat inficiatus, cuiúsque consequens factum non est, rectissimè illi vitiosam argumentationem obiecit. Quod mihi hac interrogatione probandum fuit.

INTERRO



INTERROGATIO SEXTA, DE CHRONOTAXI.

Anim. IV. *Temporum rationem maximam in Historiis habendam esse ad rerum antiquarum veritatem eruendam, immeritò negare Castaldum, eámque iure depoposcisse Nigronum, ostenditur.*



VÆRO ex te Castalde, an quùm Animaduersioni tuæ IV. titulum faceres, *Temporum momenta non subtiliter expendenda; non enim officit, quando res euenit ignorari*, an, inquam, Historiarum omnium fundamenta eruere, ac veritatis indagationi viam omnem occludere volueris? id quidem strenuè tu agis. I. *Ratio temporum Historia necessaria.*

Legerásne apud M. Tullium, *Rationem rerum* (in Historiâ) *ordinem desiderare*? Et Historiam ab eodem *Testem temporum* appellari? Et reprehensionem Antonij, cùm Ciceroni obiecisset, eius operâ Pompeium à Cæsaris coniunctione auocatum, iure accusari, quòd *Non quidem in re totâ, sed quod est maximum, in temporibus errauerit?* II. *Ex M. Tullio, &*

Sciebásne à Dionysio Halicarnassæo Fabium, ac reliquos Romanarum rerum scriptores, vno excepto Pisone, grauissimorum errorum postulari, quòd neglectâ temporum ratione, fabulas sæpius quàm Historias III. *Dionysio Halicarnassæo.*

condidiſsent, ac nominatim Valerium illum Antiatem, qui temporum ignoratione deceptus Pythagoræ auditorem Numam fecerit?

IV. *& Baronio,* Recordabaríſne Baronij tuis contraria docentis, quum de Nerone agens, illum eſſe Antichriſtum, Pauli eâ ad Theſſalonicenſes Epiſtolâ probari minimè poſſe contendit, quòd ipſa Claudio Cæſare ſcripta fuerit ab Apoſtolo? Cuius hæc aurea ſunt verba: *Ex quo manifeſtè videas quod ſæpe inculcamus, quantùm conferat exacta in rebus inueſtigandis temporis ratio, ſine quâ interdum labi in portentoſos errores neceſſe ſit.* Probaueráſne eiuſdem iudicium, quo in antiquitate iudicandâ vir ille magnus ſemper vſus eſt acerrimo, quùm ad annum LXXVIII. in hæc ſcriberet verba: *At quoniam quid quo anno geſtum ſit, ex antiquis iiſque veris Eccleſiæ monumentis, certum exploratúmque reddi non datur, conſultius exiſtimamus hos* (annos) *rerum noſtrarum vacuos relinquere?* Tom. 1. anno Christi 70. §. 3. Ibid. Tom. 1.

V. *Aliiſque.* Reputaueráſne apud te, ante inuentas Olympiadas tempus fabuloſum dici à Græcis, quia quùm diuinis carerent monumentis, nullis etiam illud diſtinguere notis poterant; ob eámque orbationem fabulis opportuniſſimum fuiſſe iudicabant; quibus ipſas tamen qui veritatis laruam circumdare volunt, temporum membra, & articulos diſtinguunt? Hæc qui conſideraucrit, titulum illum tuum minimè probaturum, pro certo habeo.

Quæro rurſum ex te, Caſtalde, an quùm alios temporum lege teneri velis, eâ te ſolutum putes? quodnam tuum hoc eſt priuilegium? Si enim priuilegio non vteris, iniuriam Conſtantino Caietano facis *Iudicij* tui §. V. eum ad diligentem temporum collationem vocans, probaturus nullum ſupereſſe, quo Carafa inter Caſſinenſes Monachos nomen potuerit profiteri. Quid ſi enim Conſtantinus tuum iſtud tibi reponat, *Temporum momenta non ſubtiliter expendenda; nō enim officit, quando res euenerit, ignorari?* quid ſi eâdem Anim. IV. p. 36.

te

te accuſatione percellat, quâ tu dicam Nigrono impingis, clamétque te *Tempora moliri & moras*? Quamquam Conſtantinum tuâ illâ temporum partitione non tenes: ab anno enim MDIII. quo Carafam Primicerium Neapoli fuiſſe doces ad annum ſeculi eius VII. quo Theatinus Epiſcopus factus eſt, duos annos habet Conſtantinus, quos conſuendo, atque induendo cucullo ſatis eſſe dicet. Videſne igitur, vel te magiſtro, grauiter à te contra Hiſtoriæ leges peccatum, quùm titulum illum ſcriberes? Sed

Ibid. p. 38.

Quæro ampliùs abs te, cur additis tribus verbis totam hanc reprehenſionem non effugeris, poteras enim feciſſe, ſi addidiſſes; *Quùm de re conſtat*; Quùm teſtes de viſu, aut de auditu deponunt, tum de illis viſionibus atque auditionibus, quarum teſtes ſunt, articulos omnes temporis anxiè ac religiosè examinari minùs eſſe neceſſarium iudicibus, ſi me tibi Iuriſconſultiſſimo, & quos allegaſti Doctores, iubes credere, ne contentioſiùs agam, quoniam id extra cauſſam eſt, libenter faciam imperata.

VI. *Præſertim in dubiis.*

Nam alioqui exploratum compertúmque mihi eſt quod magni Iuris Antiſtitites tradunt: quando tempus eſt fundamentum intentionis alicuius, debere præcisè probari & qui ſe tuetur tẽpore, ſiue agat, ſiue excipiat, eídem legi obnoxium eſſe: quâ de tota controuerſiâ Maſcardum habes, quem conſulàs, & à quo diſcas, non eſſe tẽporum rationes floccifaciẽdas, cuius ego præclara reſpõſa, vt tẽporis compendium faciam, hîc lubens diſſimulo. His ita conſtitutis, quæ de Laurentio, & Catharinâ in medium attuliſti, quid tuam hanc fabellam iuuent, non video. Illorum enim res geſtæ à magnis auctoribus traditæ, ac Romanæ Eccleſiæ vel tacitâ adprobatione laudatæ, vel præclaris teſtimoniis confirmatæ & in ſacerdotali precum officio deſcriptæ, ſi quam ex perperam digeſtis temporum notis trahunt difficultatem, non ideo labant; ſed tantis nixæ præſidiis auctorum ingeniis

VII. *Cuiuſmodi SS. Laurẽtij & Catharina geſta non ſunt.*

Tom. 2. Concl. 824. n. 16.

Anim. IV. p. 37.

ingeniis atque industriâ depulsis erroribus, qui temporum diuturnitate irrepserunt, defendi merentur. Tua narratio à te primùm prolata viro quidem probo, sed post tantum æui nouæ rei auctore parum idoneo, nullis firmata testibus (nam Antistites de re ipsâ ne verbum quidem) nullius antiquarum membranarum auctoritate (nam quas ex Tabulario Neapolitano siue tu, siue Grauina laudatis, eæ anno demum huius seculi XII. scriptæ, atque obsignatæ sunt) nullâ rerum probabilitate suffulta, cur ad temporis, quasi ad Lydij Historiarum lapidis probationem non exigatur?

VIII. *Probatur auctoritate Euangelistarum.*

Lucas ipse & Marcus, imò Spiritus sanctus, quum Christi Domini mortem tradunt, quam luce palam obierat, totque testes habebat, temporis tamen notas addendas diligentissimè censuerunt, quamuis diuersam horas enumerandi rationem vterque sequutus sit Euangelista. Tu Castalde; hac te temporum lege putas esse debere absolutum? In veteris Ecclesiæ Historiâ, quæ diuinis libris continetur, & anteriorum temporum rationibus constituendis scisne quantum desudauerint viri magni, hodiéque desudent? quòd videant scilicet, illis labantibus, Historicorum non quidem concuti fidem, nam diuino nititur verbo, sed ei tamen apud homines, quamquàm minùs pios, acutos nihilominùs, de suo splendore multum decedere? Poterant hi omnes, quùm de temporum rationibus lis intentabatur, si te magistrum audiuissent, verbulo eam incidere, atque dirimere. Quid enim expeditius, quàm dicere, *Non officit quando res euenit, ignorari?* Miseret me illorum ignorationis. Hoc tu dicto Nigrono *os obtruis* (sic enim loqueris quasi vnus esset *loquentium iniqua) qui tempora molitur, & moras*; quod ego immane aliquod facinus esse vereor, ob quod os illi velis obstruere; nam quæ notio illis subsit vocibus, vt qui parùm Latinè sciam, candidè me nescire fateor. Quare tuâ bonâ cum veniâ,

IX. *& Interpretum diuinæ Scripturæ.*

Anim. IV.

Ibid. p. 58.

Ps. 62.

temporum

temporum rationes ſubducamus,vt intelligant Lectores ex illorum contentione nihil tuæ fabellæ probabilitatis ſupereſſe.

Quæro igitur abs te Caſtalde, in quámnam anni XXXVI.tempeſtatem Caietani Venetam excurſionem coniicias? Quid ais?ex tuis ſcriptis nihil ſanè colligi poteſt; nam mirâ inconſtantiâ in hac totâ temporum ratione verſaris. Sed antequam propiùs agamus, X. *Nullũ tempus Caietani Excurſioni deſignari poteſt,*

Quæro ex te, quamdiu Caietanum Venetiis habiturus ſis? multum enim hoc mea intereſt ſcire. Víſne aliquot menſes ibi fuiſſe? Quomodo ergo, ſi aliquot menſes de duobus auferas annis, verè dicetur, *Totum biennium* Neapoli fuiſſe, ac domum ſtabuli gubernâſſe? Quis ita vnquam loquitur? At id ſecundum docent Hiſtorici veſtri. Non igitur primum verum eſſe poteſt. Paucos aliquos dies? accipio libenter, & ſimilitudo illa tua fulguris coruſcantis, quâ vteris Epiſtolæ tuæ particulâ XVII. id planè conficit: Paucis igitur diebus Venetiis fuit. Age nunc, & de tempore huius excurſionis, quod hominibus prudentibus veroſimile videri poſſit, conſtituamus; nam ſi me tuis dictis credere pro imperio volueris, nec rerum aliquam admirabilitatem attuleris; tum ego nihil credam omnino. XI. *Quẽ paucis diebus Venetiis fuiſſe dicendũ eſt:* Carac. p.234.

Placétne igitur ſub exitum anni XXXV. Caietanum Venetias proficiſcentem fingere? Placet: Ineunte igitur XXXVI. Neapolim regreditur. Quî ergo cum Ignatio colloqui potuit, qui vel tuâ ipſius coniecturâ ſub initium anni XXXVI. Venetias aduentauit? Scíſne quid negotiorum expediuerit, quid itinerum confecerit, quâ tempeſtate iactatus, quâ valetudine afflictus fuerit per eam hyemem Ignatius? Hæc qui nouerit, eum Venetiis vix ad Kal. Martias habere poterit. XII. *Non exitus anni XXXV.* In Epiſtolâ §. XV.

Iuuat ſanctiſſimi Patris veſtigia terrâ marique relegere. Diſceſſit Ignatius Luteriâ ſub exitum autumni anni XXXV. Loyolam verſùs, quod iter CCXXX. leucarum eſt. Ibi beneficio patrij cœli cõualuit; Languebat enim ſtomacho, XIII. *Non initiũ XXXVI.*

ſtomacho, quod profectò vnâ alterâque die non fit. Imò Cardinalis de Monte tribus menſibus hanc commorationem definit. Audiatur in Relatione habitâ in Conſiſtorio ad Pontificem: *Ibique per tres menſes in Hoſpitali Magdalenæ oſtiatim victum emendicans & pauperibus inſeruiens tempus traduxit.* Hæc Cardinalis Relatio mihi ante omnium Hiſtoriarum fidem eſt. Confirmatis vtcumque viribus, mox nouum iter, & quidem pedes ingreditur, Pompeiopolim primùm, quæ Loyolâ diſtat leucis XVII. Tum Almãzanum XV. inde Saguntum, totidem ab illo oppido, Toletum XXIII. inde Valentiam L. iter millia paſſuum omnino MLXXX. quod tantum iter alieniſſimâ anni tempeſtate pedes breui ſanè tẽpore conficere non potuit homo longo ſtudiorum labore, & voluntariâ vitæ auſteritate, ac vix confirmatâ valetudine inualidus Adde ſingulis in oppidis ſociorum negotia domeſtica tractâſſe, & res ita compoſuiſſe, ne quid illis in ſuſcepto conſilio ab eâ parte pararetur incommodi. Quantum, rogo te, Caſtalde, hæc itinera, hæc negotia temporis abſtuliſſe, æquum videtur. Age, iam tempeſtate iactatus longâ, & difficili nauigatione vſus, Genuam tenet; inde Bononiam digreſſus per Apennini tramites errabundus vagatur: Bononiæ æger in Hiſpanorum hoſpitio decumbit ac recreatur. Hæccine tot viarum incommoda totam non ſibi auferant hyemem? Non igitur per eam Venetiis Ignatius venit; Nec tu illam totam ibi Caietanum detines, quem raptim fulguris inſtar, eo vſque Neapoli emicuiſſe contendis. Tota igitur hyeme depulſus, ad XXXVI. anni ver te iam conferas. Quid? inito vere excurrit Caietanus? tum nimirum, cùm eum domo abeſſe minimè oportuit, ſanctiori nimirùm anni tempore, quo vel ſi abfuiſſet, illum reuerti par fuerat, vt diuina, in tantâ ſodalium paucitate, ſolemniùs celebrarentur. Sed & ille in ſimilitudinem fulguris coruſcantis regredi poterat.

XIV. Neque potes in æſtatem iam ineuntem iter iſtud conïicere;

coniicere; nam adfuisse Caietanum oportuit, cùm ad D. Nicolai exceptum hospitio Ignatium scribis, quod hospitium si fuit, breue admodum fuit: ergo verno tempore ibi fuit Caietanus, quem hyeme profe-ctum dicere, breuitas commorationis; vere, ratio rerum non patitur. Sed tu Castalde omnia dicturus es, vt fuisse dicas; cùm enim ab vnâ anni tempestate depelleris, ad aliam migras. Scripseras Epistolæ particulâ XIII. *Potuit igitur B. Caietanus, vel sub finem anni trigesimi quinti, vel sub initium trigesimi sexti Venetias petere, rebúsq; cum sociis cõpositis transfretato Adriatico, vti solebat*, (qui scilicet tribus, antequam hæc facta finguntur, annis Neapolitanam Profectionem longinquam, & difficilem arbitrabatur; vt loquitur Clemens VII. sanè verbum illud *solebat* consuetudinem dicit, quæ vnius actionis proles non est, sed tibi hac admirabili abusione vti commodum fuit) *Neapolim iterum redire, Romam post Neapolitana negotia expedita profecturus*. Quænam negotia hîc comminisceris, Castalde, oblitus eiusdem Epistolæ particulâ VIII. te scribere, testibus Tufo & Caracciolo, decem menses Neapoli otiosum desedisse Caietanum, quod ego otium à negotiis interpretari tecum velim, ne in virum inclytum, qui in virtutum exercitatione nunquam feriaretur, peccemus; ais enim: *Menses decem ab initio anni 36 ad extremos Octobris dies excurrunt, in quibus cum Caracciolo & Tufo testibus nihil egerit Neapoli*, &c. quæ est ista scribendi inconstantia, quâ virum hunc sanctissimum pro arbitratu quasi cerea esset Historiæ tuæ fides, fingis ac refingis? Cùm eo tibi vacuo opus est, nihil Neapoli habuisse ais, quod ageret; rursum quùm in rem tuam est, negotialem eius facis commorationem. Quis huic tam fingi facili credat Historiæ? Nõ ego, qui scio veritatem sibi perpetuò constare, nec illi vllum cum Proteo esse commercium. Sed ad id, quod agebamus, reuertatur oratio. Non igitur ineunte vere Venetias abiit Caietanus. Et quando igitur? Per æstatem, aut eius saltem

In vitâ Caietani cap 3.

Non æstas.

XV. *Nõ Neapoli fuit.*

M. initio.

initio. Probè. Et quanto illum tempore ibi habere vis? Paucis iam diebus habendum conuenimus. Ergo summis caloribus regreditur. Primùm hoc minùs probabiliter dicitur, quamuis enim iubente Pontifice hoc tribus antè annis fecisset, tunc eius rei caussam habuit, coloniæ scilicet deducendæ imperium, nunc nulla, ne probabilis quidem, excogitata est.

XVI. *Ignatiũ statim allici nõ potuisse ostenditur.* Deinde si paucis omnino diebus fuit, cui persuasurum te speras Castalde Ignatium tam breui consuetudine illectum adeò fuisse, vt statim & vetera consilia exuere, & nondum exploratum vitæ genus amplecti non modò cogitaret, sed planè oblitus fidei, & sociorum, deliberaret? Legi in antiquo MS. codice, qui nostro Romano seruatur in tabulario, in quo de Ignatij virtutibus ac gestis Hispanico sermone multa per Satyram congesta sunt, illius admirabilis constantiæ eam afferri rationem, quòd rerum omnium momenta diutissimè pensitaret, ac lentè omnino morosèque decerneret; Lentis enim deliberationibus minimè pœnitenda imponuntur consilia. Ignatiúsne paucissimis diebus, de re omnium grauissimâ, de suscipiendo vitæ genere, statuisset, cui de sacrarij domus Professæ paupertate, re longè minore, XL. ipsos dies assiduâ prece, multôque diuino lumine nobilitatos, sola abstulit deliberatio? An fortè dicturus es, per otium totâ illâ propemodum æstate Ignatium cum Caietano agere potuisse, æstiuauit enim hic Venetiis per aliquot menses? Id certè à te dici non potest, nam Neapoli decem mẽses otiosũ fuisse tradis ex Tufo & Caracciolo. Quocumque te vertis, Castalde, hîc teneris. Quid enim dicturus es? Plurimâ demum consuetudine bene exploratâ Caietani, atque Ordinis sanctimoniâ, eius ingrediendi in mentem impulsum fuisse? Iam Caietanus diutiùs Neapoli aberit, quàm vt Caraccioli, & Tufi, & tuum ipsius dictum tueri possis, qui vis *Decem menses Neapoli nihil egisse*, quod de Caietano dici non potest, si ex illis duos trésve Venetiis fuit. In Epistolâ partic. VIII.

XVII. Tum si per æstatem hæc acta sunt, iam in Ignatium

exortæ incommodæ ſuſpiciones, iam Carafa, vt erat acer, & vehemens, ſuſpectum habebat, iam res ad Nuntium delata. Quis verò ſanæ mentis credat, in tantâ procellâ Ignatium auſum fuiſſe Ordinem petere, in quo penès ipſum etiam Carafam ſumma rerum erat, quem ſibi non ignorabat eſſe infenſum? Sed tu Chronologiæ admirabilis Magiſter iſtas noſtras ratiocinationes, ac leuiſſimas coniecturas facili manu diruis, earúmque vim omnem elidis. Operæpretium eſt te ipſum audire Epiſtolæ tuæ part.xv. *Igitur ante hunc menſem* (Octobrem) *ſuſpicio de Ignatij fide exorta eſt, eius vitæ probitas examinata, ac demum Ignatius ad Carafæ conſuetudinem admiſſus: quæ omnia paucis diebus abſolui nequaquam potuerunt. Præſertim cùm ad illuſtriſsimum virum Hieronymum Verallum Apoſtolicum Nuncium cauſſa delata fuerit, teſtes ſint accerſiti, mores Ignatij examinati probatíque, ac demum de his, quæ ad fidem pertinent, ſit conquiſitum, quæ non tam citò abſoluuntur, vt Nigronus fortaſſe ſuadere conatur.* Quaſi verò Nigronus neſciret Ignatium ſequenti anno XXXVII. Venetiis abiiſſe, aut ab Ignatij abſentiâ narrationis tuæ fidem eleuaret, quam à Caietani longinquitate fabuloſitatis arguebat. Verùm nihil ego iam de Nigrono reſpondeo; Sed aio tuis hiſce verbis planè te irretiri.

Nec hoſpitem Carafæ fuiſſe per aſtatem.

XVIII. *Et aliàs nõ niſi breuiſſimus hoſpes fuit.*

Quæro enim ex te, an ante incommodas ſuſpiciones Varalli ſententiâ iam profligatas, ad Carafæ conſuetudinem admiſſus fuerit Ignatius? Omnino, inquis, ita tamen vt tota inquiſitio, quò Ignatij probitas palàm fieret, priùs abſoluta fuerit, quod pluribus menſibus factum vix fuit. Tamdiu ergo Caietanum fulgur illud tuum coruſcans, Venetiis detinebis? Sed illud hîc longè eſt admirabilius, & tuorũ dictorum conſequentiſſimum, Ignatij ad D. Nicolai hoſpitalem commorationem perbreuem admodum fuiſſe. Neque enim probabile eſt hominem, quem, vt tu ipſe in Caietani vitâ tradis, ingenitæ nobilitatis, & plurimæ ſanctimoniæ mores commendabant, cum Carafa totius domus

In vitâ Caietani cap. 3.

hospitalis,vel Præside, vel Patre, vel certè sodalium spectatissimo consuetudinem non habuisse, si diuturnus hospes fuisset. Neque erat humanitatis Carafæ hominem hospitem,morum probitate insignem,nullâ adhuc obortâ errorum suspicione, sui Instituti admiratorem, amatorem, candidatum, à consuetudine repulisse,aut certè neglexisse.

XIX. *neque à Carafa in consuetudinem statim admissus,*

Non igitur diuturnum hospitium fuit;neque hospitem, qui apud aliquos malè de fide audiret, diutiùs domi toleràsset Carafa, vir animi in huiusmodi rebus concitatissimi. Quomodo igitur tam breui hospitio illectus Ignatius, rerum omnium lentus olim examinator, captus est?

XX. *post verò profligatas calumnias*

At enim loco paulò ante laudato Epistolæ meæ iam diuinaui Ignatium nonnisi post pronunciatam à Verallo sententiam,Carafæ consuetudine fuisse potitum.Tempori mones,& ego hanc tuam diuinationem tuo ipsius, seu oraculo, seu chirographo in vitâ Pauli IV. cap.3. confirmatam memini,vbi post narratum Ignatij Venetias aduentum, & suspiciones ex eo ortas,quod homo nondum sacris initiatus, exercitationibus animos excoleret, scripsisti in hæc verba, quæ ego summâ fide Latinè reddam: *Hæ suspiciones ad Nuncium suæ Sanctitatis Hieronymum Verallum, postea Cardinalem, & ad nostrum Episcopum Theatinum Io.Petrum Carafam, quippe cui plurimum in his negotiis potestatis à Pontifice tributum erat,cùm delatæ essent; viros hos duos ardentissimi zeli suspensos ac perplexos reddidêre. Verùm cùm Ignatius intimè vt Nuncio, sic Episcopo se manifestâsset,ab vno absolutus omni suspicione fuit,ab alio sæpiùs charitatiuè in propriâ, quamuis paupere domo exceptus;factùmque est (agnosceres bonum quæstorem nummum non admittere, nisi simbellâ & Lydio examinatum)vt sic probatum & carum haberet,& valore legitimo expenderet.*

XXI. *minimè admitti potuit.*

Si hæc pro tuis agnoscis, iam tuis te verbis irretîsti. Quid enim?an non omni suspicione liberatum Carafa Ignatium domi excepit? at liberatus non est à Nuntio,

Nuncio, nisi proximo anno XXXVII. Idibus Octobris latâ sententiâ, cuius autographum Romano habemus in tabulario. Verùm Carafa Octobri mense anni superioris Romam vocatus, Venetiis dudum antea recesserat, neque vnquam eò rediisse ampliùs legitur. Quî ergo Ignatius in familiaritatem Carafæ post illa omnia admissus est? Quando illius hospes? quanquam nec tu hospitem fuisse dicis, sed *sæpiùs domi caritatiuè exceptum*: quod vocantis ad prandium, aut cœnam est. Cur enim tam sæpè hospitium mutaret, ac repeteret ineptissimâ leuitate? Quando ergo hospes? Cùm primùm aduenit? Vísne hoc? Rogo, quamdiu hospes? Plusculis aliquot diebus? Quomodo igitur Carafæ ignotus? Paucissimis? Quomodo tam citò captus, & Caietanus ibi tam subitò adfuit?

Et, si Caietanus diuinitùs dato responso sciebat Ignatium Deo carum, nouíque Ordinis parentem futurum, cur non de hoc ipso docuit Carafam, vt eo æquiore vteretur Ignatius? Quod officium boni viri erga amicum, atque vt tu contendis, etiam discipulum omnino fuit, cui defuisse Caietanum virum charitatis diligentissimum non sine iniuriâ crederem. Neque hinc euades, si cum Caietano statim ab Ignatianâ repulsâ Venetiis abeunte fugias, insistam enim vestigiis; nam hominem hospitem, in quo tanta latebat sanctitas, Carafæ à Caietano commendatum oportuit, vt qui, nisi aliter visum esset Deo, Ordinis esset candidatus. I nunc Castalde, & minitare non semel, editurum te etiam colloquium Ignatij cum Carafâ, quod in vagina scilicet tabularij Neapolitani habes reconditum. Sed vereor, ne eiusdem, ac Episcoporum testimonia, ætatis sit. Id tamen vt feceris, tum ego te de tempore interrogabo, nam colloqui post dispulsas suspiciones, probatámque Ignatij fidem, vt iam vici, non potuerunt; siquidem Carafa Venetiis tum, vt dixi, iam discesserat.

XXII. *& alioqui testimonio Caietani commendari eidem debuisset.*

In Præfat. p. 4. & Anim. XI. pag. 102.

Quod si colloquium illud arcanum habitum fuit

XXIII. *Ochini deprehensio à Caietano facta minùs conuenit cũ Historia Capuccinorum Bouerij;* ante motam eam tempestatem, quod tu non vis, tum ruit omne de Caietani profectione commentum; nam suspiciones contra Ignatium satis maturè obortæ sunt, vt primùm ille animarum quæstum facere cœpit, quo tempore Neapoli Caietanus habetur, deprehendendis Ochini erroribus intentus, nam quòd demum in angustias à Nigrono redactus, ais, concionatum diutissimè Neapoli fuisse hominem impium, quid te iuuet, non video. Et diuinare si cuique licet, momẽto vates euadam. Res planè mira est, de his Neapolitanis Ochini concionibus nullam à Zacharia Bouerio mentionem fieri. Immò eodem Bouerio teste, ante seculi annum XLI. ab omni hæreticâ labe, quam post habita Neapoli Ordinis comitia hausit à Valdesio, immunis omnino fuit. Quæ si verè narrantur, pleraque à te, Castalde, tuísque de Caietani in hæretico detegendo primùm anno XXXVI. mox & XXXIX. ad Carafam iam Cardinalem deferendo diligentià traduntur, profectò non modò labare, sed euerti quoque omnino palàm est. In Epistolà §. 15. Anim. III p. 32 & 33.

XXIV. *non enim ante XLI. Ochinus hæresis suspectus.* Sic enim ille ad annum superioris seculi XLI. scribit: *Illud tamen omnino certum est, Senensem* (nẽpe Bernardinũ Ochinum) *hactenus nullum haeretici hominis signum voce, aut scripto prodidisse*; & infrà narrat, eum eo anno XLI. cùm post comitia iam Generalis Neapoli substitisset, famâ Valdesij commotum, *vix prima cum illo colloquia habuisse, cùm eum cordatum virum, & multarum rerum peritiâ ornatum deprehendisset, eo familiarius vti cœpisse, denique familiaritatem exercuisse, vt illum sibi amicissimum compararerit.* Quamquam verò, cur Bouerio in Ochinianâ historiâ summâ fide, ac diligentiâ versanti non credam, & tibi potiùs fidem habeam, caussæ mihi nullæ sint; non ego tamen viris sanctis ornamenta detractum eo; & mea tueri, non aliena conuellere propositum habeo; at si exemplo tuo vti vellem, quam hîc tibi litem intentare possem, satis, opinor, intelligis.

Verùm

Verùm huius diſcordiæ, quæ vtpote inextricabilibus temporum ambagibus inuoluta, non facilè pacari poteſt, componendæ arbitrium mihi nullum ſumo. Illud mihi certo certius eſt, non niſi exacto vere anni XXXVI. Ochinum Neapoli conciones habere potuiſſe; nam adulto iam vere Capucinorum comitia componendis Ludouici Foroſemproniani turbis, iubente Pontifice Romæ habita ſunt, in quibus cùm adeſſe quàm plurimos voluerit Pontifex, quis dubitet, reliquos inter adfuiſſe Ochinum tanti tunc nominis, quíque proximis Comitiis Generalis factus eſt? Non igitur ſtatim à verno ieiunio conciones habere potuit, ac non niſi, vt celerrimè Neapolim euolauerit, ineunte Maio, nam menſe Aprili habita ſunt turbulentiſſima illa comitia. Non igitur verum, quod tu Caſtalde, fieri potuiſſe diuinas.


Quarum rerum omnium conſequens eſt, non niſi extremo Maio, vel ineunte Iunio Caietanum poſt deprehenſum Ochinum Venetias excurriſſe. Quæ ſi tibi anni tempeſtas initium anni, quo ire potuiſſe tradis in Epiſtolâ §. 15. videtur poſſe dici; ego nunquam non aliquid à te admirabile diſcere me vehementer lætor; Potes libellum aliquem de Doctrinâ temporum cum Scaligero, aut Petauio concinnare; nam & modò anni caput exeunti Maio neceſſariò affigere debes, & Animad. XII. exeuntem inter autumnum, & finem anni contradictionem inuenturus es. Quæ præclara tēporum ratio in principio ac fine anni conſtituendo à te ſolerter excogitata, omnes iſtos Chronologiæ magiſtros, qui *tempora moliuntur, & moras*, quod & Nigronus fecit, fungos eſſe conuincit. Sed age; iuerit Venetias Caietanus exeunte Maio: nulla probabilitas eſt, cum eo tam familiariter congreſſum Ignatium fuiſſe; neque enim ille ampliùs hoſpitio ad D. Nicolai vtebatur, & obortæ iam erant ſuſpiciones incommodiſſimæ, & ob eas maximè iam infenſior Carafa, qui non niſi probatâ Ignatij innocentiâ, quæ longior res fuit, eidem,

XXV. *Noua Caſtaldi ratio Chronologia.*

Anim. IV. p. 38.

eidem, si tibi credimus, ita placari potuit, vt ad familiarem consuetudinem admitteret. Ob quæ omnia diutissimè Venetiis Caietanum retinere est necesse, quod tu minimè vis.

XXV. *Qui ex eâ planè conuincitur à Nigrono.* Quare quum temporum ratio; sapientum iudicio, in eruendâ veteris Historiæ veritate sit habenda, quod tu Castalde Animad. tuâ IV. negas; & Caietani excursio Veneta in nullam anni XXVI. tempestatem sine maximis incommodis coniici possit; reliquum est, vt probabilissimum sit, nullam omnino fuisse; præsertim quum à nullo omninò veterum Historicorum tradita sit; contrà verò commoratio Neapolitana tum à Caracciolo, & Tufo, tum ab ipsomet te, Castalde, confirmetur. Ideóque quidquid abs te de eâ dicitur, nobilis fabulæ vanissimum esse fundamentum, quod mihi hac Interrogatione fuerat demonstrandum.



INTERRO-



INTERROGATIO SEPTIMA,

DE LONGINQVITATE LOCORVM.

Coniecturam, quâ Nigronus Ignatij cum Caietano colloquium reiecit, à distantiâ locorum validißimam esse, immeritò à Castaldo negari.



VONIAM in coniecturali genere caussæ versamur, quum à te nulli testes non modò facti ipsius, sed nec famæ quidem dati sint, probabilitatibus non apodicticis, ac demonstrantibus rationibus ius agendi nobis esse, eámque veritatis eruendæ vnicam in antiquarum rerum nouis narrationibus viam superesse Interrogatione III. demonstrauerimus;

Anim. III. p. 54.

I. *Nigronus per falsam accusationē ridiculus dicitur à Castaldo;*

Quæro ex te, Castalde, quo demum ore ridiculum Nigronum appelles, quòd asseruit Caietanum, *Quia senex erat iter habere non potuisse.* Hîc tuam fidem appello Castalde. Hoccine Nigronus. Vbi? quâ dissertationis particulâ? Tam inepti dicti, virum, quem nec tu, nec alius quisquam te illi offensior, acutum, doctum, & eruditum negabit, sine obsignatis tabulis accusare hominis minùs amici, vt leuissimè dicam, suspicionem mouere possit. Quid tu, inquies, isthæc? an non ego disertè locum adnotaui §. 11. num. 37? Ob idipsum te hîc accuso, Castalde: lege locum illum Nigronianæ

N   disserta-

dissertationis, si vel sententiâ, vel verbo id Nigronus dixit, impudens ego sum, qui pernego; si non dixit, vide quomodo fidei, famæque tuæ consulas, qui affirmas. Cùm enim tu Epistolæ tuæ particulâ xi. profectionem Caietani Neapoli Venetias Ignatianis itineribus è Galliâ in Belgium, & Angliam probabilem facere conatus esses; excepit Nigronus in hæc verba: *Nihil proficit* (Castaldus) *ob magnam diuersitatem factorum, & personarum. B. Caietanus cœnobio gubernando addictus: S. Ignatius liber, & sui iuris: Ille senior; hic iuuenis; De illo scriptores*, &c. Quantum hæc Nigroniana iudicij, ac verissimæ plena coniecturæ ab illis perridiculis, quæ illi affingis, distant, Castalde? An non quærebatur, vtrùm probabilis ea esset profectio? Quid ergo tibi credam de rebus antiquis, quarum ob temporum longinquitatem inuoluta tenebris veritas est, tam confidenter narranti, qui in dictis aduersarij, quorum prolatis tabulis teneri potes, tam incuriosè agis? Verùm vt intelligas, quàm iure improbabilitatem hanc adduxerit Nigronus,

II. *Qui suas peregrinationes enumerans nihil facit.* Quæro ex te, an iter illud Venetiis Neapolim, aut Neapoli Venetias expeditum ac facile fuisse putes Caietano anno seculi xxxvi? Quidni, inquis? Excurrebat ille promptissimè quocumque illum Reipublicæ vtilitas euocabat, *In similitudinem fulminis coruscantis.* Epist. 9 VI. At ego iter illud vestris hominibus valde formidolosum fuisse assero, ac proinde non nisi superiori accepto oraculo tentatum. Nugæ, inquis: Ego enim post centum annos ab illâ Caietani excursione *anno seculi* Anim. III. p. 14. XXVI. *Arimini Præpositus æstiuis caloribus Venetiis affui, mensèque Februarij 1627. Romam petij, mense Martij Neapolim professus sum, ibique hebdomadâ sanctâ perstiti. Post solemnitates Paschales Romæ Generali Capitulo interfui: eo absoluto, Neapolim iterum profectus sum, post aliquot dies denuò Romam veni, sic poscentibus grauissimis meæ Religionis negotiis.* Et paulò antè: *His diebus non semel Neapoli profectus sum, atque terrester iter peregi visitator Galliæ Cisalpinæ,*

pinæ, Romæ substiti die festo sancti Ioannis Baptistæ: post festum Apostolorum Petri & Pauli trigesima die Iunij Româ discessi: 4. die Iunij perueni Florentiam: die 28. Mediolanum: 16. Iulij perrexi Ianuam. Tum incomparabili Logicâ concludis: *Ergo cedendum est veritati, nec talia subterfugia quærenda.*

In Pacifici Certaminis Præfatione pag 7.

Gratulor tibi, vires laboribus religiosis viarum sufficisse, etiam recenti à morbo, ex quo recreatum te ad Nigronum confutandum, *calamo accinctum tuo* te prodiisse tradis, vt iisdem diebus, & opus grande scribere, & per Italiam cursare posses, vtque eas vires longæua seruet senectus, ex animi mei sententiâ voueo: tum tibi posteritatis totius nomine gratias ago, quod illi præclaros tuos labores latere noluisti, ex quibus discent seri nepotes iussa maiorum capessere, nullâ tempestatum incommodarum excusatione: ibis, & tu in exempla. Sed quàm ad rem hoc sit, paulò post videro: Interim aio, iter illud Caietano, Carafæ, cæterísque Ordinis tui principibus, ac Fundatoribus, qui Venetiis agebant, valde fuisse formidolosum.

III. *Nam iter Venetiis Neapolim vsque Caietano longinquum, ac difficile olim visum.*

Odiosus inquies, diuinator es, ac fabulator otiosus: quem testem dicti habes? Immò testes, eósque locupletissimos; quos? minimè omnium suspectos, quorum tu sensus, vt oracula, debeas venerari. Quos tandem? Ioannem Petrum Carafam, & Caietanum ipsum, de quo quærimus, tum socios omnes, quibus iter illud ingredi ob longinquitatem, ac difficultatem nimis formidolosum fuit. Quâ tandem viâ id rescisti? Quem tui dicti auctorem nuncupas? Iure poscis; nam in antiquis versamur, de quibus pudor sit, sine teste loqui. At mihi, quæ de Caietano & Carafâ narro, Pontifex dixit: & is, cuius nomini tota vestra familia vt confirmatori tantum debet, vt fidem ei abrogare, non modò ob supremæ dignitatis reuerentiam, verùm etiam eiusdem in vos amoris, ac beneuolentiæ reputatione non debeas: Meministíne, Castalde, litterarum, quas Clemens VII. anno Pontificatus x. ad Carafam, Thie-

næum sociósque Venetiis agitantes Bononiæ dedit? Eas suam in Historiam Tufus inseruit cap. 4. Recitentur: *Venerab.lis Frater, & dilect. fily, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, vos per hoc quadriennium* (recenset Neapolitanorum postulata, de quibus ipsi Pontificem docuerant, atque consuluerant; tum pergit, *Vósque itineris longinquitate atque difficultate deterritos*, &c. Rursum paulò infrà: *Illinc tanto vos itineri credere, tanto longè posita loca recipere, & quod maius est, tantam opinionem, expectationémque sustinere audax nimium & supra vires vestras vobis esse videatur.* Audin' Castalde? de quonam itinere loquitur Pontifex? Indicóne, an Æthiopico? Venetiis Neapolim peregrinandum erat, & tamen itineris *longinquitas, & difficultas* adeò Caietanum deterrebat, sociôsque, vt quum post diuinum auxilium assiduis orationibus inuocatum, quoniam vt suprà dixerat, *audax nimium, & supra vires illis videbatur*, hærentésque in ancipiti *nihil omninò statuerent, nec quod petentibus responsum darent, inuenire possent: Ad nos tandem*, inquit Clemens, *confugiendum putástis*, &c. Vbi sunt, Castalde, tua illa fulgura coruscantia? Vidésne quantæ molis putauerint Patres vestri Venetiis Neapolim proficisci? tam longo, & difficili se itineri committere? tam longinqua loca suscipere? vt quamuis quadriennio toto ab amicis euocati, ac demum à Ciuitate inuitati, propositôque animorum bono, se itineri credere non auderent, nisi Christi Vicario consulto; quod profectò de re leui, ac facili se non fecisse, ipsi testantur, sed de eo negotio, quod ipsi, quamuis multis precibus consulto Deo, satis nequirent expedire? Quamquam & Tufus ipse, vt famam sanctimoniæ longè latéque ad remotiora & loginqua diditam confirmet, Neapolim vsque peruenisse tradit. Hist. c. 4.
Ridiculúsne igitur tibi Nigronus, qui Ignatij hominis iuuenis, & longinquis peregrinationibus assueti, atque Caietani iam senis, & Venetiis de Neapolitanâ profectione cum sociis trepidantis, non eandem rationem

tionem esse dixit? Ridiculáne coniectura, quam à difficultate itineris duxit, in Caietano post triennium iam seniore? Ridiculúmne fuit adnotâsse geminam eodem anno Romanam profectionem, vt profectò Veneta nihil omnino habeat probabilitatis?

Anim. III. p. 34. IV. *Nec excursionibus Castaldianis persuadetur.*

Quid verò tibi venit in mentem, enumeratâ tuâ prima illâ peregrinatione, triumphum canere, non video: Age Castalde; Peregrinatus es paucis mensibus per Galliam Cisalpinam. Quid tum inde? Peregrinari ergo potuit Caietanus Neapoli Venetias. Quid postea? Perge porrò. Ergo peregrinatus est: Id verò ridiculum est. Ergo peregrinatum fuisse probabile est: id verò iterum ridiculum est. Atqui Nigroni coniecturas hoc tuo exemplo vt conuellas, alterutrum tibi deducendum est. Nam si potuisse proficisci solùm dicere vis; nihil neque contra Nigronum, neque pro caussâ dicis. Si enim Nigronum petis, aërem verberas; nusquam enim omnino, nusquam ille negauit fieri posse. An tam erat bardus, vt nesciret nullam rei esse repugnantiam? an nesciebat potuisse ab Angelo virum sanctum capillo suspensum, si ibi aliquis Daniel fuisset, breui momento, in impetu spiritus deportari, rursúmque Neapolim reportari, vt eâdem die vtrâque in Ciuitate videretur? Si probabilem illam Caietani excursionẽ tuâ te peregrinatione reddere te posse putas, Age Logicorum more rem vrge. Ego, vrgentibus Religionis meæ negotiis, Galliæ Cisalpinæ Visitator per Italiam cucurri; ergo: quid? Probabile est, Caietanum Venetias excurrisse. Vide, ne te pueri posticâ sannâ illudant. At iniuriam facis. Addere debuisti consequentiæ, exposcentibus negotiis: quibus? si hæc probaueris, aliquid dices. Verùm cùm negotia fuisse probes ex profectione, Epistolæ § 10. quæ tua ratio est, à negotiis profectioni probabilitatem quærere?

V. *Cùm Caietano excurrendi caussa non fuerint.*

In Epistolâ §. 10.

Quæro iam de negotiis, quænam tandem fuerunt? Nescio, inquis, sed fuisse non dubito. Cur? quia Venetias negotiorum caussâ excurrisse, me dicere memini.

 Nam

Nam nascentis familiæ commoda parens optimus moderari profectò (hoc enim tibi valet vox illa *fortasse*, vt pluribus ostendere conaris Animadu. VI.) *non poterat, nisi tribus aliis sociis Venetam Ciuitatem excolentibus ad consilium vocatis*; quod etiam Animad. XXII. his verbis repetis: *Nam charitas eum Venetias vsque perduxit ad suorum solatium, consilium, leuamen*, &c. pag. 47. p. 173. Priùs, quàm hîc aliud agam, teneo hîc te manifestissimæ contradictionis, quâ tota hæc tua ratio eradicatur. Duo asseris, *Parentem optimum nascentis familiæ commoda moderatum fuisse*: hoc primum est; Alterum; *ea commoda procurare non potuisse, nisi tribus sociis in consilium euocatis* quod profectò Superioris est: Nam Consulis est vocare Senatum, & Prælati capitulum cogere. Quid ais? Itane est? Ipsissima veritas; hæc enim pastoralis sollicitudo Caietanum Venetias deduxit: optimè: Quî ergo scribis Animad. XI. *Ad hunc* (Bonifacium) *spectabat cum reliquis sociis Ordinem regere; Primatus quippe tribuebatur Præposito domus Capitularis, quamuis omnes simul omnia disponebant.* Ergo ad eum pertinebat socios in consilium vocare. Nam hoc Ducis etiam in optimatum Republicâ munus est; non igitur ad Caietanum. Sed fraudulenter agis, inquies; nonne disertè Caracciolus à me laudatus dicit: *Penes Carafam, & Caietanum summam rerum fuisse?* Audio; sed non moueor. Quamquam summa virorum illorum esset auctoritas, atque in his præcipuæ opes Reipublicæ sitæ; non ideò tamen, vel te ipso teste, gubernabant. Nam neque Carafa tunc Ordinem gubernabat, neque Thienæus, vt ex actibus Capitulorum generalium liquet. Ergo Caietanus non gubernabat. Concedis? Quî ergo, *Commoda nascentis familiæ moderabatur*? Consulere publicis commodis, ac studere, illa procurare omnes possumus; moderari, præsidum, atque Prælatorum est. Non gubernabat? Quî ergo consilium:

VI. *Qui Ordini non moderabatur.*

pag 99.

ibid.

cilium sociorum coacturus, Venetias proficiscebatur? Sed vt de negotiis agamus, eorum tota tibi negotiorum coniectura ex profectione oritur; rursum profectio à negotiis ducitur. Quid iam consequens sit, non ego dicam; malo à te intelligi, quàm à me explicari.

VII. *Mira petitio Principy.* Quæro rursum, quódnam negotium in tam pusillâ familiâ grauius possit excogitari, quàm illud ante tres annos agitatum de nouâ domo recipiendâ, ob quod tamen iter illud horribile, atque pertimescendum Patres illi, nisi consulto Pontifice, suscipere ausi non sunt? nullum certè: quis ergo credat, Caietanum tam promptum excurrisse? Sed quidnam tandem rei fuit? Mira planè res; nulla caussa affertur, nulla in speciem saltem fingitur coniectura: silent omnes Historici vestri: negotiorum, quæ Caietanum Venetias euocauerint, in antiquis aduersariis, tabulísque (nisi tu tamen aliquid quartâ demum actione prolaturus es) vestigium inuenitur nullum, & tamen fuisse, me iubes credere. Quodnam hoc est tuum plusquam Pythagoricum imperium? Non parco, non credo. Túne mihi afferenti non credis? Pace tuâ, Castalde, non credo, abnuo; non enim in tuâ, sed in veritatis verba iuraui. Repetamus dicta, probationésque tuas, vt res clariùs teneri possit. Aio, inquis, Ignatium Venetiis anno superioris seculi XXXVI. per æstatem *à Caietano*, nescio quid arcano in colloquio petiisse, ac repulsam tulisse. Ego verò id verosimile esse pernego, quia viri sancti simul Venetiis non fuerunt; Neapoli enim tum Caietanus agitabat. At eum excurrisse Venetias dico; potuit enim. Nego id verosimile esse, factum esse; nihil enim ibi habebat, quod ageret Caietanus. At negotiorum causâ profectus est. Nego vlla fuisse negotia. At ille profectus est: non igitur nullis negotiis profectus est. Hæc tua omnino

Tufus in Histor. cap. 4.

ratio

ratiocinandi ratio eſt; ſi quis vltima primis componat. Iam verò vt de ſecundâ tuâ peregrinatione agam;

VIII. *Quid de Caſtaldi peregrinatione poſt C. annos ſentiendum ſit.*

Quæro quid ex illâ confeciſſe te glorieris? Ais enim, ſi quis poſt aliquot annos ex Præpoſiturâ tuâ Ariminenſi probare vellet, falſum eſſe te aliò excurriſſe, fallaciter, ac mendaciter argumentaturum. Anim. III. p. 35. Primùm quæro, ſi nullum tuæ peregrinationis veſtigium extaret, quâ fide ab aliquo poſſet affirmari? Ex auditu, inquis. At hoc aliquod eſt veſtigium. Age nunc, comparationem inſtitue: finge me poſt centum annos de hac tuâ peregrinatione, de quâ nullum, & nuſquam appareat veſtigium, tecum, qui idem tamen non ſis, diſputare. Nego te fuiſſe peregrinatum. At ego ſcio: memineris te aliam perſonam iam ſuſtinere; nego te ſcire; à quo enim didiciſti? à nemine, ſed non Homerico, non à teſtibus, non à tabulis; ſed ſcio. Nego, inquam, te ſcire; at audiui? à quo? nego illum, qui dixit ſciuiſſe. at à multis: aio illos decipi; à quo enim illi audierunt? à te? aut ab aliquo, cui tu dixeris? Niſi huiuſmodi teſtes des, idoneos non dabis. Quid reſponſurus es, Caſtalde, poſt centum annos, cùm non iam tuâ, ſed aliorum ſcientiâ te niti oportebit? Da mihi teſtes ex auditu, aut viſu Caietanicæ excurſionis, da vel vnum; nihil contradicam, quemcumque dederis, viciſti; ſed nullum dediſti, nec dabis. Tota igitur tua Hiſtoria diuinatio eſt. At ſaltem probaui, id fieri potuiſſe. Quæro, quomodo? Abſolutè, an probabiliter? Quid ais? Primum? quis enim negauit? Secundum? nihil minùs. Quæ enim probabilitas eſt, hominem ſenem, Domus ſuæ Præpoſitum, nullis negotiis (quæ ſanè nec probabiliter quidem fingi poſſunt, quæ certè nulla in medium afferuntur, quorum ne leuiſſimum quidem vſquam in totâ veſtrâ Hiſtoriâ veſtigium reperiri poteſt) iter tam longinquum, & difficile ac pertimeſcendum, alieniſſimâ anni tempeſtate ſuſcepiſſe? Tibi peregrinationis tuæ cauſſas fuiſſe ais, & credo; Caietanum,

quòd

In Epist. §.X. quòd nullæ fuerint, iuisse pernego. Tu, vt credam fuisse dicis. Quærenti, quæ fuerint? respondes: *Nascentis familiæ commoda, quibus profectò moderari non potuisse* dicit, *nisi Venetias excurreret.* quod aut idem est, ac dicere, ideo excurrisse, quia negotia Venetiis erant, quod planè ineptum est: aut pro ratione negotiorum, quam ego negans fuisse, postulabam, positionem meam negare, quod adhuc magis ridiculum est. Quod si pag. 36. tandem amore veritatis adactus, rem istam te diuinando dixisse fateris Animaduers. IV. quid me iubes diuinationi tuæ credere? Tu Caietanus non es, qui diuinitatis instinctu anteuortæ simul & postuortæ vel futura prædicas, vel præterita videas. Oportuit diuinationis aliquas probabiles rationes inquirere, eas temporibus, locis, personis aptare; fidem demum vel in speciem facere; nam Pythagoram ego magistrum non agnosco.

IX. *caussa probabilis excursionis Veneta nulla fingi potest.*

Quæro præterea, Castalde, quâ probabilitate persuadere velis, Caietanum negotiorum caussâ Venetias excurrisse? In Epistolâ §. 10. *Fortasse enim* inquis, *nascentis familiæ commoda parens optimus moderari non potuit, nisi tribus aliis sociis Venetam ciuitatem eâ tempestate excolentibus ad consilium vocatis.* Ergo vt illos in consilium euocaret, Venetias migrauit? hoc enimverò mirabile est. Deinde si tres ex Fundatoribus Venetiis agebant & *Aristocraliter* (sic enim loqueris) triginta (nam tres ante Anim. III. p. 35 In Vitâ Pauli IV. c. 3. annos, teipso teste, XXI. tantùm censebantur) Capitum Rempublicam gubernabant, aberántque tres quatuórve tantùm, quid tandem magnæ rei esse potuit, quæ Caietano iter illud suscipere persuaderet? Ais me odiosè agere, qui te de rebus tam antiquis diuinare cogere velim. At si semel diuinãti me credere iubeas, strenuè tibi omninò diuinandum est; nam vnũ ab altero vaticinium firmabitur, alioquin à me nõ auferes, vt credã iuisse Caietanũ, donec aliquam videro probabilitatem. At negotia fortasse fuerunt? Edic saltem quæ, vt probabile hoc ipsum reddas. Nescio in-

quis sed probabile est fuisse. Quare: quia iuit? nec nisi vrgenti aliquâ rerum agendarum necessitate iuisse crediderim. At ego iuisse pernego, quod tu rumore nescio quo, quem tui ipsius dictis vanitatis conuici, tantummodo probare conatus es.

X. *Cuius nullum vestigiũ in Historiâ Ordinis.* Certè negotiorum huiusmodi aliquod saltem vestigium esset in veteri Historiâ; quamquam enim maiores tuos infirmos fuisse in hac parte doleas, posteros tamen Caracciolum & Tufum minutissimâ diligentiâ omnia rimatos fuisse video, & laudo clarorum virorum studium laborémque; neque enim aurum colligentes, quamuis diuite in venâ vel ipsa ramenta negligere conuenit; opera namque maiorum & virtutum exempla, quamuis aliquando in tenui sit labor, quolibet Peruano auro pretiosiora qui colligit, ingens profectò operæ pretium facit. Quùm igitur minima quæque maiorum gesta persequantur Historici vestri & horum tantorum negotiorum nullum in illorum Historiis vel leuissimum quidem sit vestigiũ, cui vnquam mortalium, qui affirmandi caussas procul habeat, vacuôque à studiis partium animo audiat, illa fuisse, probare te posse speras? Adde Caietani geminam profectionem Veronensem in vestris vetustis libris ad D.Pauli notatam reperiri additis caussis, cur de hac silent? Ergóne tam erant hebetes, vt quùm apud vos, sicut tui volunt Antistites, de hac Venetâ Caietani profectione (si enim cum Ignatio Venetiis colloquutum increbruerat rumor, profectum fuisse profectò necesse fuit) frequens fama esset, eam penitùs Historici negligerent? eius caussas diligenter non inquirerent? aliquid probabiliter non disputarent, qui viris magnis, & Græcæ Romanæque Historiæ magistris mos fuit? eius demum omnino obliuiscerentur, quod omnes palam loquebantur? *Nos infirmi.* ais, *fuimus in hac parte.* maiorum gesta imitatione potius referre, quàm scriptis exprimere maluimus. Accipio quod das. Nulla igitur profectionis huius memoria,

Anim. I.1.p. 34.

Anim. XXII.p. 171. & Anim. XXIII. p.197 & 198.

Anim. III p. 14 & Anim. XXIII. p.196.

ria, ante ſcriptam à te Caietani vitam ſupererat. Non hoc ego volo, inquis, de cauſsâ profectionis loquor. Iam hoc videbimus. Nota igitur erat profectio Veneta Caietani. Cui? Hiſtoricis Caracciolo, & Tufo? At illi cùm paſſus viri Dei omnes propemodum enumerent, de hac ſilent, quo ex ſilentio, aut illius famam ne auditione quidem accepiſſe, aut ſi acceperunt, neglexiſſe vt falſam, manifeſtum eſt. Tibi? at tu eius non meminiſti, niſi poſtquam Nigronianis argumentis excitatus, ſerò animaduertiſti, Caietanum tibi Venetiis, tanquam Deum ex machinâ implicandæ, non diſſoluendæ fabulæ ſubitò adfuiſſe: ſaltem vt diligentis Hiſtorici officium poſcebat, dum ſcribebas; *Petiuit à B. Caietano*, addidiſſes, *qui per eos dies Venetias grauium negotiorum cauſsâ excurrerat*, &c. Rem non quidem veram, ſed narraſſes tamen veroſimiliter, atque, ſi cui contradicendi ſiue animus, ſiue libido fuiſſet, anguſtiores ad agendum veluti cancellos circumdediſſes. Tum enim ille quæreret de negotiis, quæ virum totius Ordinis principem, tam alieno anni tempore ſe itineri committere, ac mari coëgiſſent. Quæ negotia, quum à te, ne probabiliter quidem fingi poſſint, reliquum eſt, vt ea nulla fuiſse probabiliſſimum ſit. Neque adeò leues ſunt; quas de maximi itineris difficultatibus coniecturas attulit Nigronus, quem tu Nouum è Theologo nautam, contemptim appellas; & pro tuâ eximiâ modeſtiâ ſubdis, eius Theologiam, *Dum nauticam, & à ſe alienam profeſſionem vſurpat, & propriæ obliuiſcitur, marini vortices, & venti eam diripuerunt.* An eas leges homini Theologo ferendas putas, vt de commodâ maris tempeſtate ſi diſputet, Theologiæ illi iactura facienda ſit? Quæ eſt iſta iocandi minimè liberalis licentia? Quid minùs fecit à Theologo, aut quod tanto nomine indignum facinus deſignauit Nigronus, dum inopportunam ſancto ſeni hyemalem tempeſtatem Venetæ transmiſſioni videri dixit? Ergóne Paulus Apoſtolici officij oblitus eſt, quum Gubernatori & Nauclero,

XI. *Caſtaldus in Nigronũ iniurius.*

Anim XXII. p. 174.

Act. 27.

quòd

quòd *iā tuta non esset nauigatio, eo quod ieiunium iam præteriisset*, ne se mari committerent, persuadere conatus est? Quum in ipso naufragij periculo sua consilia insuper habita illis exprobrauit his verbis: *Oportebat quidem, ô viri, audito me non tollere à Cretâ?* Ergóne, inquam, Paulus, quia nauticam verbo attigit, Theologiæ suæ, quam in tertij Cœli Academiâ didicerat, oblitus est? aut illam marini fluctus ac vortices deuorauerant? Vidésne Castalde, si animus esset imitari, quomodo te hîc ego possem ludos facere? Sed abstineo lubens. Pergo, &c.

XII. *Eiusdē incomparabilis Historicæ veritatis confirmāda ratio.* Quæro ex te, vt me doceas, quæ demum notio, quæ sententia subsit tuis illis verbis Animad. XXII. *Parua nascentis familiæ negotiorum arduitatem, quæ qualisque fuerit, pertingere arbitratur.* Ego enim, quamuis olim Grāmaticam docuerim, vt fatear infantiam meam, vel quid tibi velis, vel in quo Nigronum accuses, assequi non possum. Adiui, quem citas, Synopsis Nigronianæ locum, nec te tamen intellexi. Interrogat ille quidem de negotiis, & quæ tandem essent tam diuturnæ commorationis caussæ, diligenter inquirit, cui tu responsum planè admirabile hîc das. Quæris enim ab eo, vt *Nuntiet tibi, à quo accepit reuelationem negotiorum tunc Patrum nostrorum; edicat, nunc quæro nomen Angeli, qui reuelauit tempus, qualitates, circumstantiásque eorum: grauia an leuia, citò an tardè explenda, prosperè an aduersè*: Papæ! quàm eleganti amplificatione Nigronum perculisti, irretisti, confecisti! Teneris Nigrone; Quî enim audebis Angelorum reuelationem iactare illarum rerum, quæ nunquam, quæ nusquam fuerunt? Sed rogo te, Castalde, seposito Nigrono, naua mihi tantisper operam, méque illi succidaneum accipe; Fortè ego aliquid expediam, quod ille non valuit. Quæro igitur, quod mihi sæpiùs faciendum fuisse iam piget, quænam tandem illa negotia fuerint, tam ardua, quæ Caietanum Venetias adducere hyemali tempore, ac per aliquot menses detinere potuerunt; hoc ex te quæro. p. 177.

Túne,

Anim. XXII. p. 177. Túne, inquis, hoc à me? Inepte; Edic tu mihi; Quis tibi Angelorum reuelauit negotia Patrum nostrorum? Edic *nomen Angeli, qui reuelauit tempus, qualitatem* &c. Sed quàm ego verè ineptus sum, qui hæc tecum ago, Castalde, quasi verò tu disertè testatus non fueris Animad. XXIII. te de his nolle respondere? Quare si p. 193.

Quæro ex te, quæ negotia Caietanum Venetias duxerint; *Continuò sine hæsitatione respondes. Non est meum eorum, quæ à maioribus meis gesta sunt, inquirere rationes, sed humili subiectione venerari.* Audite adolescentes optimi, qui Religionibus nomen datis, legite, si virtutem amatis, locum, quem indicaui; inuenietis admiranda Historiæ veritatis eruendæ præcepta; nam docebimini: *Et nihil curiosiùs inuestigandum, percunctandum nihil, si in viâ Domini progredi concupiscitis.* Parce mihi, Castalde, interroganti: Estne quidquam ex illis quæ ibi scribis, quod ad caussam faciat? An non pudet, dum de Historiâ disputamus, de obedientiâ disserere? de cruce tollendâ sermonem inferre? Spem Abrahami laudare? Age, quæ ibi congeris, euoluamus. Quæro, quæ negotia fuerint, centum ampliùs abhinc annis Caietano Venetiis? Hoc tu quæris? nolo respondere: Quamobrem? Quia Fulgentius de Fide ad Petrum, ait: *Hoc est, quod sancti Patriarchæ & Prophetæ ante Incarnationem filij Dei diuinitus acceperunt, quod etiam sancti Apostoli ab ipso Domino in carne posito audierunt,* & plura, quæ ibi ex illo affers. Cur mihi caussas itineris sciscitanti respondere non vis Castalde? *Quia Abraham, vt inquit Apostolus, in spem contra spem credens vnigenito Filio suo non pepercit.* Cur alienum putas, te caussas inuestigare rerum à maioribus gestarum? *Quia Isaias clamat: Væ qui prudentes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis placentes. Et Ieremias: Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentiâ suâ:* Cur mea postulata de caussis, tanquam responsione indigna, reiicis? *Quia Rex Dauid non ambulauit in magnis, & mirabilibus super se.* Cur non vis gestorum à maioribus, vt ea defendas, rationes reddere? *Quia contra Apostolum*

Marginal notes: Anim. XXIII. p. 193. — Ibid. p. 194. — Ibid. — XIII. *Et planè noua exceptio.* — Ibid. — Ibid. — Ibid. — Ibid.

stolum est Paulus enim apertis oculis nihil videbat;& docuit: Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, vt scilicet (inquit sanctus Thomas) iudicetis id solum esse prudentia, quod vobis videtur Cur tandem de negotiis respondere abnuis Castalde? Adhuc mutis? inquies; Audi oraculum: *Et ipse Dominus docet: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me?* Nigrone, victi sumus: quàm infeliciter negotiorum mentionem intulimus! Potes tu proinde *in puluere dormire, & quæsitus non subsistere*, quod palpo sycophanta ille de grege plausorum Castaldi, ore illoto dicere non dubitauit. Ego post nouum hoc atque præclarum respondendi genus, hinc tacitus abeo, *ne mihi deterius aliquid contingat.* Bonum factum. Ibid. Ioan. 4.

XIV. *Quâ tamen interrogationi non satisfit.*


Attamen cùm Caietano profectionis caussa nulla, nec saltem in specie afferatur, illúmque biennio Neapoli fuisse tradant Historici, nulla ratio est, cur de illis solidis duobus annis aliquid dematur in Venetam hanc excursionem, quod grauissimè à Nigrono animaduersum, & nullâ ratione à Castaldo reiectum, mihi hac Interrogatione fuerat euincendum.

INTERRO

INTERROGATIO OCTAVA.

DE CONSTANTIA.

Ignatium, iactis Lutetiæ Parisiorum Societatis IESV *fundamentis, non potuisse sine Constantiæ labe alienum Ordinem appetere, quod affirmatum à Nigrono, Castaldus oppugnauit.*



VOD ab Ignatij in susceptis consiliis constantiâ validissimum argumentum duxerat Nigronus, mirum quàm primò contemnas, mox quàm operosè infringere coneris, Castalde. Sic enim primum Animad. X. loqueris: *Verùm his omnibus omissis, atque seorsim positis, vnum me percepisse fateor, quod & omnes non percepisse cognoui; in quo S. Ignatij fundetur inconstantia; quippe qui nihil tunc firmum, nihil de Religione condendâ tunc constans habebat; & nihilominùs nihil sæpiùs obijcitur, nihil tam frequenter auditur, hoc semper profertur in medium* (quàm elegans amplificatio!) *Religio, quam fundandam susceperat.* Quæ de Constantiâ Ignatij, déque diuinâ Religionis condendæ anticipatione dicuntur, te non intelligere, facilè credam; neque enim ad rem tuam faciunt. *Omnes* autem *non intelligere*? Si aliquos non intellexisse ais, quid inde conficias non video; nam aliqui etiam in ipsâ Solis luce cæcutiũt. Si neminem omnino dicis intellexisse, parce famæ tuæ, Castalde,

I. *Castaldus Nigrono à constantiâ Ignatij argumentanti frustra illudit.*

pag. 91.

ſtalde, nimis confidenter dicis. Num tu omnes omnino viros doctos, & pios interrogaſti? Et mihi perſuadere te poſſe credis, neminem in tanto virorum ſapientum numero, quibus tuus Ordo collucet, neminem, inquam, omnino eſſe, qui tecum non ſentiat? Non ego tam abiectè de illis ſentio, vt ſi vel Nigronum, vel Hiſtorias rerum noſtrarum legerint, ſuſceptum ab Ignatio longè ante Venetam hanc commorationem de Religione condendâ conſilium fuiſſe non percipiant. Sed tibi, qui tecum non ſentiũt, nullo loco, nullo numero habentur, vt video, nã omnes omnino tecum cæcutire dicis, ſcilicet in ipſo veritatis meridie nihil videre. Quod ne tibi ampliùs contingat, age,

11. Quæro ex te, Ioannes Baptiſta Caſtalde, quid de Ignatij Conſtantiâ, quam in eo viro quicunque illius res geſtas attigerunt, Hiſtorici, ſummis laudibus in cælum tollunt; & Cardinalis de Monte, quùm præclariſſima ea fuerit, in ipsâ ſententiâ, quam coram Pontifice ac Patribus Eminentiſſimis, totius ſacræ Rituum Congregationis nomine dixit ſacro in ſenatu, ampliſſimis verbis celebrauit, tibi, nobiſque ſentiendum putes? Ego quidem illam planè admirabilem fuiſſe non dubito; & tum res ab eo geſtæ hoc mihi dudum perſuaſerant, tum viſus in Romano tabulario, vt ſuprà memoraui, antiquus liber. Ibi de illius Conſtantiâ hæc leguntur. Eâ præditum fuiſſe, vt nimia quibuſdam videretur; vir enim longè prudentiſſimus, & ſecum multa meditabatur, & alios conſulebat, & non niſi optimo propoſito ſibi fine operabatur, quibus anchoris firmata conſtantia vel ipſos decumanos ridere poteſt. Et me quidem hæc de ſanctiſſimo Parente ſentire, non adeò magnum eſt: Filius enim ſum. Te igitur interrogo, vt inter nos conueniat; Nam ſi Ignatium hominem leuem, inconſtantem, & quolibet vento in diuerſa impulſum dicis, Nigronianum argumentum penitùs difflâſti. Si contrà ſentis, vix illius vim effugere poteris.

Interr. VI. §. 16.

Anteuertiſti.

Anteuertisti interrogationem hanc meam, sententiámque animi tui ipso statim Animaduersionis tuæ decimæ initio palàm fecisti; *Satis quidem honorificè de Sancto Ignatio loqui debemus omnes. Quare quæ Nigronus persuadere studuit, ne leuis haberetur ad omnes, & infidelis ad socios, commentitia ea esse, & vana validißimis rationibus comprobatur.* Heu! quàm frigidè loqueris de viro sanctissimo, sed quæ est inconsequentia orationis tuæ? *Satis honorificè loqui debemus; Quare vana sunt, quæ Nigronus, ne leuis viderctur* (Ignatius) *persuadere* conatur? Ego impugnaturo, quæ ab Ignatij constantiâ ducere se putat argumenta Nigronus dicendum arbitrabar, *Nihilominus*, sed loquere, vt libet: De Ignatij quidem constantiâ parum honorificè omnino sentis, eámque hîc palàm laudas, sed clàm arrodis Animad. VII. Obiicis enim ex Ribadeneirâ lib. 1. cap. 2. recessisse eum à proposito, quod diù firmauerat, cùm Ierosolymam, quò perrexerat, *in eá commoraturus, quoad vixisset*, deseruit. Vbi est candor tuus, Castalde? An potuit, intentato Apostolici anathematis fulmine à Ministro Prouinciali, subsistere Ierosolymis? An hoc est, pristina abiicere consilia, ea quùm exequi non possis, deponere? Sed quam commutationem consilij afferas, in sequẽtibus videamus. *Primò famulari Domino meditatus est*: perge, ostende, quî mutauerit: *Secundo propensionem persensit ad laxiorem suscipiẽdam* (Religionem) *vt in reformatione vberiores gigneret fructus.* Hæccine mutatio? Annon Deo famulatus esset? Perge porrò: *Tertiò statuit suum prosequi Institutum.* Ain' tu ita factum esse? Institutum igitur habebat aliquod peculiarius, quàm est summum illud, Deo famulari, quod institutis fieri potest innumerabilibus. Ergo Institutum aliquod habebat? Quàm acutè id probas? Maffeius ait; *Multâ ac diligenti prece & ieiunio explorat numinis voluntatem, ac diu perplexus*, &c. Quid hîc de suo Instituto? ne verbũ quidem. An, tantùm vt scriberes, calamum impellebas? Quæritur, an sine constantiæ labe mutare potuerit Ignatius

Margin notes (left): pag. 80. (beside "decimæ initio") — pag. 58. (beside "palàm laudas") — Anim. VI. p. 58. (beside "tibus videamus") — p. 59 (beside "non Deo famulatus") — Ibid. (beside "innumerabilibus") — Lib. 1. c. 16. (beside "Quàm acutè")

Margin notes (right): III. *Non debuit S. Ignatius verbo laudari à Castaldo,* — IV. *& acriter impugnari, quod Ierosolymis non substiterit* — V. *idque incõstantissimâ ratione.*

initæ cum viris præclaris Societatis (quæcumque illa fuerit, hîc non quæro) non vnius voti religione firmata consilia : ego pernego : tu ais. Quare hoc sentias, quæro : Quia, inquit, aliàs non semel sponte mutauit. Nego : quî probas ? Luculenter. Primò statuit Domino famulari. Ostende mutâsse. Cogitauit, an è Dei gloriâ foret, lapsam alicuius religiosæ familiæ disciplinam restituere conari. Hæc mutatio ? Tertiò statuit suum prosequi Institutum. quod nusquam, te auctore cogitauerat, aut si cogitauerat, id erat de salutis animarum procuratione; reformationi alicuius familiæ hæccine contraria, aut diuersa videntur, vt mutasse dicatur?

VI. *Ignatium paupertatis propositum mutâsse, calumnia est Castaldi.*

Addis: *Ante hæc omnia se Deo committens, nullo adhibito subsidio ad alimoniam, necessariò aggredi statuit firmus in corde suo: Verumtamen non leuis, aut inconstans aliquid, quo aleretur, cordatus admisit; nam ab incepto quandoque atque præfinito sibi fine desistere præstantius est.* Anim. VI. p. 59. Quo hîc ego te nomine appellem, Castalde, non inuenio; nam quod res ipsa deposcit, & modestiâ meâ, & reuerentiâ ætatis tuæ, Ordinísque vetor vsurpare : Res certè est vltra morem, siue diligentis Historici, siue candidi disputatoris, ea dissimulare, quæ honestas efficiunt actiones, tum verò in illas detruncatas incurrere. Res ita se habuit. Ribad. l. 1. c. 1.

VII. *Qui malè de constantiâ philosophatur.*

Venerat Minoressâ Barcinonem Ignatius nauigaturus Hierosolymam, confeceràtque iter illud sine viatico, ne quidquam illâ solicitudine de erectâ in Deum fiduciâ detereret. Barcinone à Nauclero quodam, vt in Italiam se veheret, cùm impetrâsset, naulum ille quidem remisit liberaliter; sed ni quotidianam in alimoniam nautici panis iustum demensum in nauim priùs inferret, se facturum præcisè negauit. Angi hîc vehementissimè Ignatius, se alloqui, atque increpare ; tum sacerdotem arbitrum conscientiæ suæ consulere, quo iudicante, parendum esse necessitati ; nec videri Nauarchum iniqua postulare;

lare; panem corrogatâ pecuniâ emptum intulit, adeò ſuſceptæ paupertatis retinens, vt, qui panem ementi ſupererant, nummos in littus indignabundus abiiceret. Quod hîc mutati conſilij veſtigium? Cur non addidiſti, coactum fuiſſe bis cocti panis aliquid emere? Nam qui coactus facit, conſilium certè non mutat, ſed non exequitur. Cur non vidiſti ita neceſſitati tantùm paruiſſe, vt lautiùs nihil addiderit? vt non abundantem annonam intulerit? vt nummos liberrimâ indignatione abiecerit? Sed perge ſtrenuè, atque Anim. X. aliquid adde. Quid dicturus ſis, expecto. Ais, à nobis

p 95. violari Conſtantiæ Ignatianæ dignitatem, cùm ſcribimus eum anno XXXIX. etiam poſt felices ſucceſſus, & Pontificis oraculum, *vehementer unà cum ſociis addubitare cœpiſſe, & hoc publicis annalium noſtrorum monumentis fateri nos, ob quam rem leuis atque inconſtans aliquo modo à nobis prædicatur, quod quidem nunquam affirmare debemus.* Agnoſco animum tuum, Caſtalde. Et quia de totâ hac dubitatione, & conſultatione in loco tibi reſponſurus ſum, interim ſcire debebas, dubitationem etiam vehementem, qùùm difficultates obiiciuntur, nihil de conſtantiâ detrahere; nam illæ menti inſident, hæc voluntatis eſt ornamentum; Quùm igitur de Ignatij conſtantiâ, nec ſatis honorificè ſentias, nec ſatis integrâ fide loquaris; nihilominùs nolo te hanc culpam præſtare: at veluti ſi honorificè ſentires;

Anim. X. p 86. 2. 2. q. 57. a. 5. Quæro ex te, quem ad finem producas teſtē Theologum docentem *Inconſtantiam eſſe recedere à bono propoſito definito?* Annon bonum definitum erat Societatem cum lectiſſimis viris initam ad animarum ſalutem tueri? Quid te implicas magnæ Tereſiæ exemplo? Si à fundandis ſui Ordinis domiciliis rerum aliquando difficultate deterrita deſtitit, inconſtans fuit? Verùm ſi ex illis Dei numen interpretabatur, ſapientiſſimè agebat. Mitto, quàm id, niſi aliquid adhuc addas, verum ſit; nam pleraque diu multúmque cum hominum maleuolorum ac rerum iniquitate luctata, demū condidit.

Non ergo ex illis solùm de diuinâ voluntate cognoscebat, sed proprio quodam lumine diuinitùs animo illabente. Alioqui, aliúdne nullum definitum bonum propositum est, nisi diuinæ se conformandi voluntati? p.86.
Quis hoc vnquam dicat? Sanè damnatas inter insanias Philosophorum, & nescio quorum ignobilium capitum opinatio ab Ecclesiâ proscripta fuit docentium nihil à Deo petendum, nisi *fiat voluntas tua*, cui gemina esset assertio dicentium: Nullum bonum consilium suscipi posse, nisi Dei Numini se conformandi. Addis opportunè, Inconstantiam non esse, cùm in meliùs mutamus. Cuius dicti veritatem, quæ tamen ex personarum, de quibus agitur, conditionibus definienda est, ad rem nostram esse pernego; Quamquam enim Religionis iam constitutæ status delineatâ tantùm videatur melior; at tamen illa erant rerum momenta, vt Ignatio longè meliùs esset inchoata constanter vrgere, quàm abiungere.

VIII. *Non enim omnia absoluta inchoatis semper sunt anteferenda.*

Fac nobis, Castalde, nauigandum esse, quando nauigationis te similitudo delectat: Tu absolutum habes nauigium, sed exiguum omnino, lembum, scapham, lenunculum; opportunum sanè destinatis, nam Neapoli amicam tibi in vrbem Surrentum migraturus es. Ego, qui ad Sinas vsque Iacobum Fratrem inuisurus nauigare debeo (quamquam eò illum multis magnísque pro Christiana Republica laboribus functum, & Sinicâ litteraturâ pereruditum, & difficillimâ illâ linguarum omnium pluribus editis monumentis nobilitatum, & Magni illius Regis gratiâ florentem, raptum robustâ adhuc ætate fuisse audio; atque felicissimè abiisse confido, quò nullo nisi Crucis nauigio aiunt nauigare quemquam posse, & tibi tamen, tuísque suppliciis, ac sacrificiis quàm enixissimè possum commendatum velim.) ingentem rostratam onerariam, conducto Fabro, aliísque operis, immani positâ carinâ, trabibúsque ingentibus in costas surrectis, certâ futuræ molis delineatione inchoaui, propediem absolutu-

rus.

rus. Putásne me prudenter facturum fore, si omissâ onerariæ meæ fabricâ, in tuum illud absolutum quidem vtcumque, sed nondum expolitum, nullísque admodum armamentis instructum actuarium transmigrandum mihi censuero? Non hoc te dicturum puto, insanientis enim hominis esset. Vidésne igitur rerum magnarum molitori Ignatio meliùs non fuisse vestram sese in familiam abdere, quæ, vt laudatissima sit, ab iis tamen, quæ tum destinauerat, & non ita multò post perfecit Ignatius, longissimè abesse, centum ampliùs annorum experimentis probatum est?

Anim. X à p. 85. ad 91. Placuit hîc tibi, Castalde, calamo dudum irato liberaliùs indulgere, & Societatem hanc minimam atrocissimè lacerare, vt non modò delineatam eam tantummodo, quod in rem præsentem satis erat, sed absolutam magnísque Dei ornatam muneribus, diceres: *Nouissimum præ cæteris in Ecclesiâ Dei locum obtinere, inferiorem etiam Equitibus Ierosolymitanis.* Non ego te Magistrum sequar, sed Christum; qui *cùm malediceretur non comminabatur.* Censor ego non sum in Ecclesiâ Dei, vt quibus in ordinibus vnaquæque Religiosa familia sedere debeat, supremâ potestate definiam. Nos, te iudice, infimum locum libenter obtinebimus, dum ferendo agendóque vltimi non simus. Vos locum illum, in quo collocauit vos Deus bellè tenetis; laudo: primi omnium in paupertate audire vultis; in hoc non laudo. Sed vtcumque res se habeat, vestra studia, totámque illam primæuam viuendi rationem, & quæ nunc aliquantulum (quod negari profectò non posse, nos Historiarum monumenta docent) amplificata est, Ignatianis cogitationibus, quæ vastiores admodum erant, non magis conuenisse, quàm lembum ad extremos hominum Iaponas nauigaturo, certo certius est. Si ergo Ignatius longè alia, bono cum Deo, & ampliora meditabatur, opportuna profectò illi non fuit, neque placida, quam tu depingis, in portu statio; neque destinatis ad ampliorem diuini nominis gloriam,

IX. *Castaldi acerbitas in Societatem* IESV.

pag. 86. & 87.

Anim. XIII.

X. *Cuius amplior erat, quàm delineatio absolutus Ordo C.C.R.R.*

minus apta ratio veſtra viuendi. Dâſne hoc, Caſtalde? minimè gentium, inquis. Quid enim Ignatius maiora deſtinauit, qui nihil firmum, nihil propoſitum, nihil de hac tuâ Societate condendâ id temporis cogitatum habebat? De hoc, Caſtalde, iam videbimus. Interim ſi illa meliora cogitaſſet, mutare ſine inconſtantiâ potuiſſe, noli negare, nam ſæpè inchoata abſolutis nobiliora ſunt; An tu delineatam adumbratámque carbone à Michaële Angelo Bonaroto tabulam à Buſalmacchio coloratæ anteferendam non arbitraris? auri rudimenta, diuitéſque inchoationes argento non præferes? Prudénſne habereris, ſi auro effingendo, ita iam prompta elementa, vt parum admodum abſint à comprehenſione, in plumbum infunderes? Quis tuam illam ferret excuſationem: Abſoluta inchoatis præhaberi? Hæc ideò à me diſputantur, vt in putri ſolo te fabricare intelligas. Sed antequam de delineatâ inchoatâque Societate tecum curatiùs agam,

Quæro, quamobrem tot adductis Sanctorum virorum exemplis, qui aliquando conſilia mutauêre, Lectorem oneres, atque illo Hugonis Lincolnienſis, tanquam victor egregius, inclamato ad reſpondendum è tumulo Nigrono, triumphes? Excutiamus ſingula; diſcemus enim nouam aliquam philoſophiam. Quid ais, Caſtalde? Cæciliam Valerianum ſponſum accepiſſe, nec tamen ad eius nuptias perueniſſe? Quid voluntarium Alexij exilium, relictâ ſponsâ virgine, in medium affers? Hæc, niſi legerem oculis, à te viro cordato ſcribi potuiſſe, vix iuratis teſtibus crediidiſſem. Fac nuptiarum omnium rationem opere illo maritali; quo flores in fructus erudiuntur, contineri, quis te certiorem fecit, eo, & Alexium, & Cæciliam animo nupſiſſe, vt hoc vellent? Si qua fides eorum geſtis habenda eſt, longè ab eo conſilio vterque ſemper abfuit; non igitur mutârunt. Quomodo ergo laudandæ mutationi teſtes à te producuntur? Sed ratum matrimonium in Religioſum

Anim. X. p. 80 & deinceps.

p. 83.

X I.

In Cæcilia, & Alexio nulla ſententia mutatio.

Ibid. p. 81.

Religiosum statum mutare licet, quod operosè probare quid interfuit, rem nemini dubiam? Fateor, quia in melius, & magno Ecclesiæ priuilegio. Perge porrò; quid hinc conficies? Ignatium in melius mutare potuisse, non labefactatâ constantiâ: pulchrè dictum, sed perge porrò: & mutabat in melius: Hoc opus, hic labor est. At tota hæc tua ratio paulò antè concidit: Sume tibi hominem, cui meliùs sit matrimonio operam dare, quàm Religiosum fieri, cuiusmodi vnum aliquem de multis esse posse, Theologus non negabit: hunc tu ab inito matrimonio, quod sibi prudenti consilio maximè conuenire iudicauit, eodem rerum statu non violatâ constantiâ aliò transiturum credis? Sed video te clara virorum sanctissimorum nomina in caussæ communionem arcessere, vt eorum fulgore oculos animósque legentium euerberes: Quid ais? Mutauit Dominicus, mutauit Antonius Patauinus: Nego in his Ignatianæ mutationi, quam probare conaris, quidquam adfine inueniri. Quid enim? Annon Dei gloriam, animorumque salutem nouo, quem moliebatur, Ordine longè magis amplificandã fore, quam à suâ Canonicos inter perseuerantiâ, intelligebat Dominicus? Annon eadẽ cogitatio Antoniũ impulit, qui angustos intra fines se coërceri ægrè patiens, ad *Seraphicam mox* (tunc, dicendum fuit) *exurgentem familiam transiuerit*? Quis nesciat à laxiori, molliorique vitæ genere ad longè astrictius liberam per constantiam esse transeundi facultatem? At quid simile in Ignatio, qui magna & multis partibus (fac in aliquo vinci) vestrâ viuendi ratione ampliora consilia dudum susceperat?

XII. *Et Dominicus, & Antonius Patauinus mutarunt in melius.*

Anim. X p. 80. & 81.

Sed Hugonis sanctissimi Lincolniensium Antistitis exemplum, quasi roboris inuicti argumentum affers in medium. Audiamus: *Sanctus hic iureiurando Canonicis Regularibus ab eis non recedendi se adstrinxerat, Qui tamen nullatenus verbo tam præstito* (quod monstrum verbi, hoc est, datâ fide, dispungendum) *permotus,*

XIII. *vt etiã Hugo Lincolniensis.*

Anim. X. p. 81.

permotus, eôque iuramento firmato factis Deo precibus, &c. ad Carthusianos transiit. Hîcne triumphas? Hîcne mutuatis aliunde verbis, quibus non nemo Patrum in hæreticum inuehitur, Nigrono insultas? verbo me expediam; nec me in adyta diuinarum reuelationum recipiam, vt reus. Ad meliora transiuit Hugo, à quo transitu iureiurando nullo debuit retardari; nec ea quæ sponte cadebant vincula, solui inducto per machinam Deo, opus erat. Sed nondum exemplorum acies profligata. Et Romualdum ex Pannonio itinere, & Franciscum è terrâ Syriâ reuertentes, & Paulum Barnabámque à Iudæis ad gentes Euangelij signa conuertentes obiicis. Vt de Apostoli facto priùs respondeam, vidésne ampliorem aliquanto Prouinciam comparâsse Apostolum, quàm priùs obtineret? Simile illud esset, si ad Gentium salutem, quas inter nulla adhuc erat Ecclesia, euocatus, intra vnius Palesthinæ fines industriam suam voluisset includere. Quidni enim, te Magistro, laudabiliter fecisset? Absoluta delineatis, tuo iudicio, præclariora sunt. At in Palesthinâ, ipsísque præcipuè Ierosolymis constituta iam erat Ecclesia, habebátque pastorem Iacobum; in illis prouinciis, ad quas destinabatur Apostolus, nullum iactum Euangelij semen. Cur igitur illi auctor nõ fuisti, vt omissis, quæ plenissima difficultatum erant, tuta præhaberet? Nugæ. Non igitur Ignatij, qui gentium (Turcarum saltem, quod tu non negas) salutem animo iam tum complectebatur, angustos intra terminos cogi debuit industria:

XIV. *Nec Paulus mutauit, nisi in melius.*

Quanquàm in hoc Pauli exemplo tanto acumine subtilitatis interrogas, vt ego, qui his interrogationibus delectari videor, planè hæream, veluti fulgure ictus, sic enim ais: *Cur Paulus, qui in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter semper impauidus; qui Elymam pseudoprophetam Iudæum suæ prædicationi resistentem cæcitate percussit, sic facilè Iudæis cessit? Cur non eos signis, atque prodigiis flexit? Ex his disce, non semper in suscepto opere permanere constan-* Anim. X. p. 85.

tiam

tiam esse. Quàm præclarè conclusum? Proh Logicam incomparabilem! Paulus Elymam cæcauit, & non cæcauit Iudæos reliquos. Ergo consilium mutauit. Quid enim aliud dicis, si, quæ multis inuoluis, paucis adstringas? Sed quis te de Pauli consilio certiorem fecit, stetisse illi nimirum primò sententiam Iudæos signis, atque cæcatione ad Christum traducere? Illis nunquam cedere? Si post hoc animi sui decretum abstinuisset, illisque cessisset, tum aliquid dixisse videreris, nunc verò, vt Latinè loquar, nugaris.

At Romualdus, & Franciscus reuersi sunt. Quî enim progrederetur Romualdus, quem immisso febris veluti satellite ab illâ profectione Deus ipse manifestò reprehenderet? Abraham quoque à filij iugulo manum repressit, iubente Angelo. At Ignatium manifesto Dei numine à susceptis consiliis destitisse probare te posse quî speres? Porrò quæ tandem fuit in Francisco consilij mutatio, qui cùm in Syriam, Ægyptúmque nauigâsset, vt martyrij inde palmam deportaret, post breuem velitationem, honorificentissimè à Sulthano habitus, rem sibi è sententiâ minùs succedere vidit? Quænam de illius constantiâ esse potest controuersia, qui gemmarum coëmendarum caussâ in Indiam nauigans, si nullas inueniat, domum reueniat? Sed quàm mira est illa tua ex moralis Philosophiæ arcanis deprompta ratio, Constantiæ ab altero extremo *Audaciam* opponentis, tum raptâ occasione de magnificentiâ disputantis? In pertinaciam, non in *audaciam* degenerat Constantia, teste Philosopho. Quid autem hîc cum Magnificentiâ commune habemus? At ad illam *pertinet, quod homo non solùm consistat in executione magnorum operum, quod pertinet ad constantiam, sed etiam cum quadam virili prudentiâ.* ait Theologus. An putas extremam illam præclaræ sententiæ particulam ad constantiam pertinere? Falleris, si hoc putas; Diceret enim Thomas *Sed tamen*, quæ contrahentis, & dicta paulò ampliora castigantis, vox est, non, vt dixit, *Sed*

XV. *& Romualdus à Deo monitus,*

XVI. *& Franciscus.*

Anim. X. p. 84.

XVII. *Thomas à Castaldo minùs feliciter exponitur.*

2. 2. q 136. a. 2.

Q *etiam.*

etiam, quæ augentis & extendentis, coniunctio est. Iungitur igitur cum magnificentiâ, quæ ex operum magnorum, sed prudenter destinatorum, constanti molitione conflatur. Mitto Ambrosij, Athanasij, & Augustini dicta; cui enim in mentem venit, dubitare aliquando, An timeant sancti? an fugiant? an lateant? Sed quàm extra caussam ista dicantur, nemo non videt.

XVIII. *Ignatiū de Societate condendâ ante annum XXXVI. cogitâsse.*

Verùm ego ad hunc vsque locum vnum mihi sumpsi, tanquam certum fixúmque, quod tu Castalde, supremo conatu niteris conuellere, vt fundamentum argumentationis totius, quam ab Ignatij constantiâ Nigronus conficiebat; negas enim vllam Ignatium ad id vsque temporis, Societatis conflandæ cogitationem vllam suscepisse, quod cùm Nigronus, & Societatis iam Lutetiæ Parisiorum initæ, & diuinæ prænotionis argumento factum probâsset; tu vtrumque eius dicti fundamentum subruere niteris. Seponamus proximæ Interrogationi cogitationem illam diuinitus haustam, contra quam nullo more, nullâque reuerentiâ insurgis, & quæ conuellendæ initæ Parisiis Societati obiicis, excutiamus.

Quæro igitur abs te Castalde, annon initam ab Ignatio cum Petro Fabro, Francisco Xauerio, Iacobo Lainio, Alphonso Salmerone (quibus viris, Deus immortalis!) ac reliquis Societatem volens libénsque fatearis? Facis hoc quidem, nam negandi, quamuis maximè id velis, nulla superest via: At illa Societas initium fuit eius, quam deinde condidit, immò rudimentum & delineatio. Hoc enimuerò, inquis, apertissimè inficior; si enim hoc darem, victus iam essem; Negas? nego: quin immò assero; nullum omnino propositum, cogitationem nullam ad id vsque temporis Ignatium suscepisse. *Nunquam enim illis neque de proximo, neque de longinquo tale quid in mentem venerat.* Nullámne igitur de nouo Clericorum Ordine fundando cogitationem habuerat,

A m. XVIII.

p. 158.

Ibid p. 160.

XIX. *Frustra negame Castaldo.*

buerat, nullam omnino habebat Ignatius? Nullam, inquis, quoties mihi hoc iterandum est? Parce, Castalde, iterum interroganti: nam mihi affirmatissimâ tuâ confessione opus est. Nullam? profectò nullam. Non ego hîc mentiri te dicam; scio enim te ex animi tui sententiâ id dicere, sed memoriam, sed constantiam in dictis tuam desiderabo. Quî enim dicere potes, nullam eum de nouo Ordine condendo cogitationem tunc habuisse, cùm vestrum in Ordinem admitti postulâsse dicitur, qui eâ gratiâ illũ postulâsse scribis, quòd de nouo Ordine cogitanti multa & magna subeunda discrimina in difficillimæ rei molitione occurrerent, quorum vel vmbrâ territus, alienam opẽ, ductúmque, homo scilicet ignauus ac timidus, spectauit? Si de difficultatibus, si de ærumnis, si de incommodis cogitabat, aliquam de eâ re, quæ illis esset excipienda, cogitationem susceperat. Rectè quidem, inquis, sed ego cogitâsse de nouo Ordine constantissimè negaui. Recitetur Epistolæ tuæ ad Marcum Thienæum particula XIV. Audi: *Animo etiam versabat Ignatius, quæ pati necesse sit in nouo Clericorum Ordine fundando; Hæc enim illa erant, &c.* subdísque, *Difficultates in Conuentu Romano* (quem neglectu Chronotaxis, qui tibi solemnis est, Vincentinum sæpius appellas) *Patres in medium attulere.* Quid ais, Castalde: Versabat animo, quæ pati necesse sit in nouo Clericorum Ordine fundando, iísque territus in alium iam fundatum migrare statuebat; & de illo nouo fundando nunquam ad eam diem cogitauerat? Quid dici potuit alienum magis, atque inter se pugnans, discordiâ plusquam intestinâ? Versabat animo difficultates nouæ molitionis, ob eásque aliò consilia conferebat, & de illâ molitione nihil adhuc susceperat cogitationis? An tu non idem & illius Epistolæ, & huius Certaminis auctor? Parum, hoc est; iterum enim pro Nigrono pugnas, & Ignatium familiam condere meditatum fuisse tradis disertissimè.

XX. *sibi ipsi contrario,*

Incredibilia loqui ne videar, tuâ obtinebo sententiâ. Quæro enim si quis homo sanæ mentis ita de Ignatio socios conquirente loquatur: *Hoc nihil aliud probat quā propensionem Ignatij proximos adiuuandi, quos vel iñ sua (vt meditatus fuerat) instituenda, vel ad aliam familiam iam firmatam ingrediendo, prout Spiritus sanctus eum interiùs impellebat, consocios haberet.* Hæc, inquam, qui loquatur, nonne Ignatium de familia cōdenda cogitasse antequam socios eos legeret, aptissimè testatur? Non inficior, inquis, & non leuiter id fecisse ex illo verbo *Meditatus fuerat* doceri potes; Hominem proinde qui hæc dixerit, aut scripserit, eum mihi validè asserenti, nihil ante annum XXXIX. Ignatio de Societate cogitatum, contraria scribere; ac proinde veritatem amanti auctoritatem eius floccifaciendam ex animi mei sententia pronuncio. Sed, mi Castalde illa ipsissima tua verba sunt Animad. XII. p. 58. §. Decimo: qui locus mihi diligenter est indicandus, ne in tanta tua scribendi inconstantia me dolo malo agere quisquam suspicetur. Sed aliud non minus admirabile ex te iam audio. Hoc ipso enim loco Nigronum accusas, quòd socios ab Ignatio Venetiis quæsitos, sine vlla dixerit probatione. *Quod assumpsit*, inquis *probare debuit*. Quasi verò res nostris historiis vulgata non esset. Sed errauerit Nigronus, & Ribadeneiræ id ita factum scribenti lib. De vita Ignatij 2. cap. 16. fides nulla habeatur obsecro, datúrne mihi probandi locus? Quidni detur ab æquo Prætore? Excito igitur testem, quem vt falsum non reiicies Castalde, virum nimirum & generis claritudine, & Religiosi moris professione, & multis virtutibus nobilem: testem inquam in hac totâ caussâ ita diù, multùmque versatum, vt nihil illum præteriisse omnes, qui hominis nouerint diligentiam, facilè sint intellecturi. Is igitur testis non in familiari sermocinatione, in qua vix quisquam tam linguæ potens, ac verborum parcus est, cui aliqua per imprudentiam non elabantur; sed in grauissima quadam Epistola, quam

ad

ad Marcum Thienæum Comitem dedit, rẽ suo dicto planè conficit. Quid hæres Castalde? Te ipsum appello, ac meminisse iubeo, te eius Epistolæ §. 15. ita disertè scribere: *Nec imprudens prætermitto Ignatiũ ante huius procellæ ortum tres probatos viros suarum virtutum odore allectos multorum dierum exercitiis excultos ibidem*(Venetiis) *Domino peperisse, sibique sociasse.* Quàm luculenter Nigroni dicta confirmas! *Sociauit?* ergo socios adlegit. Quid ergo aduersus illam Epistolam scribens probaret Nigronus, quod tu illi vltrò dabas Castalde? Scribit Nigronus Ignatium Venetiis sibi socios comparasse? Quid reprehendis Castalde? *Quod assumit*, inquis, *probare debuisset.* Cui? Tibi? at vltrò fatebaris. Quid igitur rem, vel aduersario exploratam probando tempore abuteretur. Quamquam verò tuo te hîc confecerim gladio; adhuc tamen ex te

Quæro, quid ad Pontificum oracula, & Regum testimonia respondeas? nam verbo magnificè quidem loqueris, re autem nullam illis reuerentiam adhibes. Ita loqueris: *Quod Apostolica veneranda Diplomata asserunt, & Regales Francorum Christianissimi Regis Epistolæ amplissimè perhibent, ambigere nefas est*: tum non multis interiectis verbis, de delineatâ Societate: *Hoc autem omnino illud non est, quod postmodum factum est.* Si hoc, quod negas, Diplomata asserunt, Regis litteræ loquuntur, tu nefas, Castalde committis; non enim ambigis tantùm, sed pernegas. Vidistíne, quod Paulus III. in Diplomate confirmationis disertissimè tradit, & Nigronus tibi obiicit; quam ipse supremâ potestate confirmaturus erat Societatem, eamdem esse, quæ dudum coaluerat, quæ eâdem fine duceretur? iisdem operibus attineretur? Recitentur Pontificis verba, de quibus ambigere nefas Castaldo est, & ne hoc contrahat, pernegat. *Cúmque ad hanc almam Vrbem se contulerint* (Ignatius, & Socij) *& in charitatis vinculo persistentes, ad perficiendam & conseruandam eorum Societatis in Christo vnionem, quandam viuendi formam iuxta ea, quæ ad propo-*

XXI. *tradit Paulus III.*

Anim. XVIII. p. 158.

ſitum ſibi finem conducere vſu didicerunt, &c. Age, Caſtalde, opinationes tuas falſiſſimas Pontificio oraculo contendamus. Pontifex ait, Ignatium & Socios conueniſſe in Vrbem ad perficiendam conſeruandámque *vnionem* Societatis. Tu negas. Egóne? tu plane in hæc verba Animad. XVIII. *Quare neque inchoata Societas, neque propinqua perfectioni.* An perfici, & conſeruari poteſt, quod inchoatum non eſt? Negas ergo, quod Pontifex aſſerit: nefas igitur admittis. Rurſum Pontifex illos didiciſſe longo vſu, quæ ſibi ad propoſitum finem conducerent, quem finem, vt abſolutæ perfectionis ipſe laudat, opera verò ſuprà enumerauerat; Tu perfectionem eam amplecti decreuiſſe Patres ais anno XXXIX. tum, quaſi planè rem confeciſſes, ſubdis, *Nullo pacto dici poteſt, quæ ab initio ab iiſdem diuerſa excogitata fuit.* At, quam dudum in vnum iam ex diuerſis mundi partibus conuenientes coiuerant Societatem, Pontifex ſe confirmare dicit; tu longè diuerſam aſſeris. Nefas ergo admittis. Quæ autem inconcinnitas illa tua, ad explicandum inchoatæ, perfectæque Societatis diſcrimen auium & piſcium mentionem facere? quaſi tantundem diſtent rei initia ab eiuſdem abſolutione, quantum auium ac piſcium diuerſæ inuicem abeunt naturæ: Hominis peccatoris, & *iuſtificandi* ſermonem inferre? Quaſi verò initium ſit aliquod *iuſtificationis* in Peccatore: vide quid dicas. Nullúmne Ignatium inter & reliquos nouem initium Societatis, quam (ſi qua vſquam inter homines fuit, modò Religioſam conditæ iam familiæ excipias) firmiſſimam inierant, & quam Pontifex dudum coaluiſſe docet? Túne audes, vt dictum tuearis, aſſerere; *Nunquam illis* (Ignatio & Sociis) *neque de proximo, neque de longinquo tale quid in mentem veniſſe*, quod tamen Pontifex veniſſe affirmat? nam illi *vnionem Societatis eorum in Christo, quam iamdudum Spiritu ſancto afflati, vt piè creditur, è diuerſis mundi partibus diſcedentes, & ſocij effecti*

p. 60.

Ibidem.

Anim. XVIII. p. 160.

effecti coiuerunt, confirmandam perficiendámque obtulerunt? Annon eam Societatem confirmabat Pontifex, quæ iamdudum,& iam quamplurimis annis ad nutum Romani Pontificis Christo dicauerat, vt idem loquitur? Quod profectò Lutetiæ fecêre Ignatius, & Socij anno eius seculi XXXIV.

Cur verò dissimulanter reliqua tibi à Nigrono allata testimonia silentio transmittis? Profectò, cùm grauissima sint, malam te caussam tueri illorum dissimulatione prodis. Operæpretium tamen erit hîc eadem adhibere. Eum diem (Parisiensis nimirum Sacramenti) quasi primum eius natalem Patres celebrârunt, vt tradit Orlandinus: Quid ais, Castalde? Aut Orlandinus fabulator est, aut Patres illi nugabantur: mihi enim sat constat, *Illis nec de proximo, nec de longinquo quidquam tale in mentem venisse.* Franciscus Montanus ait, *Societatem Parisiis cœptam, primásque radices egisse in Academiâ Parisiensi, decem magistris eiusdem Academiæ eam bono omine auspicantibus.* Hoc ille ait? Nugator est; nam mihi exploratum est inchoatam non fuisse Societatem. Florimundus Remundus de Ignatio socios Parisiis conquirente, ait *nouam Societatem instituere decreuit.* Fallitur; *Nihil de illâ cogitatum, nisi anno* XXXIX. *Romæ.* Quid ego dicam de nostris Iacobis Gretsero,Gualtero, Bidermanio viris clarissimi nominis?Eos tu nauci facies,vt rerum nostrarum parùm scientes; & tibi, qui in illis toto cœlo peregrinaris, fidem haberi voles?

XXII. *Orlandinus, aliique,*

lib. 1. n.89.

Anim. XVIII. p.160. Contra Atuel. c.30.

De orig. Hæres. l.5.c.1.

Anim. XVIII. p.160.

Quid demum de Christianissimo Ludouico Gallorum Rege? Annon hic inter reliquas caussas postulandi à Gregorio XV. Pontifice, vt Ignatio supremos Sanctorum honores decerneret, eâ Epistolâ, quam propriâ exaratam manu, v. Kalend. Martias anni vigesimisecundi dedit, illam incredibili quadam humanitatis significatione affert, quòd ad

XXIII. *& Christianissimus Rex.*

Regni

Regni sui, ac Regiæ ciuitatis amplitudinem pertineret eius, quæ Parisiis coaluerat, Societatis Fundatorem in Sanctorum album referre? Abnuis, & Regis ipsum chirographum poscis? ecce illud ex nostro Romano tabulario: *Meum Regnum hoc diuinitus consecutum est bonum, & illustrem benedictionem, quòd tantus hic seruus Dei ad Parisiensem meam vrbem venerit ad eruditionem capessendam, quòd eodem in loco pios sibi commilitones adiunxerit, quòd in templo montis Martyrum Galliæ Apostolo, religiosè consecrato, fundamenta Societatis suæ initiáque posuerit.* Ex Tabulario Romano. Hîc enimuerò quomodo Regium hoc testimonium refutare possis, ego sanè non video; Regibus enim etiam iniuratis credi par est. Verùm, ne qua tibi elabendi vsquam pateat via; age, iuratissimos testes producamus, viros suarum virtutum & religionis, quam profitentur, claritudine nobiles. Et quidem ea est Carthusiani nominis amplitudo, vt contra viros ex illo Ordine probatissimos te non excepturum arbitrer; præsertim cùm propriis honestatibus insigniantur. Quid igitur dicturus es, si plurium Carthusianorum Patrum testimoniis palàm fecero anno XXXV. sæculi superioris, antequàm Venetias appelleret, in Hispaniis de condendâ Societate IESV, deliberatum Ignatio fuisse? Deleturúsne tandem es, quæ tibi incitatiùs scribenti exciderunt, vbi suprà: *Nihil de illâ cogitatum nisi anno* XXXIX. *Romæ*? Dicturúsne tandem es veritatis instinctu; erraui, lapsus sum? Haud dubito te, qui & morum nobilitate, & religionis sanctitate ad omnem veritatis amorem sis effictus, vbi eam ex aduerso fulgentem videris, vltrò illi manus daturum. Sed ne illam moremur vlteriùs, documentum ipsum, quod ex Hispaniis ad me transmissum est, hîc integerrimum exhibebo.

Testimo

Testimonia Patrum Carthusianorum de Societate IESV ab Ignatio deliberatâ ante annum superioris Seculi XXXVI. quo Venetias appulit.

In Dei nomine. Amen. Notum sit vniuersis, Anno à Christo nato millesimo sexcentesimo quadragesimo primo die octaua mensis Ianuarij apud Regium Patrum Carthusianorum Vallis Christi Conuentum, situm intra Generales terminos Villæ, vulgò de Altura Diœcesis Segobricensis Regni Valentini, instante Patre Christophoro Perez Rectore Collegij Sancti Petri Societatis IESV., Ciuitatis Segobricensis per me Vincentium Paulum Ballester auctoritatibus Regiâ, & Apostolicâ Notarium publicum, ac dictæ Ciuitatis Segobricæ incolam, testium informationem receptam fuisse huiusmodi tenore: XXIV. *Tum P. Antonius Martinus Carthusianus.*

Die octaua mensis Ianuarij, Anno à Christo nato millesimo sexcentesimo quadragesimo primo. Reuerendus P. Dom Antonius Martinus de Altarriba Regij Patrum Carthusianorum Vallis Christi Conuentus Vicarius, Annum agens quinquagesimum secūdum parum plus minúsve, & Professus dictæ domus Annorum triginta duorum, testis datus, & productus pro parte, & instantia Patris Christophori Perez Rectoris præfati Collegij Societatis IESV; Ritu, & more Sacerdotali manu dexterâ pectori applicatâ, testatus est Dominum Deum, eiusque sancta quatuor Euangelia, se dicturum veritatem eorum, quæ scierit, & super quibus interrogatus fuerit ad eum articulum, vtrùm videlicet S. Ignatius de Loyola Fundator, & auctor Clericorum Societatis IESV animum habuerit ingrediendi Religionem Theatinorum, priusquàm Societatem IESV conderet? Pleno ore testatus est R. Pater, se accepisse ab antiquissimus Patribus Vallis Christi Conuentus, & præcipuè à Venerando Patre Dom Matthia Ferrez (hic sexaginta quinque annis Carthusiam in regio Vallis Christi Conuentu Professus est eâ sanctitatis, & Religionis gloriâ conspicuus, vt dignus fuerit; qui cùm à S. Ludouico Beltran, tum à Beato Nicolao Factor, tum etiam ab Illustrissimo sanctæ memoriæ Domi-

no Dom Ioanne de Ribera Patriarchâ Antiocheno, & Valentinorum Archiepiscopo tanquam vir prope diuinus haberetur; Et Vallis Christi Conuentus non solùm eius cineres honorificentissimo loco ab aliis distincto veneratur: verùm eius imaginem pietate, & iussu Illustrissimi D.D. Petri Gines de Cacanoua Episcopi Segobricen. depictam, pientissimè colit) sanctum Ignatium Anno millesimo quingentesimo trigesimoquinto, è Ciuitate Valentiæ in Regium Vallis Christi Carthusianorum Conuentum accessisse, vt suum videret dilectissimum Præceptorem Patrem Dom Ioannem de Castro, cuius bonis artibus, & litteris imbuendum Parisiis se totum deuouit: & suum insuper aperiret animum de fundandâ Societate IESV *antea conceptum: in eius ad Deum precibus felicem tantæ rei exitum collocabat. Annuit Dom Ioannes de Castro votis Ignatij: illo vespere, noctéque proximâ Deum ardentissimè super hac vnâ re precatus est. Sequenti die sic est Ignatium allocutus. Ita, ô Ignati, tua de fundandâ Societate* IESV *arrident vota, vt si lubet Carthusiam deseram: Nouitius sum, nondum votis adstrictus, meam opem, operam, vires, consilium in te vnum transferam, dummodo tantæ molis negotium felicem exitum consequatur. Ad quæ Ignatius: Nequaquam Reuerende Pater, sta inceptis; tuis me precibus Deo commenda: Reuersurus Valentiam, vt Romam proficisceretur ad condendam Societatem* IESV. *Idem accepit dictus testis à Patre Dom Onuphrio Ripoll Religioso quinquaginta annorum professo, & Priore Vallis Christi Conuentus, viro spectatæ virtutis. Qui dixerunt, se accepisse sæpissimè à pluribus antiquissimis Patribus, & præcipuè à Patribus Dom Ioanne Bellot Priore eo tempore, quo S. Ignatius Carthusiam Vallis Christi appulit: & à Patre Dom Ababur, Dom Iosepho Ferrer; & à Patre Dom Gual, & ab aliis. Hoc testatus est scire dictus testis, tum ob supra memorata, tum ob communem traditionem inter Patres Regij Vallis Christi Conuentus, tum etiam quia vidit, & legit hanc veritatem in manuscriptis reconditis in Archiuio dictæ Carthusiæ. Et quia res ita se habet, & ob iuramentum præstitum. Generaliter autem fuit interrogatus dictus testis de odio, amore,*

timore

timore, precibus, subornatione, minis, malâ, & bonâ voluntate, & aliis circumstantiis ad præmissa necessariis, & ad omnia dixit, Non.

Fr. Antonius Martinus de Altarriba,
Vicarius Carthusiæ Vallis Christi.

Prædictis die & Anno,

Reuerendus Pater Dom Andreas Soler Religiosus Antiquior dictæ Carthusiæ, Professus ætatis sexaginta octo annorum, Professionis quadraginta nouem, testis datus, & productus pro parte, & instantiâ Patris Christophori Perez Rectoris præfati Collegij Societatis IESV, ritu, & more Sacerdotali manu dexterâ pectori applicatâ testatus est Dominum Deum, eiusque sancta quatuor Euangelia, se dicturum veritatem eorum, quæ sciuerit, & super quibus interrogatus fuerit ad eum articulum, vtrùm videlicet S. Ignatius de Loyola Fundator, & Auctor Clericorum Societatis IESV animum habuerit ingrediendi Religionem Patrum Theatinorum priusquam Societatem IESV conderet? Pleno ore testatus est Reuerendus Pater se accepisse à Patre Dom Michaële Monllor suo Magistro, Annum agente nonagesimum, qui quasdam litteras sibi ostendit, quas vt res sacras colebat, erant namque Patris Dom Ioannis de Castro Carthusiani Vallis Christi Conuentus viri spectatæ virtutis, qui eo tempore hospitabatur in Scalæ Dei Carthusia, eique dixit: Hæc est Epistola sanctissimi viri Fratris nostri, socij sancti Ignatij. Et tunc sibi aperuit sanctum Ignatium accessisse hanc Carthusiam Vallis Christi, vt videret præfatum Patrem D. Ioannem de Castro, Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, & vt conferret cum illo conceptum de condendâ Societate IESV animum. Tunc S. Ignatius expectans Patrem D. Castro Nouitium Vespertinis horis adstantē cum reliquâ Religiosorū familiâ, sedit ad Crucem Cœmeterij Conuentus. Et quia res ita se habet, & à cōmuni Patrum traditione accepit, & ob Sacramentum præstitum. Generaliter autē fuit interrogatus dictus testis de odio, amore, timore, precibus, subornatione, minis, malâ, & bonâ volunta-

XXV. Tum P. Andreas Soler eiusdem Ordinis.

te, & aliis circumstantiis ad præmissa necessariis. Et ad omnia dixit, Non.

Frater Andreas Soler Antiquior dicta domus Vallis Christi.

XXVI. *Tũ B. Nicolaus Bonet itidem Carthusianus.*

Prædictis die, & Anno,

Reuerendus Pater Dom Nicolaus Bonet Regij Patrum Carthusianorum Vallis Christi Conuentus Religiosus annum agens sexagesimum parùm plus minúsve, professione triginta septem, testis datus, & productus pro parte, & instantiâ Patris Christophori Perez Rectoris dicti Collegij Societatis IESV, ritu, & more Sacerdotali manu dexterâ pectori applicatâ testatus est Dominum Deum, eiúsque sancta quatuor Euangelia, se dicturum veritatem eorum, quæ sciuerit, & super quibus interrogatus fuerit ad eum articulum, Vtrùm videlicet S. Ignatius de Loyola Fũdator, & Auctor Clericorum Societatis IESV *animum habuerit ingrediendi Religionem Patrum Theatinorum priusquàm Societatem* IESV *conderet? Pleno ore testatus est R. Pater, se accepisse ab antiquissimis Patribus Vallis Christi Conuentus à professione vltra sexagenariis, & præcipuè à Patre Dom Michaële Monllor, & à Patre Dom Ioanne Bellot, & ab hoc præcipuè audiuisse, sanctum Ignatium accessisse ad dictum Conuentum Vallis Christi, Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, vt conferret animum antea cõceptum de fundandâ Societate* IESV *cum Patre D. Ioanne de Castro Toletano Magistro quondam sancti Ignatij in Vniuersitate Parisiensi: & cum eo contulisse animum condendæ Societatis* IESV. *Id ipsum testatur dictus Testis, sæpius audiuisse à Patre D. Onufrio Ripoll Priore, qui obiit in hac domo anno* 1614. *Insuper audiuisse à dictis Patribus sanctum Ignatium nunquam habuisse animum ingrediendi aliam Religionem, nec Patrum Carthusianorum. Hoc dicit sic dictus testis, tum ob supra memorata, tum ob communem traditionem inter Patres Vallis Christi Conuentus. Et quia res ita se habet, & ob vim iuramenti præstiti, Generaliter autem fuit interrogatus dictus testis de odio, amore, timore, precibus, subornatione, minis, malâ & bonâ voluntate, & aliis*

aliis circumstantiis ad præmissa necessariis; Et ad omnia dixit, Non.

Fr. Nicolaus Bonet.

Super quibus omnibus, & singulis præmissis dictus Pater Christophorus Perez Rector præfixus requisiuit sibi per me dictum, & infrascriptum Notarium vnum, & plura, publicum & publica, instrumentum, & instrumenta ad habendum memoriam in futurum. Dicta loco, die mense, & anno, quibus in principio, præsentibus ibidem Michaele Perez pãnorum paratore, & Michaele Sebrian Agricola Villæ Alturæ habitatoribus testibus ad præmissa vocatis, & rogatis, & specialiter assũptis.

Signum † Tabellionatus mei Vincentij Pauli Ballester auctoritatibus Apostolicâ & Regiâ Notarij publici, qui præinsertam testium informationem licet manu alienâ scriptam recepi, & præmissis omnibus, & horum singulis, dum sic, vt præmittitur, fierent, & agerentur, vnà cum prænominatis Testibus præsens interfui, eáque sic fieri vidi, & audiui, in notam sumpsi, clausi, & subsignaui in fidem præmissorum omnium Rogatus, & Requisitus.

Cùm ex distantiâ locorum, & terrarum de fide, & legalitate Notariorum sæpe dubitetur. Idcirco nos Doctor Franciscus Gonzales Presbyter Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Segouiensis, & per Adm. Illustri, & Reuerendissimo Domino Dom Fratri Didaco Serrano Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopo Segobrien. Regióque Consiliario, &c. In spiritualibus, & temporalibus in præsenti ciuitate, & Diœces. Segobriens. Vicarius Generalis, & Officialis, Attestamur, fidémque facimus præsentes vniuersis & singulis Dataria, & Cancellariæ Romanæ Officialibus, vel aliis quibuscumque Iudicibus dictæ Curiæ, quibus præsentes peruenerint, & præsentatæ fuerint, quod supradictus Vincentius Paulus Ballester, qui præinserta testium recepit, & subsignauit, est Notarius publicus tentus, habitus, & reputatus, omnibúsque Instrumentis per eum receptis tam in iudicio, quàm extrà plena & indubia fides solet adhiberi, & vt omnibus innotescat, præsentes nostras certificatorias litteras manu nostrâ firmatas sigillique dicti R. D.

mei Episcopi Segobriensis impreßione munitas, ac per Notarium, & scribam nostrum infrascriptum referendatas expediri iußimus & mandauimus. Datum, & actum in Ciuitate Segobriensi, die decimo mensis Ianuarij, anno Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo primo.

Gonzalez Vic. Generalis, & Officialis.

Locus † sigilli.

De mandato dicti Domini Officialis & Vicarij Generalis Segobriensis, Hieronymus Ruiz de Ripodas Notar.

XXVII. *Interrogationis clausula prima.* Quæro iam ex te, Castalde, an satis disertè viri religiosissimi, ac grauissimi loqui tibi videantur? An celeberrimi Monasterij traditioni, & antiquis illis litteris, ac libris fidem haberi æquum censeas? Quæ demum tua hîc est sententiâ? Negas? Quâ igitur fronte traditioni tuæ, quæ nullis antiquæ fidei tabulis nititur, credere me iubes? Imperiosus es, si hoc facis: Annuis? Iam igitur tandem veritati das manus, & Ignatio Societatem condere, antequam cum Caietano Venetiis colloqui potuerit, stetisse sententiam, vel inuitus admittis. Iube igitur deleri de tuo libello verba illa veritati aduersantia: *Nihil de illâ cogitatum, nisi anno trigesimo nono Romæ.* Anim. XVIII. p. 160. Quî enim cum Ioanne Castrio in Monasterio Vallis Christi, de Societate IESV, quam vt conderet, nauigaturus erat in Italiam, egit in Hispaniis anno XXXV. si de illâ nihil, nisi quadriennio post, anno XXXIX. cogitauit? An tibi ea Societas, quam ex Hispaniis deliberatam apud se in Italiam Ignatius attulit, fungorum more noctis vnius dubiâ consultatione videtur exorta? Vide, mi Castalde, in quas te angustias coniecerit dicti tuendi nimia quædam animi inductio, quæ specie veritatis tibi, eius, vt opinor, amicissimo, splendidè imposuit? Exiguus sæpè inter constantiam, obstinationémque limes est: *Obiecto* potiùs, quàm operatione disparantur: veritatem, licet serò, agnouisse nullus pudor; sed

pars

pars est non vltima felicitatis: eidem manus dare viris sapientibus longè gloriosissimum: falli ratiocinatione suâ, & in re Historicâ hominem, quamuis acutum, & diligentem, cui veterum monumenta præsto non sint, labi aliquando, pronum esse, magnis exemplis docemur, & vix reprehensione dignum est: at nolle dedoceri; hoc enimuerò eius hominis non est, qui in veritatis verba iurauerit; quod Sacramentum qui non dixerit, eum Historico Senatu motum in fabulatorum plebem reiicit consensus sapientium. Quid igitur tandem hîc dices Castalde? Quisnam te istam disputandi rationem docuit? Malè profectò magistris vsus es, si ex illorum disciplinâ aduersariorum validissimas dissimulas argumentationes: Haud satis est tua confirmare, nisi contraria conuellas. Cuius præuaricationis ne me possis accusare, iam tibi ad obiecta respondebo. Sed da veniam, vt quæ ex nostrâ congeris Historiâ, in proximam Interrogationem reiectis, de reliquis te hîc interrogem.

Anim. XVII. p. 168. & deinceps.

XXVIII. *Inchoata priùs fuit & delineata Societas* IESV *ab Ignatio, quàm perfecta.*

Quæro ex te igitur, Castalde, cur tam multis de formâ ac materiâ dispules, ac triceris? Tu me interrogas? inquis, Responde priùs mihi quærenti: *Cur Nigronus formalem inter vtramque Societatem differentiam ponere non extimuit?* Facilis responsio, & planissima. Ne ibi timeret, vbi non erat timor. Quid enim timeret? Multum, inquis; Nam *forma dat esse rei*, quomodo ergo esse dicitur, cui forma deest? Quæris? quia est in proximâ potentiâ; quia inibi est, vt vltimam accipiat perfectionem. An si eorum placita sequaris, qui hominem in materni ventris officinâ primò plantarum more viuere: mox sensuum iam compotem vim accipere, ídque ex ipsius quadam, vt ita loquar, materiæ iam bene compactæ *efferuescentiâ*; ad extremum vbi absoluta fabrica est, perfectissimâ animâ, quæ nihil è materiâ trahat, perfici ac constitui docet; antequàm postremùm

mum hoc fiat, hominem inchoatum esse negabis? Huiusmodi gradus in omni Religiosi cœtus fundatione contemplemur. Annon primò suscipiendum ab aliquo eius condendi consilium est, & cum aliis communicandum? iam lineari occepit: Cùm illi primò in eandem eunt sententiam, cùm collatis Capitibus in commune decernunt; iam aliquod piæ Societatis incrementum videtur: cùm certis legibus, aut certâ saltem officiorum ratione viuunt, iam sensus suos discretos in operationes habent: cùm demum supremâ Christi Vicarij auctoritate sanciuntur, tum demum vitam vndequaque perfectam obtinent.

XXIX. *vt alij Ordines præclarissimi.* Dic, rogo te, Castalde, Dominicus, Franciscus, ac reliqui sanctorum Ordinum Parentes optimi, antequàm noua viuendi instituta Pontifex adprobaret, ac sanciret, Ordinémne aliquem inchoatum habebant? Societatémne vllam cum suis coiuerant? Ne veritati oblucteris (quod quamuis oppidò facias, destinatò tamen facere velle non credo) hoc mihi dabis, eos scilicet Ordines iam coëgisse. Et si neges, fateri cogam, exemplo Dominici, qui Romam venit cum Tolosano Episcopo ad Lateranense Concilium, vt *Ordo, quem instituerat, ab Innocentio confirmaretur.* Ergo nondum Religio erat, & tamen iam Ordo erat. Quid? Fortè illis omnia iam decreta, quæ ad illius coagmentationem pertinebant? nequaquam. Iubetur enim Dominicus in Galliam remigrare, & cum sociis de Regulâ, in cuius verba sacramentum Religiosum dicerent, in medium consulere. An ante istam consultationem, in quâ dubitatum esse, ac dictis in vtramque partem sententiis, deliberatum à Dominico, & Sociis, tam verosimile est, quàm quod verissimum, nullum fuisse Ordinem dicturus es? Quem igitur confirmari ab Apostolico postulabat Dominicus? An Regulæ sortitio, & comparatio ad Ordinis formam non pertinet? Sed quid ego de Dominico te interrogem? Tuus ipse Ordo, nónne, antequam confirmaretur à Clemente VII. erat à IV. viris

viris Fundatoribus inchoatum? Annon aliquid erat pridie Idus Septembris anni XXIV. quâ die ei bonorum suorum, quibus se abdicabant, partem IV. viri donârunt? Didici ego id ab Ioanne Baptista Tuso Episcopo Acerrarum, qui Historiæ capite I. sic loquitur: *Donauit tanquam pauperibus Christi huic Religioni, quam fundaturi erant, aliqua bona, quæ illi supererant*, &c. Audis Religionem appellari, quæ nondum fundata erat? Si rem ad viuum resecare velimus, ea, quæ nondum fundata est, Religio non est, nemo tamen Tusum reprehendat; quia iam pia quædam erat Societas hominum, grande aliquod bonum parturientium. Nónne igitur *materialis* quodammodo ea dicitur Religio, cui adprobatio Pontificia nondum accessit? Vis adhuc de re apertissimâ, in quâ tamen vanissimè argutaris, altiùs aliquid repetamus? Rogo te, cùm in libro Genesis verba illa Mosis narrantis rerum molitionem legis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de luto, & inspirauit in eum spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, intelligásne hominem dici statuam illam ex luto, cui spiraculum inditum vitæ est? antequam viueret, nónne ex illo nobilissimo limo varietatem hanc admirabilem membrorum, articulorum, neruorum, venarum ac viscerum effinxerat artifex illa Sapientia? Nihil ibi adhuc vitæ, & tamen multum iam hominis erat; Opificium ego illud, si hominem *materialem dixero*, tu me audebis, tanquam minùs philosophicè loquutum traducere? Túne auium, ac peccatoris ampliùs mentionem facies?

pag 8.

XXX. *Et Clericorum ipsorū Regularium.*

XXXI. *Potuitque dici quodāmodo materialis.*


cap. 1.

Cum igitur Ignatius & naturæ genio, & Dei munere constantissimus, omnium testimonio esset, susceptúmque Societatis consilium alto dudum animo foueret, neque illi quidquam, quamuis absolutum constitutúmque, quod inchoatis destinatís-


XXXII. *Quare validè argumentatur Nigronus.*

S que

que suis melius, aut amplius esset, obiiceretur; neque à Deo suscepta olim consilia iuberetur abiicere; hoc sine leuitatis, atque inconstantiæ notâ facere non potuit; quæ cum viro sanctissimo inuri non debeat, idque ex Petitione à Castaldo confictâ necessariò fiat, verissimè, argumento ab Ignatij constantiâ ducto, quidquid Castaldus obluctetur, Nigronus eam reiiciendam putauit, quod mihi erat euincendum.



INTERRO



INTERROGATIO NONA,

DE FIDELITATE.

Ignatium Socios sine fidelitatis iniuriâ deserere non potuisse.



ATIS videri poterant, quæ de Ignatij constantiâ superiori à nobis Interrogatione sunt disputata, nisi de Ignatij Sociis contemptim interrogasses eâdem Animad. X. *Siccine erant Ignatij socij, prima vestri Ordinis planta?* de quibus vt modestiùs loquereris, potuit te Apostoli Orientis reuerentia admonere. Verùm vt locum hunc paucis absoluamus: I. *Interrogationis occasio.*

pag. 91. Vide etiam Animadu. XXV p. 210. & 211.

Quæro ex te, Castalde, an quia Ignatium, vt parentem reuerebantur, qui eos spiritu genuerat, ideo illos ipse deserere debuerit? Quæ est ista consequentia doctrinæ tuæ? Obseruatum à sociis, vt parentem fuisse Ignatium, & Nigronus dixit, & Historiæ loquuntur, &, quando istæ silerent, magnorum & sanctorum virorum virtus persuadet. Quid hinc efficias, non video; nam nisi ego planè in humanis peregrinor, illud huius amoris consequens in Ignatio esse debuit, vt illos amaret, vt filios; Cui si tibi iam connexum est, illos deserere; ego te in Morali Philosophiâ magistrum non sequor; quid enim dici potuit alienius? II. *Ignatium quos amabat, non debuisse relinquere.*

Ibid. p. 81. & deinceps.

Non erat, mi Castalde, quod operosè de matrimonio rato, quod Religionis ingressu dissoluitur, disputares, quis enim vnquam sanus dubitauit, Ignatio quoli- III. *Exemplo matrimonij rati non probatur.*

bet in Ordine Religiosum Sacramentum dicente, solutum iri Societatem, quam coiuerant Socij Parisiis, cùm & in Religiosæ familiæ stabilitatem nondum coaluisset? Rem minimè dubiam probas. Non hoc quæritur opinor, sed an satis officio functus fuisset Ignatius. Quamquam enim Religiosi status ea sit dignitas, & amplitudo, vt humanis omnibus societatibus præhabenda sit; fieri tamen quandoque potest, vt non statim, non aliis inconsultis suscipiendus videatur. Res est manifestior, quàm vt probari velit. Et Ignatium, si eam in mentem incidisset, par fuerat socios opperiri, cum eis in medium consulere, veteris consilij damnati rationes afferre, noui, quod susceperat, commoda explicare, demum viri probi, ac boni parentis officio fungi: Non erat eius, qui tantis laboribus socios (& quos bone Deus!) adlegisset, *animásque fecisset* Parisiis, eos ita repentè destituere, vt illorum nulla ad se ampliùs pertineret procuratio. At, dices, eos hortari exinde potuisset, vt se parentem sequi vellent. Mitto, quàm frigidè hoc dicatur: Quid si colloquendi cum illis facultas à maioribus negata fuisset? Quid si aliquò amandatus? At suæ cuique perfectionis studium aliorum profectibus anteponendum est. Audio, sed suprà luculenter docui, fieri posse, vt ampliora meditantibus, quicumque status Religiosus melior dici non possit. Nec illi sanè viri erant Ignatij socij, quos ille adeò negligeret; nec ipse adeò periclitabatur salute vt quemcumque in portum se illico recipere deberet: nec is erat obiectus splendor, vt animum maioribus intentum perstringeret.

IV. *Quum id faciendi caussas non haberet.*

V. *Nec Sociorum erat pamuta illius consilia sequi,*

Quæro rursum (nam audio aliquid aliud ex Sociorum erga Ignatium reuerentiâ, & obseruantiâ in rem tuam conficere, te putare,) an quia Ignatium, vt parentem reuerebantur Socij, quodcumque demum consilij ille suscepisset, sequi illos debuisse credas? Quidni, inquis? *Paulus apertis oculis nihil videbat.* Et Petrus monet: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine* Anim. X. p. 91.

dolo

dolo lac concupiscite. Nolim te mihi irasci Castalde, si dixero, te in tantâ scripturarum luce apertissimis, plusquàm Paulo essent, oculis nihil videre, & pueriliter ratiocinari. An quia Socii quasi parentem Ignatium obseruabant, eum sequi ita debuerunt, vt nihil, te quidem auctore, *apertis viderent oculis*? Etiamsi ille in abstrusam aliquam sese solitudinem abdidisset, eò sequi debuisse Xaueriũ, Fabrum, reliquos, qui pertinacibus commentationibus, atque acerrimis ieiuniis, multâque mysteriorum vsurpatione diuinam explorantes voluntatem, cùm alius de alio nesciret, in opus Euangelij euocari se, ac separari manifestò senserunt? At Ignatius eorum dux iam alia sentiebat: Ergo illis statim mutandum? Nihil illis inuestigandum? Et quia hoc Nigronus minùs verosimile videri ait, túne viros illos ludos facias, quasi contra Apostolum vtrumque facerent, quòd *apertis oculis* non omni Spiritui crederent, sed probarent, si ex Deo esset? Si timerent, ne specie aliquâ honesti nimiùm doctis dolis illuderet veterator Angelus Satanæ, qui se transfigurat in Angelum lucis? Quid? annon hoc viris doctrinâ, & sanctimoniâ magis dignum fuisse, rectè dixit Nigronus? Quid igitur interrogas increpans? *Siccine erant Socij Ignatij primæ vestri Ordinis plantæ*? Planissimè: Sic erant. Quid confecisti? An illos minùs prudentes, minùs sanctos fuisse? Nego id consequens esse: At, inquis, *apertis oculis videbant*; & acutè quidem. Ergo contra Paulum faciebant, qui *apertis oculis nihil videbat*. Egregia enimuerò diuinarum Scripturarum interpretandi ratio, ob quam non dicam Cornelios inter, Caietanos, & Maldonatos, sed Hieronymos, & Chrysostomos sedere debeas laureato in scabello, vt Sibyllinorum carminum interpretibus olim apud Romanos mos.

VI. vt contraria sanctè susceptis.

VII. nam prudentissimè omnia circumspiciebat:

Ibid.

Quid, si ego ex vero magis reponam, *Videte fratres vocationem vestram*? Si vocabantur à Deo ad animarum procurationem, ad quam se voto addixerant amplissimo; túne illis auctor fuisses, vt semisolitariam adhuc in

VIII. & à Deo alio vocabantur.

S 3 fami

familiam se abstruderent? At hæc Religiosis iam votis firmata splendebat, quasi verò sola esset. Sed audi, Castalde; Philippum Nerium consulturúmne sibi magis fuisse, dices, si vobis accessisset, ad quos, vt apud te legere memini, quoscumque poterat, submittebat? Id tu quidem non dices. Quamobrem? Palàm est; à Deo enim ad alias longè diuersas viuendi rationes euocabatur. An ille magis, quàm Xauerius? Quàm Faber? Quàm Lainius? Et quî vocationem illam suam agnouerat Philippus? Multâ, dices, prece; hoc idem fecerant Ignatij Socij, vt cùm illos ad cæcam, nescio quam obedientiam, planè intempestiuam, deuocare conaris, illis eam adimes stabilitatem, quam tantopere commendat Apostolus admonens, vt maneamus in eâ vocatione, in quâ vocati sumus, & ne omni vento doctrinæ circumferamur.

IX. *Castaldus sibi contrarius.*

Quoniam verò paulò antè eorum, quæ de Philippo Nerio à te scribuntur, meminimus, iubeo ego te illa exigere ad alia longè dissimilia, quæ à te ipso eodem in libro de vitâ Caietani traduntur: Ais enim Philippum pluribus auctorem fuisse, vt vestro Ordini nomen darent: *In quo scilicet moderatâ viuendi ratione, perturbationibus animi edomãdis ardenter opera datur.* Præclarè omnino sensisse sentio Philippum, laudóque hominis sanctissimi, atque interioris totius Philosophiæ scientissimi perhonorificum de vobis, vestrâque disciplinâ iudicium. Verùm quî hæc conueniant illis, quæ eodem libro scripseras, non equidem intelligo: *Plerosque sodalium diuini Amoris* (ex quibus Caietanus, Carafa, & reliqui Ordinis principes prodierunt) *exemplum ne sequerentur territos à nimiâ austeritate, quâ viuebatur.* Et paulò infrà: *Cùm à plerisque ambigeretur in aulâ, an recipiendus Ordo esset* (quod tamen tu laudes inter cõmemoras, de tuo agens; at Societati probrum inde creari posse non dubitas) secus plerisque visum fuisse dicis; Quasi non expediret *Clericorum familiam tam arctâ paupertate, tantâque vitæ austeritate fundari.* Quæ mihi paulò

Anim. X. p. 86. & alibi.

lò ab illo Philippi iudicio videntur esse diuersa; nisi fortè de illa primâ austeritate dies ipsa, vt fieri amat, aliquid iam diminuerat, quod ego non credo, & tibi potiùs tua componendi curam esse volo, quàm de religiosissimâ familiâ secus aliquid opinari.

Verùm ni morologus futurus sum, vellem à te paululùm doceri, quî tua cum Caraccioli fides bellè conueniat; cùm vterque de Patrum ab Vrbe discessu agitis; nam qui Maffeium, & Lucenam committere voluisti, admirabili tuâ temporum scientiâ, quâ ab exeunte anno, autumni tempus ita disparas, vt inter contradicentia enumeres; æqui, bonísque consulere debes, si mihi aliquid paulò in vestris libris difficilius videatur. Tu quidem in Caietani vitâ in illo discessu, ita Patrum itineri moderaris, vt eos ad ostia Tiberina deducas, vbi à Dominico Veniero Veneto Legato in comitatum humanissimè assumpti, Ariminum deducuntur; nec satis explicas, marine, an terrâ iter fecerint, nam si nauibus vecti sunt, circumnauiganda tota fuit propemodum Italia, & non esset quod Neapoli non subsisterent, in quam se Arimino recipere, paulò pòst voluerunt? Vbi ais tu quidem, offendisse Augustinum Amulium, cuius consilio, de Neapolitano itinere mutantes, Venetias propitio planè Numine abierunt. Hæc tuæ narrationis sententia est. Diuersa verò Caraccioli in Collectaneis: Ait enim ad ostia Tiberina offendisse Amulium, quem tu Arimini primùm inducis; Et, ne cuiquam dubium esse possit, quid hac de totâ profectione senserit Caracciolus, audiendus hîc est Hieronymus Magius, ex quo sua excerpsisse Caracciolus non dissimulat, cuiusque narrationem sua inter Collectanea retulit, ad quam subinde prouocat. Magius igitur sic habet; *Quem planè ad locum,* (ostia Tiberina) *Augustino Amulio Venetæ Classis Præfecto paucis pòst diebus appellente, ab ipso hilari animo hilaritérque exceptus* (Carafa) *Venetiásque deductus est.* Hæc tuis non benè conueniunt, qui Arimini occurrisse

Amulium

Anim. XXII. p. 170.

X. *& Antonio Caracciolo.*

Amulium tradis. Quæ eâ gratiâ à me commemorata ſunt, vt videas Caſtalde, tibi in tuorum Patrum Hiſtoriâ non adeo firmam vndequaque fidem conſtare; nam ſi tabularium Neapolitanum appellaueris, vidit illud, opinor, etiam Caracciolus, qui in illis colligendis Collectaneis veteres ſchedas omnes excuſſit. Poſſem aliquid adhuc tibi obiicere toto hoc in genere, ſed non hoc agimus, Quare vt ad cauſſam regrediamur,

XI. *Probatur coniectura à fidelitate.* Cùm Ignatio nulla tanta neceſſitas fuerit, ſocios longè chariſſimos non opperiendi, vti conuenerant, antequam nouum Religionis ineundæ conſilium ſuſciperet; neque ſequuturos illos, vtpote ad alia omnia vocatos, credere prudenter poſset; à debitâ Sociis fide Caſtaldianæ fabellæ impugnandæ à Nigrono non malè ducta eſt coniectura, quod hac breui Interrogatione mihi fuit explicandum.


INTERRO-



INTERROGATIO DECIMA.

DE PRÆNOTIONE Societatis condendæ ab Ignatio diuinitus acceptâ.

Prænotionem hanc à Ribadeneirâ, & Orlandino, aliisque allatam, ac nobilissimâ probatam traditione, tum summâ virorum clarissimorum iniuriâ, tum parum beneuolo animo à Castaldo oppugnari.



Anim. X. & XVIII. VLLVS in hac totâ controuersiâ locus est, in quo Castaldus se confidentiùs iactet; quasi verò demum triumphauerit. Omnibus igitur viribus connixus, quidquid vsquam inuenire potuit nostrâ in Historiâ, quod ad eam conuellendam facere opinatus credidit, diligenter corrasit, & pensitauit, ac ne cui ea possent latere, grandioribus litteris curauit imprimenda, quâ ego in re hominis tum æquitatem, tum iudicium acrius valde requiro. I. *Castaldus de Prænotione Ignatij sibi triumphare videtur.*

Quæro enim, cur in hanc vnam partem tantùm incumbat, cùm Nigroni argumentationem aliâ longè viâ, quæ minùs esset odiosa, posset effugere? Quid enim argumentatur Nigronus? Non potuisse Ignatium, qui diuinitus Societatis condendæ prænotionem olim habuisset, habitum Ordinis petere à Caietano. Annon poteras dicere: *Nihil officit reuelationi, quam de* II. *Quam eludit.* Anim. VII. p. 62.

sua Societate condenda habuisse volunt Ignatium, petitio nostri Ordinis; cùm sciamus Christum Dominum rogâsse Patrem, vt calicem passionis à se transferret, cuius reuelationem acceperat. Adde hoc proprium esse Sanctorum si quandoque illustrationibus cælitùs honestentur, trepidare, num à Deo, an illusiones sint inimici; vel certè spirituales viros super his cælestibus illustrationibus consulere? Hoc si dixisses in tuâ Epistolâ, & Nigrono aliquid respondere visus esses, & quos tibi amicissimos, ac venerabiles vocas, quos te in visceribus (candidioribus ipsis Elephantinis) ferre dicis, non offendisses, sed quæ mihi tua reprehensio est, qui à te superius responsum planè mutuatus sum? Si hoc dato Animad. VII. quieuisti, fortasse te iniuriâ accusaui; Verùm si tacito reuelationis nomine, eandem nihilominùs impugnas, habeo caussas expostulandi. Anim. XV. p. 144.

III. *& quantum potest oppugnat.*

Quid enim aliud facis Animad. XVIII. *de modo* quærens, *quem tenuerunt primi Societatis Patres in eâ condendâ*, quàm reuelationem hanc Ignatianam, quia minùs bellè cum tuis conueniebat, iisdem, quibus olim in Epistolâ, machinis oppugnare? Video equidem eam ab Iulio suâ in Dissertatione ita luculenter probari, vt eam in caussam ingredi apertè iterum ausus non sis; sed nihilominùs, vt hoc, quantulumcumque demum ornamenti est, Ignatio ac Societati diriperes, clanculùm idem agere non destitisti; nam quasi ea demum profligata esset, obiicis nullam Ignatio, vt Romualdo, ac Nortberto, aliisque magnorum Ordinum parentibus, illustriorem fundandæ familiæ prænotionem diuinitus concessam fuisse. Cæterùm & hoc vt clanculum, ita frustrà conaris, & quod Animad. VII. responsum attulisti, obiecta non soluit. Cernamus collato pede. Aio enim Ignatium, qui de fundandâ Societate Iesv, déque nomine illi imponendo diuinitus fuerat edoctus, ingressum Ordinis vestri sine magnâ diuinitatis iniuriâ tentare non potuisse.

p. 158. Anim. XXVI. p. 124.

Quæro

Quæro igitur ex te, quam argumentationis partem improbes? Vtramque, dices, inficior; nam falsum est, quod tibi sumis; neque illius consequens est, iniuria prælucentis Dei, quam elicis; Primum abundè ex Ignatij fluctuatione Animad. XVIII. confeci, alterum VII. demonstraui. Age, hoc vltimum examinemus. Quid enim? *Nonne Caietani oraculo, qui sanctimoniâ præclarus ab omnibus habebatur, certior de reuelatione fieri potuit Ignatius, omni ambiguitate semotâ? Petitionem ergo reuelatione explodere vanum est.* Tu enimuerò hostem fingis, quem ferias. Quando enim scripsisti Ignatium consilij caussâ ad Caietanum accessisse? Id tu quidem nũquam; sed petisse in Ordinem admitti, quod hominis est, non de suâ prænotione dubitantis, sed eam omnino, vel non habentis, vel falsam existimantis.

Anim. VII. p. 62.

IV. *Prænotio cum petitione non conuenit.*

Si à Deo saltem vocatum fuisse Ignatium diceres; facilè tibi foret, Abrahami exemplo, petitiones nostras eludere omnes: nam vt Patriarchæ diuinum promissum condendæ per Isaacum stirpis, quin eundem vnigenam eiusdem Dei iussu immolaret, moram nullam attulit; haud aliter dicere posses, Ignatium & certiorem olim à Deo factum fuisse de condendâ Societate, & nihilominus eiusdem imperio in alienum Ordinem ingredi voluisse, credentem in spem contra spem, nodum sibi quidem inexplicabilem, à Deo arcanis rationibus, suo demum tempore fore explicandum. Sed bene habet: nam tibi hanc promptam euadendi viam Caietani præcludit oraculum Ignatio renuntiantis *eum ad illã Religionem à Deo non vocari*; Nulla igitur in hoc Ignatij consilio, ac petitione reuerentia diuinitatis, tanquam terriculamentum quoddam, mihi obiici potest. Nudum igitur hominis consilium fuit; quod si ab his, quæ Deo cordi esse olim, eodẽ Deo docente, cognouerat, diuersum fuit, quin contra Dominum fuerit, nemo excusabit. Iam igitur si tua responsio cõstare debet, nõ certo consilio Ordinẽ petiit, sed Caietani sententiã super prænotione, anticipatio-

V. *Nihil nouè Deo iubẽte.*

In vitâ Caiet. cap 3.

néque illâ diuinâ rogauit. Hoc enimuerò, Castalde, illud non est, quod à te scriptum Nigronus euertit. Verùm tu domesticam Castaldæ genti militarem disciplinam in hoc tuo Certamine strenuè imitari videris; videns enim euerberata pilis muralibus mœnia labare narrationis tuæ, munitionem aliam extruis, quâ te vtcumque tuearis; Cæterùm & hæc puerorum ludibria sunt, & priorum ruinam non fulciunt.

VI. *Fallax Castaldi consequentia.* Quid ais? Potuit sine reuelationis iniuriâ, de illâ sententiam Caietani exquirere? Nō igitur petitio reuelationem explodit. Egregium verò acumen. Effingamus ad Logicorū nostrorū regulas; strigosiores illas quidē, sed tamen ineluctabiles, hanc tuam responsionem. Aio Reuelationi de fundando Ordine petitionem alterius obstare; Minimè, inquis, & probas. Percunctatio sententiæ viri alicuius sanctimoniâ clari non aduersatur: Non igitur aduersatur Petitio. Itáne verò rogatio sententiæ, & Ordinis petitio eodem sibi loco habentur? An docendus es, primam hominis esse non admodum certi, an parère illi reuelationi sit necesse, dubio adhuc imperio Dei: secundam eius, qui alia iubentis propalàm imperium exuat, si habuit, aut eius certè, qui nullum habuit?

VII. *Non enim idem est dubitare, ac nolle.* Fingamus hominem aliquem ex tuo, meôve Ordine, imperium Indicæ expeditionis accepisse quidem, sed caussas aliquas habere dubitandi, an iubentis voluntatem planè, atque explicatè perceperit; potest hic quidem saluâ, quam imperantibus debet, reuerentiâ amicum de Præsidis sui voluntate consulere; in Germaniam tamen, aliámve ab Indiâ diuersam adhuc magis regionem abire, nisi violatâ imperij reuerentiâ non potest. Si hac tu Logicâ vteris, iam quodlibet cuiuslibet tibi consequens erit, nullo quidem legitimæ probationis iure, sed desultoriâ quadam aberrandi licentiâ. Verùm, vt videas non minùs re ipsâ, quàm exemplis tuis à veritate causâque totâ abire te diuersum

Quæro

VIII. *B. Virgo nō dubitauit de re, sed de modo.*

Quæro, ex te, Castalde, An de Oraculo diuino Beatissimam Deiparam dubitasse credas? Quidni enim? Ego illius interrogationem illam: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* in medium attuli, probaturus *Proprium esse Sanctorum, si quandoque illustrationibus cælitus honestentur, trepidare, num à Deo sint, an illusiones inimici; vel certè viros spirituales super iis cælestibus illustrationibus consulere.* Mitto egregiam diuisionis artem, quasi verò aduersantia sint Trepidare, & Consulere, ac non potius hoc illius consequens, & maior aliqua trepidatio, cuius exitum cùm viri sancti per se inuenire non possint, aliis consultis opus habeat; quod tu tamen vt rem longè leuiorem affers, hæc enim vis est formulæ illius *vel certè*; hæc, inquam, dissimulo; illud vnum vrgeo. Tuâ quidem sententiâ Virginem Deiparam, non quâ viâ, id, quod Angelus prædixerat, sed an esset ad exitum perducendum dubitâsse, quod quamquam Origeni, ac non nemini Græcorum placuisse videam, tam mihi tamen certum est falsum esse, quàm certum iam est, de quo olim dubitare nondum nefas fuit, nulli omnino, quantumuis leuissimæ, culpæ Magnam Virginem affinem fuisse; quæ ab incredulitate abesse cùm non possit, videris tu, Castalde, quàm de Virgine tutò, atque honorificè loqueris; Quod si eam de modo tantummodo interrogâsse dicas, quod omnino dicendum est, iam extra chorum saltas; neque enim illustre illius exemplum eo fine à te allatum est; Consequens enim illius tibi est; dubitare aliquando viros sanctos, síntne à Deo illustrationes, an à Diabolo; quasi verò Angelicis visitationibus dudum assueta Virgo timuerit, ne, qui loquebatur, Diabolus esset in Angelum lucis transfiguratus. Sed quem tandem consuluit Virgo? cuius veráne illa esset vaticinatio, sententiam quæsiuit? Illáne de fallaciâ dubitauit, quæ ipsum, de quo dubitabatur, interrogauit? Iam verò preces Christi Domini euitandæ mortis caussâ susceptæ, *cuius reuelationem* (immò & præceptum)

Anim. VII. p. 61.

IX. *Nec Christus D. sed Patris deprecatus imperiū est.*

Ibid.

ptum) *acceperat* , quid tandem te iuuant Castalde? Quid? dubitauítne Christus de Patris imperio? an quidquam contra illius voluntatem molitus est? Hoc quidem impium cogitatu est ; neque vsquam legimus Christo imperatum à Patre, ne amarissimum illum calicem deprecaretur : quàm diuersum igitur Christi
X. exemplum ab hoc, quod tu fingis, Ignatij facto? Ignatius, te auctore, alienum nescio quid ab eâ , quam diuinitus acceperat, Dei voluntate molitur ; nunc , saltem de illâ dubitat, hominémque consulit; in Christo nihil huiusmodi suspicari integrum est ; quæ igitur similitudo , vt à Christi prece ad Ignatij dubium possis argumentari? Exigamus ad Dialecticorum amussim tuam ratiocinationem. Christus habuit reuelationem de suâ morte; huic nihil offecit illam deprecari. Ergo quamuis Ignatius de Ordine condendo reuelationem habuerit, potuit aliena moliri , vel saltem de illâ dubitare. Vidésne Castalde , quantum inter vtrumque intersit?

Cuius nihil simile in Ignatio.

XI. Non hîc ego ex te quæram , cur vocem illam *reuelationis* Christi maiestate ac scientiâ quantũ assequor, minus dignam vsurpes? Quid enim illi reuelari potuit, cui nihil vnquam velatum fuit? Nónne in splendoribus sanctis ortus est? Fuítne ille aliquando sine illis thesauris sapientiæ, ac scientiæ Dei, qui in illo reconditi sunt? Si res omnino omnes futuras , cùm primùm fuit, clarissimâ, ac geminâ in luce vidit; &, in illâ, quam aurora illi attulit diuinitatis conspicuæ; & in illâ , quam occidens rerum procreatarum apertis omnium naturis , non negauit ; quis vnquam ita locutus est, vt aliquid illi latuisse diceret? Si nihil latuit ; nihil velatum fuit ; cuius consequens omnino est , nec reuelari potuisse : Sed si tibi de scientiâ infusâ sic loqui placuit , nil te moror ; nec enim Christus aliud egit ab his, quæ placita Patri esse nouerat , nec de diuinâ parentis voluntate dubitauit, sed ne id fieret, deprecatus est. Quare si cum Deo egisset Ignatius , & noui

Reuelationis vox minus propria.

condendi

condendi Ordinis labores deprecatus esset, Christi vestigiis institisset: sed cùm longè aliud, te auctore, egerit, sine eius, quam diuinitus acceperat, prænotionis iniuriâ non egit.

XII. *Prænotioni votum, & dubitatio obiicitur.*

Verùm clamitas, me vitabundum contorta validè tela, declinatione modicâ corporis exuere, & qui magnificè collato pede pugnaturum me edixeram, nunc capto circuitu impressionem hostilem eludere. Quid enim, inquis, ad ea respondes, quæ de voto Hierosolymitanæ peregrinationis, atque commorationis, dum eius aliqua spes superfuit, quæ de consultatione atque dubitatione veheméti Ignatij, ac Sociorũ ex Maffeio, atque Orlandino semel, iterúmque in medium attuli, tũ ad minuendam Ordinis dignitatem, si cum nostro aliîsque componatur; tum ad ostendendam acceptæ, quam vos iactatis, diuinitus prænotionis vanitatem? Ea certè dissimulare minimè debes, quæ, ne quem fugerent legentem, grandioribus litteris exaraui.

Anim. VII. p. 51. & 59 Anim. X. p. 93. & Anim. XVIII. p. 158.

XIII. *Licet in cõtractiori libro plura scribere, quam in magis fuso.*

Audio, Castalde, neque congressum fugio, neque totâ vagor arenâ; eâdem, quam duxisti, lineâ pugnemus. Sed antequam tibi de hoc respondeo, perbreuẽ moram sinas à te impetrari: quod enim in eâ tuâ Epistolâ Ribadeneiræ fidem eleuare conatus eras, cur nũc dissimulas? Sed non dissimulas; ais enim *compendium eo, cuius est compendium, copiosius esse non debere*. Acutè sanè, sed fac Ribadeneiram indicem libri minùs aptum excogitâsse, an ideo eius labare debet fides hominis, quem tu ipse laudibus verissimis ornasti? Sed compendium vitæ scripsit, non suæ scripturæ, quod, si quid ego intelligo, nullam scribenti necessitatẽ imponit, quin aliquid in breuiore scribendi genere addat, quod lõgiori vsus omiserat. An si res, ingentibus voluminibus explicãdæ, breuẽ in scripturã coguntur, compendium liber dici non potuit? Vide quam legem feras: Si quis Tusi vestri Historiam, quam ille Herodotũ potiùs, quam Tacitum sequutus, amplo ac laciniosò scribendi genere condidit, excursibus omnibus recisis, rebúsque

In Epistolâ §. 29. Anim. XXV. p. 220.

rebúsque punctim indicatis paucas ita contrahat in chartas, vt compendium temporis faciat; ísne si ignoratam Tufo Ignatianam hanc tuam petitionem, vt primæ notæ gemmam, in loco illiget, eum tu in compendij leges peccasse, aut capitale fecisse dices? Si idem hoc Tufus faciat, & candidè, cùm ad scribendum aggreditur, testatum esse velit, additurum se nonnulla iis, quæ olim scripserat, quorum etiam pleraque non vt falsa, sed vt minùs in loco dicta dissimulet, illi tu putidam ac plusquam Grãmaticam litem de compendij voce contesteris? Sed de his disertissimè ac diligentissimè Nigronus; qui etiam argumentationem tuam totam à dubitatione vehementi Patrum nostrorum ita labefecit, vt mirum valdè sit, dissimulatis omnino eius responsionibus, eandem te iterasse, nullo addito, nisi maiusculorum characterum fulcimento; Sed age

Quæro ex te Io. Baptista Castalde, quânam tandem ratione Prænotionem, quam de condendâ Societate Ignatium habuisse scribunt Ribadeneira, Orlandinus, Bidermannus, & alij, conuellas. Non quæro, cur hoc facias; sed quâ ratione facere coneris; Nam de primo, quod quæram, non est. Facis enim; quia si vera scripsit Ribadeneira, te fabulam scripsisse necesse sit: Ergóne, vt tibi fides habeatur, deneganda erit Ribadeneiræ, cui te parem in historiâ, opinor, non facis? Sed videamus, quid tandem opponas.

XIV. *Votũ Prænotione cõponitur.* Duo sunt veluti cornua ratiocinationis tuæ, votum, & dubitatio. Si enim post diuinitus acceptam prænotionem votum emisit Hierosolymitanæ profectionis; cur nostrum Ordinem petere non potuit: Si certior de nouo Ordine fundando factus erat diuinitus, cur cum Sociis de Societate in posteritatem propagandâ anxiè consulit, ac de exitu, quem res tandem habitura esset, vehementer dubitat? Hæc profectò minùs consistunt. Sed hoc postremum ita explicatè ab Orlandino traditur subscribente Maffeio, aliísque, vt librum non parũ amplifica- *Anim. VII IX. X. & XVIII.*

amplificauerim, illorum sententiis exscribẽdis. Quare vtrumque verum esse cùm non possit, quippe pugnam inuoluens, reliquum est, vt alterutrum falsum sit; quod vt semel datum est, iam fides Historiæ totius labat, & mihi iure quàm optimo integrum est, prænotionem illam, vt figmentum, eleuare; nam in consultatione, ac dubitatione tradendâ lapsum fuisse Orlandinum minùs verosimile est; arcanarum autem prænotionum fama incertior, & longè difficilior affirmatio. Satísne bonâ fide ratiocinationem tuam explicaui, Castalde, additis etiam labanti tibicinibus? Ne mihi hanc candidi disputatoris laudem nega. Sed ista tua cornua, quibus Ignatianam reuelationem in astra, vt pilam, iactare te posse credis, non valida taurorum, sed inertia limacum sunt; Experiamur. Votum reuelationem euertit. nego. At Societatem IESV fundare, atque Hierosolymis commorari non bene conueniunt. Sumamus nobis id, cui nulla aduersatur Historia, Ignatium id tantummodo diuinitus edoctum fuisse: Ordinem nescio quem Religiosum, cui nomen esset Societati IESV, fore, vt ipse conderet; qui Ordo Collegia plurima olim incoleret: hoc primum; Deinde quum Antuerpiæ Petrum Quadratum vidit, vulsam illi autem fuisse, admonitumque diuinitus adolescentem illum mercatorem Collegij vnius fundationi olim à Deo destinatum, & hoc secundum. Rogo, in quo, cum his duobus pugnet Ierosolymitana profectio, & commoratio? An ibi terrarum condi Societas IESV non potuit? an per eas oras, vt *Obseruantium* cœnobia, ita Societatis Collegia esse non potuerunt? an nunc etiam in Turcarum Imperio non sunt? An ibi natus, & Religiosis votis abolito commorationis priori Sacramento, in Occidentem Ordo migrare non poterat? An ibi fixo principe Ordinis domicilio, in Hispaniam colonias duci absurdum fuit? Equitum Ierosolymitanorum Ordo in eâ ciuitate olim conditus Occidente toto celebratus est. Quid tandem illius voti conse-

V quens

quens est, quod cum familiâ condendâ pugnet? Nemo nostrum dixit Ignatium rationem omnem fundandæ Societatis diuinitùs antea edoctum fuisse.

XV. *Et consultatio prudenter suscepta.*

Facilior adhuc est maiusculæ illius dubitationis solutio, quam cùm Nigronus adduxerit, te contra illam afferre nihil: verùm dissimulatâ responsione, veterem ac recoctam crambem inferre, vehementer non nemo possit admirari, quasi Lectorem, qui Nigroniana non viderit, volueris occupare. Certior diuinitus erat Ignatius de condendâ Societate. Verissimum id est. Non igitur potuit dubitare: non potuit. At dubitat? id pernego; neque enim dubitauit. Affers tu quidem Orlandini narrationem, sed illa nihil te iuuat. Quid enim? Initio anni XXXIX. ait ille, *Hoc anno propitio* IESV, *de eâ* (Societate) *in posteritatem propagandâ, & vinciendâ certis legibus Patres consenserunt.* Quid hinc conficies Castalde? Ergo Ignatius nihil ante eam diem, vel diuinitus acceperat, vel apud se certum, atque stabilitum habebat? Hoc enimuerò illius cõsequens nõ est: At deliberaturi conueniunt, *Præstarétne, vt instituerant,* &c. tum, quia res dubia, & magni moliminis videbatur, *Statuunt in primis, ampliùs insistendum consulendo precibus, ieiuniis, & cæterâ afflictatione corporis Deo.* tum disceptant; ac paulatim deliberant. Nihil efficis, Castalde; vt enim multum dubitauerint IX. viri, de Ignatio nihil conficies. Neque illud admodum vrges, Ignatium dici ab Orlandino cùm sociis de re *tota vehementer dubitasse.* Quàm tamen Ignatij, & sociorum consultationem tu, pro tuâ fide, sed contra Historiæ fidem, contentionibus plenam fuisse dicis; ais enim *non passurum fuisse Ignatium, si futuri Ordinis conscius fuisset, vt conuentus ille in multas sententias contentiosè abiret, cùm posset lites vno verbo dirimere.* Quæ tibi, Castalde, contentio fuit, ibi *dictis sine varietate sententiis* decreta sunt facta? Sed tibi contentionibus opus erat, vt Ignatij prænotionem exploderes; quasi verò illas easdem contentiones illustri Caietani vaticinio dirimere

Anim. X. p. 93.

In Epistolâ §. X.

Orland. lib. 1.

non

non potuiſſet. Multa cáque præclara in hanc rem diſputata ſunt à Sacchino, multa etiam addita leguntur à Nigrono, quæ, aut ego immaniter fallor, perſuadere tibi poterant Caſtalde, ne eadem conuellendæ olim prænotioni allata in Epiſtolà, nunc demum quaſi inuicti roboris arietem conſtantiæ admoueres.

Anim. X. Annon fas eſt viris ſanctis, etiam poſt diuinitus acceptas rerum prænotiones, humano more agere? rerum momenta exquirere? in vtramque partem diſputare, vt quod ipſi certò futurum ſciunt, prudenter etiam confieri poſſe aliis fiat palàm? Sanè quidem Chriſtus Dominus, qui Andream de ratione paſcendæ tam numeroſæ multitudinis conſuluit, certum iam, deliberatumque apud ſe habebat, miraculo id facere: Quam Chriſti deliberationem aperiendam neceſſariò cenſuit Ioannes, ne quiſquam ex eâ conſulentis ac dubitantis formulâ, de Chriſti Domini ſapientiâ, deſtinatiſque conſiliis minùs decora ſentiret. Itaque huic malo anticipatam medicinam fecit illis verbis: *Ipſe autem ſciebat, quid eſſet facturus.* Fac non ea addidiſſe Ioãnem, liberúmne cuiquã erit dicere, Chriſtum ita dubitâſſe, vt, quid facturus eſſet ipſe neſciret? XVI. *Probatur ex exemplis Christi Domini.* *Iohan. 6.*

Repetamus, quæ de Samuele certiſſimam Saülis electionem Sorti cum populo permittente poſuit Nigronus: Quid ais Caſtalde? Tu quidem ſentis Ignatij ſilentio ſuffodi poſſe veritatẽ reuelationis. Quid enim, inquis, tam longâ conſultatione opus? Dicere potuit: Ego diuinitus accepi, Societatem IESV me conditurũ, neque timendum erat, quin ſocij ad vnum omnes in eius ſententiam irent, quem vt communem parentem reuerebantur. Finge tibi animo, non mecum, qui diuinarum litterarũ apices omnes, vt ipſius diuinitatis digito effictos, colo ac veneror, te diſputare; ſed cum aliquo peruicaci ac præfidente Philoſopho, qui diuinam, quæ illis profectò plurima ineſt, auctoritatẽ non agnoſcit, iſque impudentiſſimè neget editũ vel à Deo Samuëli oraculum, vel ab iſto Sauli vaticiniũ de regno; XVII. *Samuëlis.*

ísque hac maximâ ratiocinatione vtatur. Si Samuel Regem fore Saulem diuinitus inditâ cognitione perceperat; quæ ratio fuit rem omnem, non prudenti hominum lectissimorum consultationi, quod tolerabilius fuisset, sed temerario sortis arbitrio committere? Annon cognouerat *vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini*? Cur igitur tantæ apud populum auctoritatis & Princeps & Vates non edicit, quod à Deo acceperat, sequuturis proculdubio, quem nunquam falsum fuerant experti? Hæc si peruicax ille tecum disputet, putabis te in eas redactum angustias, ex quibus minimè possis eluctari: an hominem irridebis, qui non videat prudentissimum Samuelem id consilij suscepisse, ne pro imperio populi reuerentiâ abuti videretur? Hoc idem de Ignatio dicam, quem tametsi vt nouæ, quam instituerant, vitæ auctorem agnoscerent, ac parentem venerarentur; vt vatem tamen ac futurorum conscium non suscipiebāt vniuersi. Vt enim Samuel acceptum diuinitus oraculum noui regis clam populo habuit; haud aliter Ignatius prænotionem Ordinis condendi. Vidésne hîc Castalde nullam in hac dubitatione, atque consultatione maiuscularum litterarum (quasi verò triumphi arcus fuisset inscribendus) occasionem enasci? Quis præterea nostrorum hominum scripsit, Ignatio editum Oraculum de fundando illis sociis Ordine? Si igitur dubitationem omnem, an illis adhibitis Societatem fundaret, fuisse dicam, quid obest illa tam diligens consultatio? Vereri poterat, an cum illis initam Societatem in posteritatem propagare, Deo gratum foret, atque acceptum.

Lib. 1. Reg c. 3. num. 20.

Anim. X p. 93. & 94.

XVIII *Et Moysis.* Age illustriori adhuc exemplo rem hanc omnem explicemus. Vnum aliquem hominem, cum quo Deus familiariùs ageret, quàm Moysem, ego fuisse aliquando, non lego. Huic viro incomparabili pollicitus fuerat Deus, comitem se itineris perductorémque Angelum adiuncturum, qui per vastas illas solitudines viam monstraret,

monſtraret, certôque tramite peregrinantes duceret. Quid hic de itineris ratione dubitaret; hominéſque regionis gnaros conſuleret, cui Angelus Dei dux eſſet gemino Ignis ac Nubis miraculo? Et nihilominùs Ietronem ſocerum ſuum diligentiſſimè exorauit, ne abiret; ſed ſecum peregrinaretur, vt deductoris officium facere vellet: *Tu enim*, inquit, *noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter.*

Num. 10.31.

Hæc hominis profectò dubitantis ſunt, ac multum pauentis, ne per eas ſolitudines populus errabundus palaretur. Neque hanc ob cauſſam reprehenſum aliquando fuiſſe Moyſem ſacra tradunt monumenta, non diſſimulatura, vt nec alia, vel leuiſſima, eiuſdem errata diſſimulârunt. Sed quid reprehenderent, quod prudentiſſimè factum fuerat? Facilius in his eſt initium, quàm exitum innuere, ſi hîc quæcumque ex ſacrâ congeri poſſunt antiquitate, animus ſit recenſere. Quare ne rem per ſe clariſſimam, & illuſtriſſimis exẽplis probatam pluribus onerem, te ipſo iudice, Caſtalde, mihi vtendum eſſe video; neque enim potiorem, quem in his auctorem ſequar, habere in præſentiâ poſſum. Rogo te per eam veritatem, quam diſputando indagamus, an nõ ſine vllâ diuinarum prænotionum iniuriâ, de illarum veritate à viris ſanctis dubitari poſſe dixiſti, aliorúmque ſiue à prudentiâ, ſiue à ſanctimoniâ excellentium virorum ſententiam exquiri? Eâ certè ratione contra Nigronum diſſerebas Animad. VII. Quis verò vnquam conſilium expetit, qui non dubitet? Omnis enim conſultatio, de his ſuſcipitur, de quibus nondum nobis certa ſtetit ſententia. Vt igitur nihil violatâ Prænotionum maieſtate, conſilium exquiri; ſic conſultatio poteſt adhiberi. Quamquam id ego non eâdem ſententiâ, quâ tu dixiſti, mihi ſumam: Nunquam enim dubius de Dei voluntate Ignatius, ſed certus ſibi condendam aliquam Religionem, de illo vehementer, cum aliis dubitabat, an initam Societatem in poſteritatem vellet propagatam;

p. 62.

an verò sociis, qui aderant, alia consilia secutis, fieret nihilominùs à Deo in gentem magnam.

XIX. *Tā pugnaret consultatio cum Ignatij, quā cum Caietani pranotione.*

Illud etiam ex te quæro, Castalde, nónne Ignatius ex Caietani Oraculo, cui tu fidem illum habuisse non negabis, de condendâ olim Societate certior factus erat diuinitus. Planissimè; nam vt hoc demum persuadeas; acriùs, quàm pro aris, focísque, depugnas. Potuit igitur post tam illustre vaticinium, cui clarissima Caietani sanctimonia splendorem addebat, dubitare cum suis; & quia dubitauit, nihil diuinitus prænouisse contendis? Video non eandem omnino rationem esse; nec tamen negabis, Ignatium Caietano credidisse, cuius incredibilis quidam sanctimoniæ fulgor ita illum ceperat, vt non modò se illi totum aperiret, verùm rationes vitæ olim diligentissimâ meditatione constitutas, ad eius fingeret, ac refingeret arbitrium, séque illi traderet in disciplinam; quæ si vera narras, quàm benè cum illâ vehementi ac maiusculâ dubitatione conueniant, tibi erit videndum. Mihi satis iam probatum est, quamuis acceptis à Deo prænotionibus imbuti simus, dubitare adhuc posse, quia illæ non ita omnes ablegent formidinis caussas, quin prudentes homines omnia diligentissimè non circumspiciant; rationésque rerum ad examen reuocent; itáque demum se gerant, ac si res omnis ab illorum prudentia, consiliôque penderet. Hoc adeò Ignatio proprium fuisse accepimus, vt reliqua inter eius sublimioris prudentiæ præcepta, illud maximè celebretur: Ita reiectis in Deum curis, tantâque in eum confidentiâ nos in rebus agendis versari oportere, ac si nullus industriæ locus superesset: rursum adeò acuendam industriam, neruósque omnes intendendos, ac si Deus nullam in partem operis veniret. Quæ sanè rerum ex Christianæ disciplinæ officiis agendarum ratio est longè absolutissima.

In vitâ Caietani. c. 3.

XX. *Eximia prudentia consultantis Ignatij,*

Maffeius lib. 3. cap 10.

XXI. *& Pauli dubitantis,*

Cæterùm si adhuc illustrissimo exemplo venia datur, Pauli certam prænotionem, dubitationémque in eodem.

eodem suæ salutis negotio non dissimulauerim. Nonne certus omnino (si non infimæ notæ auctoribus credimus) suæ salutis Paulus? nemo dubitat. quî enim tam
Rom. 8. confidenter diceret: *Certus sum, quod neque mors*, & quæ plurima enumerat, *poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Nónne idem sibi timens, eandem salutem castigatione corporis, ac pugnandi maximâ cō-
1. Cor. 9. tentione munit? Planissimè, ait enim: *Ne fortè, cùm aliis*
Anim. *prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quis ita, sine pruden-
VI. p. 47. ti aliquo dubio, loquitur? Nisi voculam istam *Fortè* tuo more interpretari velis, Castalde; vt iam non dubitantis, sed validè asserentis sit, quod profectò neque tu dixeris, nec quisquam sanus tolerauerit. Annon Pe-
Act. 15. trus, & Apostoli, & Seniores de Circumcisione Gentiū, quæ Christo nomen dederant, consultaturi, conuenerunt, & *magna*, vt loquitur Lucas, *conquisitio facta est?* Quis autem credat, Petro Summo illi Theologorum vertici, & Christi Domini Vicario, quid in Ecclesiâ seruandum esset, reuelatum non fuisse? Consulit nihilominùs, & dubitantes, ac diligentissimè in vtramque partem disputantes audit, ac dictâ demum sententiâ, in quam Iacobus primus, ac reliqui omnes discesserūt, omnem eximit dubitationem, turbásque componit.

XXII. *& diuinas prænotiones tacentis, atque opportunè loquentis.*

Neque hîc eiusdem quoque Pauli, in his, quæ diuinitus cognouerat prodendis, celandísve arcanam pru-
Anim. XXVI. p. 224. & 227. dentiam, cui simillimam esse videam Ignatianam, silentio præterierim. Miraris enim Castalde, quid caussæ fuerit, cur nobile illud prope vrbē visum Ignatius Sociis statim aperuerit, atque enarrauerit; prænotionē de Ordine condendo clam illis habuerit. Idē tu in Paulo mirari poteras, qui, vt Hieronymus loquitur; *Neque omnium reuelationum meminit, neque omnes manifestat*: nam XIV. ipsos annos arcana Dei se audiuisse occultū apud se habuit, mirâ tantæ dignationis dissimulatione, vt propterea id maxima quadam necessitate deinde ab eo proditum rectè colligat Hieronymus, ac sapienter proinde exclamat Theophylactus: *Vide animi*

animi modestiam: At hic idem Paulus de salute periclitantium certior ab Angelo factus, in nauis forum progreditur; & rem omnem apertissimè narrat, vt desperatis animos adderet,& bonâ spe impleret.Quare nihil siue in silentio, siue in narratione Ignatij habes,quod vellices. Nam eum hominem secreti seruantissimum fuisse, docere te potuit Cardinalis de Monte, qui in Relatione sic loquitur: *Virtutes suas & visiones,quas habebat,diligenter occultabat*. Nec tamen inutili, obstinatôque silentio, sed singulari, ac planè diuinâ prudentiâ temperato.

XXIII. *Quē Ignatius imitatus.*

XXIV. *Prænotionē de Societate* IESV *condendâ haustam diuinitus ab Ignatio euincit Traditio.*

Illud ad extremum te non celauerim, Castalde, rem hanc ita vetustâ traditione vulgatam apud nos esse, vt non modò octauo & trigesimo abhinc anno, cùm huius militiæ tyrocinium deponerem, de illâ mihi seniores loquerentur, verùm etiam vt in illis ipsis exercitationibus spiritualibus, quibus de regno Christi, & de duobus vexillis nomen imposuit, Societatis rudimenta Ignatium lineasse affirmarent. Quod ne mihi vni credere te oporteat, dabo testes adhuc antiquiores,viros non infulis quidem claros; neque enim id mihi integrum est,cùm duorum, quos nuper habuimus in Æthiopiâ,alterum Alphonsum Mendium Abassynorum Patriarcham in exilium expulerit;alterum Apollinarem Almeidam Episcopum Nicænum sæuâ cum lapidatione in furcas egerit insana recrudescentis ab Ecclesiâ defectionis rabies;sed eos tamen dabo,quorum dignitates, ætates, virtutésque nemo sanus suspectas habeat. Quod si his credere nolueris, adigam te nihilominùs antiquissimæ, ac maximè incorruptæ fidei monumentis,ac tabulis, vt vel cunctabūdus fidem habeas. Quanquam si meos reiicis testes, nullâ tibi obstrictus reuerentiâ, tuos omnes iure optimo floccifecero;quod qui nostrûm æquiùs faciat, orbis,ac seculorum iudicium esto. Recitentur igitur testimonia,quorum omnium autographa ego apud me habeo, producturus, vt & reliqua omnia, si opus fuerit,

fuerit in iudicio. Ea hîc, vt ad me per lata sunt, recitabo.

Teſtimonium MVTII VITELLESCHI Præpoſiti Generalis.

Ego Mutius Vitelleſcus Præpoſitus Generalis Societatis IESV, *teſtor, etiam cum iuramento, quatenus opus eſt, me* LVII. *abhinc annis ab ingreſſu ſcilicet meo in Societatem audiſſe à maioribus, & ſenioribus Sanctum Ignatium Parentem noſtrum antequam conderet Societatem, de eâ inſtituendâ diuinas habuiſſe reuelationes, eiúſque Ideam, ac formam Inſtituti animo comprehendiſſe, mêque id veriſſimum eſſe credere. In quorum fidem his manu propriâ ſubſcripſi, & ſigillo Societatis muniri iuſſi. Romæ in noſtrâ domo Profeſſorum* XII. *Kal. Decembris Anno* 1640. XXV. *Ex teſtimonio Mutij Vitelleſchi Præpoſiti Generalis.*

MVTIVS VITELLESCVS.

Locus ſigilli.

ALVARI ARIAS Hiſpaniarum Aſſiſtentis.

Ego Aluarus Arias Societatis IESV *Aſſiſtens Hiſpaniarum, teſtor, etiam cum Iuramento quatenus opus eſt, ab anno* 1593. *quo in Societatem admiſſus ſum, audiſſe me ab antiquiſſimis Patribus, qui æquales fuerant primorum Patrum, & cum illis diu egerant, Sancto Ignatio olim reuelatum fuiſſe Societatem à ſe fundandam, eiúſque prima quædam lineamenta in exercitiis ſpiritualibus duxiſſe, quod ego etiam credo eſſe veriſſimum. Huius meæ auditionis, ac perſuaſionis teſtimonium hîc dare volui, ne hæc veritas vnquam obliuione exoleſcat. Ideóque hæc meâ manu ſcripſi, & obſignaui ſigillo officij mei. Romæ* XII. *Kal. Decembris* 1640. XXVI. *Et Aluari Arias.*

ALVARVS ARIAS.

Locus ſigilli.

IOANNIS CHAMEROTÆ Theologi Doctissimi.

XXVII. Et Ioannis Camerota. *Ego Ioannes Chamerota Societatis* IESV *Professus, & sacræ Theologiæ Magister, annum nunc agens ætatis octogesimum secundum, testor etiam cum Iuramento, quatenus opus est, me in primis annis mei in Societatem ingressus, hoc est, annis abhinc octo circiter & sexaginta à maioribus nostri Ordinis accepisse, Sancto Ignatio Religionis nostræ fundatori in ipsis conuersionis suæ primordiis formam, ac typum nostræ Societatis, quam fundaturus esset, diuinitus fuisse monstratum. De quâ re mihi etiam nullum dubium est. In cuius rei fidem meâ manu testimonium hoc scripsi, & subscripsi Romæ die* VIII. *Nouembris* 1640.

IOANNES CHAMEROTA *qui suprà.*

CONSTANTII BOVONI viri doctissimi & pluribus magistratibus functi.

XXVIII. Et Constātij Bouoni *Ego Constantius Bouonus Societatis* IESV *Professus* 35. *annorum, testor, etiam cum Iuramento, quatenus opus est, me ab ingressu meo in Societatem ab anno scilicet* 1588. *audiuisse à senioribus Patribus vicinis primis temporibus Societatis, quibuscum familiariter sum conuersatus, vt P. Emanuele Sa, Ioanne Baptista Velato, P. Lælio Bisciolio, P. Iacobo Crucio, P. Laurentio Magio, P. Ioanne Paolo Oliua, P. Achille Galiardo, P. Fabio de Fabijs, & alijs pluribus S. Ignatium Patrem nostrum eiusdem Societatis condendæ diuinitus habuisse prænotionem. Quam ego maiorum traditionem pro certissimâ semper habui, & habeo, nec vllum inter nos de illâ vnquam dubitasse intellexi. In quorum fidem præsentes literas manu meâ subscriptas, & sigillo nostræ Societatis munitas dedi. Genuæ pridie Kal. Decembris* 1640.

CONSTANTIVS BOVONVS.

Locus † sigilli.

CÆSARIS

CÆSARIS A BOSCO Prouincialis, aliorúmque Patrum Siculorum.

Nos infrascripti Patres testamur, etiam cum iuramento, quatenus opus est; nos audiuisse à grauissimis Patribus nostris S. Ignatium habuisse à Deo prænotionem condendæ Societatis multo tempore antequam conderet. In quorum fidem huiusmodi veritatem manu nostra subscripsimus. Panormi die 24. Decembris, anno MDCXL. XXIX. *& Cæsaris a Bosco, aliorúmque.*

Ego CÆSAR A BOSCO, *annorum 65. & in Societate 49. Professus, & Prouincialis in Regno Siciliæ.*

Ego Alexander Neuola annorum 73. in Societate 56. Professus, Præpositus Domus Professæ Panormitanæ.

Ego Petrus Villafrates ann. 60. in Societate 41. Professus, & Rector Collegij Panormitani.

Ego Iosephus Augustinus annorum 66. in Societate 51. Professus.

Ego Paulus Garlanus annorum 60. in Societate 43. Professus.

Ego Iosephus Castelnouus, annorum 57. in Societate 41. Professus, &c.

DIDACI DE BOBADILLA, SOC. IESV Procuratoris Prouinciæ Philippinarum.

Sanctè iuro, ex eo tempore, quo Societati sum adscriptus, per annos nimirum quinque supra triginta à grauissimis antiquissimísque Patribus, qui ab ipso fermè Sancti Patris nostri Ignatij tempore in Societate floruêre, quorum & ego, ac præsertim Beati Patris Petri de Ribadeneira familiari consuetudine, atque colloquio fruitus sum, mihi semper constanter auditum, certum indubitatúmque planè esse, S. Patrem nostrum fundatorem, antequam nostræ Religionis iaceret fundamenta, de Societatis institutione reuelationem accepisse. Per annos deinde integros quatuor à 1607. dum litteris humanioribus, atque philosophicis XXX. *& Didaci Bobadilla.*

disse memorat. Monstrantur in hac vrbe ædes, in quibus hospitio exceptus est S.P.N. à D.Cuellar Mercatore Hispano, cui tum cohabitabat Quadratus ille adhuc adolescens.

PETRI CONTINENTE viri gestis Magistratibus nobilis.

Ego Petrus Continente Societatis IESV *quatuor votorum Professus, ætatis meæ* 80. *anno Religionis* 58. *Professionis* 41. *Vixi in hac Aragoniæ Prouincia prædictos* 58 *annos: in quibus diuersis officiis ex obedientiâ nullo meo merito functus. In primis Bilbilitanum Collegium me alternis vicibus* 18. *annos Rectorem habuit. Cæsaraugustanum sex annos: Balearis domus Visitatorem semel excepit. E quatuor totius Prouinciæ consiliariis vnus renunciatus plerumque fui. Duorum Prouincialium annis quatuor socius extiti: cuius est aures Prouinciali confitenti præstare, eum sui officij commonere; à secretis eidem, atque Prouinciæ consultationibus adesse. Tandem Prouincialis huic nostræ Prouinciæ sex annis præfui. Horum munerum caussâ Prouinciæ domos, Collegia cuncta pluries lustraui: omnique annorum tempore quos in eâ degi, Patres antiquissimos grauissimos tum huius, cùm aliarum Prouinciarum quos inter Patrem Hieronymum Domenechum quem S.P.N. Ignatius in Societatē admiserat, cognoui, atque sæpius cum illis egi. Idcirco Deum testor me (quantum memoriâ repetere possum) ab eorum nemine audiuisse Nostrum Patrem sanctissimum Ignatium Theatinorum Ordinem ingredi voluisse, nedum attentasse: neque ipsos Patres à maioribus tale vnquam accepisse. Quin potiùs ab exordio suæ conuersionis Minoressæ degentem semper in animo Societatem nostram (qualem habemus) volutâsse: atque diuinitus edoctum, præsertim inter mirandam illam mentis ecstasim octo dierum cursu continuam, eius fabricam didicisse, tum historiâ, tum Patrum traditione perpetuò credidi. Quorum fidem alienâ manu exaratam, meâ subscribo, & Rectoris huius Collegij Bilbilitani claudo. Bilbili decimoquarto Ianuarij, anni MDCXLI.* XXXII. *Et Petri Continente.*

PETRVS CONTINENTE.

Locus † sigilli.

FRANCISCI DE CASPES.

XXXIII. Et Frācisci de Caspes. *Audiui sæpius Patrem Michaelem Rhodis Soc.* IESV *patriâ Gironensem ex principatu Catalauniæ virum religionis eximiæ, animarum zelo & vitæ austeritate nobilem de Patre suo celeberrimo Iurisconsulto narrantē, illum adhuc adolescentē P.N.S.Ignatium Barcinone Grammaticæ operam dantem familiariter agnouisse, illiúsque virtutum exemplo atque adhortationibus ita ad virtutem exarsisse animo, vt eum sequi, eiúsque socium fieri ac virtutes imitari vehementissimè cuperet: Id quum Ignatio aperuisset, respondit ille: Tu non me sequeris, sed filius olim tuus Religiosæ familiæ, quam ego diuinâ fauente gratiâ conditurus sum nomen dabit. Hoc Vaticinium editum est anno* XVI. *vel* XVII. *ante conditam Societatem, neque fefellit quia Michael Rhodis Societatem ingressus est, in eâque diutissimè vixit, ac senex admodum obiit magnarum virtutum famâ. Hinc colligitur quanto ante conditam Societatem de illâ condendâ diuinitus certior factus fuerit Ignatius; hoc enim statim ab Hierosolymitana contigit peregrinatione.*

Ita confirmo, & meâ manu scripsi ego Franciscus de Caspes eiusdem Societatis Sacerdos Professus LXX. *ætatis meæ anno, & Religioni* LV. *in quâ variis magistratibus functus sum, Rectoris, Præpositi, & totius Prouinciæ Aragoniæ Procuratoris ad Vrbem. Itáque Iuro per Deum Dominum nostrum, & sancta quatuor Euangelia.* XIII. *Kal. Februarij MDCXLI.*

FRANCISCVS DE CASPE SOC. IESV, vt suprà.

Addo supradictum Patrem Michaelem Rhodis eiusque fratris filium Franciscum Rhodis eiúsdem Societatis Religiosum à S P.N.Ignatio seruatos olim fuisse, quum periculoso in itinere noctu aberrātes periclitarentur; apparuit enim illis luce circundatus illustrissimâ, eosque ad pagum deduxit.

Item affirmo quæcunque scripsêre, quæ ista sint Castalde suprà vidisti iam, *Patres Carthusiani Monasterij Vallis Christi sua in testificatione mihi ante hos* XV. *annos nota fuisse.*

FRANCISCVS DE CASPES, *vt suprà.*

VINCEN:

VINCENTII MARIÆ BARGELLINI.

Vincentius Maria Bargellinus in Societate IESV *Professus quatuor Votorum, & Religiosus triginta & nouem annorum, fidem facio, & iuramento, quatenus opus est, affirmo, annis, quibus Romæ degi Theologiæ Scholasticæ dans operam audisse me tùm in priuatis colloquiis, tum in publicis domesticis exhortationibus, à maioribus meis, & inter alios à Patre Fabio de Fabiis tunc Italiæ Assistente, & pòst Prouinciali Prouinciæ Romanæ, à P. Io. Paulo Risio Rectore tunc Collegij Romani, & à Patre Virgilio Cepario, qui fuit & ipse aliquando Rector Collegij Romani, audisse, inquam, me multoties sancto Patri nostro Ignatio, in solitudine & meditationibus, quas Manresæ, & alibi habuit frequentes, non semel à Deo reuelatum fuisse Societatem nostram ab ipso condendam, ostensámque eidem sancto Patri totam Societatis Ideam, &c. Bononiæ die decima quarta Aprilis* 1641. XXXIV. *& Vincentij Bargellini.*

Ego idem qui suprà affirmo.

Quando semel iterúmque à testibus Fabij de Fabiis fides appellatur, scias, Castalde, virum hunc adeò absolutæ virtutis fuisse, vt omnium, qui hominem nôrunt, suffragio inter Religionis primos possit enumerari, & postrema in eo laus sit, antiquissimi, & clarissimi generis Romana nobilitas.

IOANNIS BAPTISTÆ FVRNII, sæpiùs Rectoris.

Ego Ioan. Baptista Furnius, qui annos iam quinquaginta tres in Societate IESV *vixi, & adhuc Diuinæ munere gratiæ viuo, plenam, & indubitatam fidem facio, etiam cum iuramento, quatenus opus est, me sæpe sæpiùs ab antiquioribus nostræ Religionis Patribus audiuisse, Sancto Patri nostro Ignatio reuelatum à Deo fuisse in Manresiano secessu, Societatem ab eo fundatum iri, quæ tota in proximorum salute, & perfectione procurandâ occuparetur,* XXXV. *& Io. Baptistæ Furnij.*

&

& exinde Socios, quos ad id muneris idoneos iudicaret, sibi adiunxisse. Bononiæ die 14. Aprilis, ann. 1641.

Ego IOAN. BAPTISTA FVRNIVS,
manu propriâ subscripsi.

Locus † sigilli.

HIERONYMI SERRAVALLII, Theologi Doctissimi.

XXXVI. *& Hieronymi Serravallij.* *Ego Hieronymus Serravallius Professus Societatis* IESV, *ætatis annorum septuaginta, testor etiam cum iuramento, quantum opus est, audiuisse me non semel à Patribus senioribus eiusdem Societatis, ac præsertim à mox adscribendis, qui affirmabant Sanctum Ignatium Loyolam eam ex Dei nutu, ac reuelatione sibi facta instituisse. Ad cuius veritatis fidem hanc schedulam manu meâ scriptam, ac subscriptam dedi ad maiorem Dei gloriam. Parmæ in Collegio eiusdem Societatis, die 23. Aprilis anni 1641.*

HIERONYMVS SERRAVALLIVS, *qui suprà.*

P. Lælius Bisciola, qui se ab eodem Sancto Ignatio audiuisse narrabat.

P. Ioannes Gabriel Bisciola. P. Achilles Galiardus. P. Io. Argenta. P. Antonius Posseuinus. P. Ludouicus Galiardus. P. Lælius Passioneus. P. Laurentius Madius. P. Antonius Valentinus. P. Hieronymus Caprara. P. Franciscus Costerus. P. Paulus Comitulus. P. Valerius Gypsius. P. Carolus Regius. P. Bernardinus Confalonerius. P. Lucius Bencius. P. Hieronymus Dandinus. P. Laurentius Tertius. P. Ascanius Marazzius. P. Iulius Mazarinus. P. Ioseph Fabritius.

Hi omnes, & suis virtutibus viri magni fuerunt, plerique Ignatio æquales, editísque monumentis nobiles.

IOANNIS DE SANCTIOANNEZ.

XXXVII. *& Ioannis de SanctIoannez.* *Ego Ioannes de SanctIoannez Religiosus Societatis* IESV, *Professus, & in eâ ab anno 1598. educatus, ac per interualla temporis regendis partim Collegiis ac domibus Bæticæ huius*

Prouinciæ

Prouinciæ, partim verbo Dei seminando annos plus 30. immoratus fidem facio, me non mediocri curâ indagandis Sancti Patris nostri Ignatij gestis, conuersationi, miraculis, rebusque nostræ Religionis ab initio sui orsus ad hæc vsque tẽpora prænoscendis institisse semper; hoc maximè tempore quo Bæticæ huius Prouinciæ historiæ commisso mihi munere totus distinebar non parum laborasse, vt res omnes, quæ ad instituti huius initia, progressum & famam attinent, percalluerim. Quo studio ex antiquioribus Patribus, qui aut nascentem vidêre, aut recens natam Societatem consequuti sunt, sæpè sæpius perscrutandi auiditate intellexi non pauca, atque iis de rebus colloquentes obseruaui seniores. Non tamen meas vnquam accessit ad aures, perlegi nunquam, quod suâ fretus auctoritate Castaldus nuperrimè in suis de vita B. Caietani Thienæi monumentis inseruit de Beato Patre nostro Ignatio. Hunc scilicet, quo tempore Venetiis agebat, ad illum vix Vrbi, aut Orbi notum Theatinorum Ordinem aggregare se voluisse. Immo nostrâ in Societate antiquissimo omnium consensu, concentúque per libros per scripta, per ora vagatur incõcussa hæc veritas quæ apud nostrates viguit tanquam prima traditio iam ab eo tempore, quo se Manresam abdiderat, diuinitus edoctum Ignatium de fundando nouo Ordine, nouáque familiâ cui ab IESV *nomen, cooptandâ.*

Ego verò meum hoc testimonium, quo certior sit fides apud omnes, etiam solenni iusiurandi religione roborandum putaui. Testórque Deum omnipotentem nec audiuisse me, nec nouisse vnquam, qui contrarium huic verissimæ traditioni, vel verbo vel scripto protulerit. Montellæ in nostro Collegio Societatis IESV *die sexta Ianuarij mensis, anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi.*

Videndi omnino Andreas Lucas in historia Ignatij lib. 6. c 4. *& auctor Apologiæ in Historia Societatis.*

IOAN. DE SANCTIOANNEZ

Locus † sigilli

IOANNIS CASARVBEI.

XXXVIII *Et Ioannis Casarubei.* *Ioannes Casarubeus Professus quatuor votorum Societatis* IESV *in Prouinciâ Bæticâ Iuro in verbo Sacerdotis, me ab ingressu meo in Societatem audisse & legisse in vitâ S. P. N. Ignatij, quod cùm litteris operam daret, Antuerpiam excurrit ad corrogandam stipem ab Hispanis mercatoribus, ibique dixit Petro Quadrato Ciui Methymnæ Campi in Hispanijs, vt sibi eleemosynam daret; illum enim olim futurum fundatorem vnius Collegij eius Religionis, quam ipse fundaturus erat, quod & factum est. Quod vaticinium profectò sine prænotione diuinâ Societatis condendæ edere non potuit. Hoc autem à maioribus accepi ab ingressu meo in Societatem, in quâ iam* LIX. *annum ago, cum ætatis iam propè* LXXXVII. *Quorum magna pars mihi in magistratibus exacta est. Sex enim annis Vbedæ, tres Gadibus, septem Hispali, simúlque tyronum magister, Antiqueræ verò quindecim, tres domui Professorum Hispali Præpositus, totidem toti huic Prouinciæ Bæticæ, tum tertiæ probationis instructor, aliisque functus magistratibus sum, & cum ab his cessauissem, rerum spiritualium præfecturam sustinui. Itaque tum gestorum in Religione munerum, tum ætatis meæ ratione magna me veritatis dicendæ tenet obligatio, quamuis non iuratus dicerem, quanto magis, cùm omnia, quæ dixi, præuio dixerim sacramento. Data Antiqueræ in Bæticâ* XVI. *Kal. Febr. anni huius* CIƆIƆCXLI.

IOANNES CASARVBEVS.

Locus † sigilli.

ANDREÆ LVCÆ DE ARCONE,

Eius, qui vitam Ignatij Hispanicè scriptam summâ
XXXIX. *Et Andreæ de Arcone.* cum laude euulgauit; cuius quùm testimonium paulò longius excurrat, & Castaldum confutet, indicatis locis editæ à se vitæ, in quibus de reuelationibus agit, ad extremum præfatus se in inquirendis colligendîsque rebus ab Ignatio gestis singularem adhibuisse diligentiam, sic testatur.

Ego

Ego Andreas Lucas Societatis IESV *professus, & in Collegio D. Pauli Granatensi SS litterarum interpres, Diuum Ignatium à suæ conuersionis exordio, ab Spiritu sancto, vt societatem* IESV *erigeret, reuelationem diuinam habuisse, certam esse, & irrefragabilem veritatem, ac traditionem à Patribus ad filios constantem, & à Fundatore huc vsque deriuatam per annos 30. quos nunc in Societate ago semper audiui, sempérque cognoui. Quapropter quidquid huc vsque posui, non solum constanter affirmo, meôque de nomine subscribo, verùm etiam iureiurando in verbo sacerdotis confirmo. In hoc D. Pauli Colleg. Soc.* IESV *Granatensi, 19. die Ianuarij anni 1641.*

ANDREAS LVCAS DE ARCONE.

GVNDISALVI DE PERALTA.

Ego Gundisaluus de Peraltâ Prouincialis Societatis IESV *nunc temporis Bœticæ, quondam Sardiniæ, olímque Collegiorum ac domorum gubernacula qui sæpe tenui, ætate valens ad septuaginta & inde annos, fidem facio, quod à primo nostro in Societatem ingressu firmum continuò mente animóque habui (sic enim à maioribus accepi) Societatem nostram* IESV *singulari omnipotentis Dei ordine & curâ conditam fuisse, afflante diuino Spiritu parenti nostro sanctissimo Ignatio, dum huius animus Manresæ raptus è corpore, diuina patiebatur diebus octonis: eisdem ibidémque ab ipso Deo accepisse* IESV *nómen Societati, quam iam iam machinabatur animus, imponendum. Quod quidem nostri vniuersi Religiosi Patres, antiquitate, litteris ac sanctitudine præcipui, vnanimes consensu tenuére perpetuo, affirmauére claré, quin ab aliquo huc vsque audierim hæc vel tantillum, non constare sibi: Malacæ IV. Kal. Febr. anni 1641.* XL. *Et Gundisalui de Peraltâ.*

GONDISALVVS DE PERALTA.

Locus † sigilli

ILDEPHONSI DE MEDRANO.

Ego Ildephonsus de Medrano Sacerdos Professus Societatis XLI.

IESV *cum iuramento aſſero eſſe vera, certa, & indubitata, quæ in hac paginâ ſubſcribo meo nomine & propriâ manu.*

Ingreſſus ego in Societatem IESV, *in Prouinciâ Caſtellana anno* 1579. *ſexaginta duorum annorum decurſu ab omnibus maioribus meis Patribus in Religione educatoribus sẽper audiui, & per traditionem didici ſanctiſſimum Parentem noſtrum Ignatium de Loyola, Inſtitutum, Cõſtitutiones & Regulas, quas nobis obſeruandas tradidit, per reuelationem ſupernaturalem à Deo Optimo Maximo accepiſſe, id mihi ſemper cordi fuit vt eas omnes & ſingulas tanquam à Cælo traditas obſeruarem, venerarer. Id audiui à Patre Gonzalo Gonzelez grandæuo plus quàm octogenario tunc temporis quando dicto anno ſeptuageſimo nono me Salmanticæ ad Societatem quaſi manu duxit, in quam ingreſſus idem audiui à Patre Ioanne Suarez qui ſæpè publicis & particularibus colloquiis inculcabat (erat enim Prouincialis tunc Caſtellanus) fundationem noſtræ Religionis eiuſque conſtitutiones & regulas Parentem ſanctiſſimum Ignatium ſic à Chriſto* IESV *per reuelationem accepiſſe, ſicut antiquus Pachomius ſuam regulam ab Angelo; fuit hic Pater Ioannes Suarez magnæ religionis, & auctoritatis vir, Primus Rector Collegij Hiſpalenſis in Hiſpaniâ, & à Prouinciâ Caſtellanâ ſocius electus Venerabilis Patris Martini Gutierrez qui Galliæ inter hæreticos obiit ſanctiſſimè, ab eiſdem ob Catholicam Romanámque religionem vulneratus, ambóque Electores pro Congregatione tertiâ generali deſignati.*

In domum probationis Villagartiam profectus, & ſub diſciplinâ magni Patris Balthaſaris Aluarez eiuſdem domus Rectoris educatus, ab eodem ſemper audiui in publicis exhortationibus Societatis Inſtitutum à Cælo per reuelationem Parenti noſtro ſanctiſſimo Ignatio traditum, & exercitia ſpiritualia, & orationis mentalis methodum in eiſdem comprehenſam à Deo per reuelationem diuinam eundem accepiſſe: Idémque ſæpius audiui à Venerabili Patre Ludouico della Puente, qui ſub eadem diſciplinâ Patris Balthaſaris Aluarez mecum Villagartiæ tertium probationis annum agens ſimul

tunc

tunc temporis commorabatur.

Certè sanctissimus Pater Ignatius in militiâ sæculari veteranus, in cælesti & spirituali adhuc Tyro dicta exercitia pro suâ Societate composuit, viros doctrinâ conspicuos Parisiis socios adhibuit sui Instituti. Petro Quadrato cuidam nobili Mercatori, dum eleemosynam ab eo acciperet adhuc sæcularis apud Belgas, eum futurum fundatorem nouæ suæ Religionis in Hispaniâ prædixit, quod iam factum oculis vidimus in oppido Methymnæ del Campo, & ab vxore dicti Petri Quadrato, nomine Dominâ Franciscâ Manson hanc prædictionem Methymnæ sepè audiuimus.

Affirmo etiam me ipsum, dum per annos quatuordecim in Collegio Mexicano Prouinciæ nouæ Hispaniæ apud nouum orbem Occiduum degerem, id ipsum sæpius audiuisse à Patribus antiquioribus Societatis: vnus erat Pater doctor Petrus Sanctius Prouincialis nouæ Hispaniæ apud Indos, qui ingressus in Societatem Compluti in Hispaniâ, eius Vniuersitatis Rector eo tempore quo Beatissimus Pater noster Ignatius inter mortales vitam ageret, audiuisse à Patre Araoz, qui primus Complutũ ex Societate aderat, Institutum Societatis, à Parente nostro sanctissimo per reuelationem acceptum. Idem mihi affirmauit sæpius Pater Doctor Ioannes della Placâ primus Prouincialis Peruanus, pòst primus visitator Mexicanus, sæpius se audiuisse à primoribus Patribus nostris Hispaniæ: vterque Petrus Sanchez & Ioannes della Placâ, ætate erat tunc temporis octogenarius plus minúsve: Elapsi sunt autem quinquaginta duo anni, ex quo hæc apud Indos audiui, ego autem septuaginta quinque annos ætatis paucis mensibus excedo, quando hæc scribo.

Hæc scribebam Granatæ, III. Kal. Februarij ann. 1641.

ILDEFONSVS DE MEDRANO.

Locus † sigilli.

FRANCISCI AGVADO

Ego Franciscus Aguado Professus Societatis IESV *in Prouinciâ Toletanâ, Et in eâ Collegiorum Complutensis, Madritensis, & aliorum olim Rector atque Præpositus, Nouitiorum*

quoque multis annis Magister nunc secũdò eiusdem Prouinciæ Prouincialis, Philippi quarti Hispaniarum Regis concionator, annorum sexaginta nouẽ, Societatis verò quinquaginta duo, cum interrogatus fuerim, quid sciam circa reuelationẽ nostri S.P. Ignatij de Loyola quam de fundanda Soc. IESV *Minoressæ circumfertur habuisse in primis conuersionis suæ feruoribus, testimonium do, id me ita scire, velut si nihil aliud sciam, nec sciuerimus huius Prouinciæ Patres. Maiores nostri quasi rem affirmabant sine dubio: nos accepimus vt exemptam ab omni tergiuersatione, nec indigentem testimonia obseruari, sed velut in fide Parentum, aut potiùs in ipsâ veritate, sanctam, statam, atque inconcussam. Si dubitandãm putaremus vnquam, mille hinc inde ebullirent testimonia facillimo negotio colligenda at in re tam admissâ obseruatio putabatur otiosa, curiositas superflua tamen fidem hoc magis commendabat, quod eruditio putaretur triuia, quod veritas putaretur de vulgo. Sed animus insedit semper: id docuêre maiores, id credidere huius Prouinciæ alumni, nil in contrarium vnquam auditum fuit. In quorum fidem hanc paginam manu nostrâ subscriptam, & sigillo nostri officij munitam dedimus. Matriti in nostro Collegio Imperiali die tertia Martij, Anno Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimò primo.*

FRANCISCVS AGVADO.

Locus sigilli.

FRANCISCI ROBLEDILLI.

XLIII. *& Francisci Robledilli.* *Ego Franciscus de Robledillo Professus Societatis* IESV *in Prouincia Toletanâ, & in eâ Domus Toletanæ Professæ olim Præpositus, Collegiorum Optensis, Conchensis, Occaniensis, Complutensis, Domus Probationis Matritensis, & eiusdem nunc secundò Rector, Annorum septuaginta, Societatis verò quinquagintaquinque, testimonium do, & fidem iuratam facio, me, dum ad tempus beatificationis nostri S.Patri Ignatij Murciæ in nostro Collegio commorarer, & sanctæ celebritatis festum effusâ celebraretur pompâ, commissâ concione, ac laudibus sancti Patris Illustrissimo Domino D.Francisco Mar-*

tinez Ceniz eros (qui prius in Complutensi Academiâ primarius fuerat Theologiæ Professor, tunc Episcopus Carthaginensis, postea Gienensis, semper intemeratæ auctoritatis vir) inter alia audiuisse ab ipso concionante, Deum ad octiduanam illam ecstasim, quam Minoresæ sanctus Pater Ignatius passus est, reuelâsse illi totam Societatis IESV fabricam, totam Religionis fundandæ structuram: ipsam Religionem ad diuinos affatus tunc conceptam, iam inde primum esse accepisse, etiam vitales animos, queis postea decursu temporis iam iam fœtu maturo in lucem prodiit, & alia id genus multa. Neque hanc reuelationem tantus vir prædicauit vt rem nouam, immò potiùs vt statam ratámque, quámque nullus ex nostris ignorabat, vt propterea non tam in veritate probandâ, quàm in expendendâ esset multus. Cuius reuelationis fama quasi trinium quid semper fuit apud nostros, nulli res dubitata, omnibus firma: nunc dum exterus impugnat, admirationem potiùs, quam vel leuissimam opinionem parit. In quorum fidem ac testimonium certum hanc paginam manu propria subscriptam do. Matriti in Domo Probationis, die 7. Febr. an. 1641.

FRANCISCVS DE ROBLEDILLO.

Locus sigilli.

PETRI FERDINANDI DE MVDAIRA.

Ego Petrus Ferdinandus de Mudairâ Professus Soc. IESV *in Prouincia Toletanâ, & in eâdem Visitatoris, atque Prouincialis Secretarius, Collegiorum Carauacensis, Belleemontani, Oropesani, Conchensis, Murciani, Matritensis, tum Nouiciatus eiusdem Rector, atque Domus Professæ Præpositus, Sardiniæ quoque olim Prouincialis, annorum octoginta, Societatis verò 56. testimonium do quæsitus de fide atque notitia reuelationis nostri S. Parentis Ignatij super fundanda Societate* IESV, *quã in primis cõuersionis suæ feruoribus Minoresæ accepisse circũfertur: Et declaro, ita eã reuelatonẽ vbicũq; habitaũ, fuisse creditam, vt certitudine penitus immemoriali sibi præscripserit fidẽ. Contra eã aliquid attẽtare nec fuit, qui auderet hactenus,* XLIV. *Et Ferdinãdi de Mudairâ.*

nec

nec cui in mentem veniret. Omnes huius Prouinciæ in ea fuimus, vt in re quadam aut euidenti propter testimonia maiorum aut indubitatâ propter omnium assensum, ac veluti sacrâ propter vtrumque, Nec magis scitum omnibus, nec vlli magis statum atque certum vt propterea in indagandis tam ratæ rei testimoniis nec fuerimus curiosi, nec fore necessarium curauerimus vnquam. In quorum fidem hanc paginam manu nostra subcriptam do. Matriti in nostro Imperiali Collegio die Febr. 18. an. 1641.

PETRVS FERDINANDVS DE MVDAIRA.

Locus sigilli

NICOLAI BERZETTI, & aliorum vndecim.

XLV. *Et Nicolai Berzetti, necnon aliorum vndecim*

Nos infrascripti Societatis IESV *Religiosi & professi testamur etiam cum iuramento, quatenus opus est; nos ab antiquioribus nostris Patribus constanter audisse, vulgatum, ac creditum inter illos fuisse sanctum Patrem nostrum Ignatium priusquam Societatem* IESV *fundaret, de illâ condendâ diuinam accepisse reuelationem præsertim Manresæ. In cuius veritatis fidem ac testificationem nos propriâ manu subscripsimus. Neapoli pridiè Kal. Iunias 1641.*

Nicolaus Berzettus Prouincialis in Prouinciâ Neapolitanâ.
Ignatius Garganus Præpositus Domus professæ Neapolitanæ.
Franciscus Mascanbrunus Rector Collegij Neapolitani.
Vincentius Campanilis Rector & Magister Nouitiorum Domus Probationis Neapolitanæ.
Io. Iacobus de Alexãdro Rector Collegij S. Francisci Xauerij.
Marcus Antonius Palumbus Soc. Iesu Consultor S. Officij.
Flaminius Magnatus Soc. Iesu Consultor S. Officij in Regno Neapolitano.
Siluanus de Vico Soc. Iesu Consultor S. Officij in Archiepisc. Neapolitano.
Petrus Alois Soc. Iesu S. Scripturæ interpretationis professor.
Bernardinus Mazziotta Soc. Iesu Theologiæ professor.
Octauius Brunus Soc. Iesu Theologiæ professor.
Ioannes Baptista Trotta Soc. Iesu Theologiæ professor.

Locus ✝ sigilli

Quanquam

Quanquam ſat eſſe teſtimoniorum hîc videam, quorum offusâ nube te premam, quibúſque omnibus me, vel difficili, & moroſo rerum æſtimatori ſatisfeciſſe non dubito; mihi tamen nondum ſatisfeci, arbitror enim traditionem hanc veteribus membranis, corúmque dicto, qui de Ignatio ipſo audiuerint, eſſe comprobandam, quod à te in tuâ traditione omiſſum (nihil enim huiuſmodi habuiſti, quod in iudicium afferres) eam planè perdidit. Age recitentur veterum librorum teſtimonia.

Ex Aduerſariis M. S. Lvdovici Masoni, viri claſſimi nominis in Siciliâ.

Inter reliqua Ignatio diuinitus reuelata, de fundandâ Societate illum certiorem factum ſic tradit: *Tertiâ die vidit altitudinem inſtituti Societatis, quam ipſe condere debebat, & admirabiles illius progreſſiones.* Hæc ita in illis incorruptæ ſynceritatis Aduerſariis, quæ Panormi apud noſtros adſeruantur ſuis ad me datis litteris teſtatus eſt Cæſar à Boſco Societatis in Siciliâ Prouincialis. XLVI. *& Ludouici Maſoni.*

Ex M. S. Hiſtoriâ Hieronymi Natalis, viri Ignatio chariſſimi, ab eôque ad promulgandas, explicandáſque conſtitutiones in Hiſpanias miſſi.

Hic in ſuis de rebus Societatis monumentis Ignatianam prænotionem poſteritati his verbis commendauit. *Cùm de Inſtituti ratione rogaretur, ſolebat cauſſam referre ad eximiam illam mentis illuſtrationem, quam illi Deus gratificatus eſt Manreſæ, quæ illa omnia accepiſſet à Domino in ſpiritu quodam architectonico.* XLVII. *& Hieronymi Natalis.*

Ex M. S. aduersariis Ludouici Gonzales à Camarâ viri magnâ nobilitate, Regum & Ignatij amicitiâ, & omni virtutum genere florentissimi, qui à Ioanne III. Lusitaniæ Rege eâ gratiâ in Vrbem olim missus fuit, vt quàm diligentissimè, de Ignatij moribus ac sanctitate, cuius egregia fama latè didita erat, ad se perscriberet. Quid ille scriptum reliquerit, ex Pantaleone Carualho audiamus

XLVIII. *Et Ludouici Gonzales.* *Ego Pantaleon Carualho Societatis* IESV *Religiosus, in sacris Canonibus Baccalaureus formatus in Vniuersitate Conimbricensi, testificor me legisse Manuscripta facta à Patre Ludouico Consalues de Camarâ eiusdem Societatis, & Portugalliæ Assistente, qui Romæ tempore Sancti Ignatij diu commoratus à Rege Lusitaniæ Ioanne III. in mandatis habebat omnia notatu digna circa personam & vitam eiusdem Sancti Patris Ignatij considerare & scribere, quibus Rex, quem absentem videre non poterat, saltem hac scripturâ delineatum conspiceret: quâ occasione cùm esset ab eodem S. Ignatio propter eximiam virtutem spiritum & Religionem intimè dilectus, & cordis etiam secretarius factus, adeò vt S. Pater eiusdem assiduâ conuersatione deuinctus, promissionem de totâ suâ vitâ præteritâ enarrandâ fecisset, quam tamen propter repentinum è Româ discessum non potuit consequi, vt ipse fatetur, multa accuratè notauit; quæ manuscripta in Prouinciâ Lusitaniæ asseruantur, & inter alia multa, hæc quæ sequuntur continebant.*

Primò fatebatur iste Pater se ab eodem sancto Ignatio intellexisse, dispositionem & ordinem fundandæ Societatis in reuelatione Manresæ habitâ accepisse. Secundò addebat alio in loco, se ab eodem sancto Ignatio petiisse, cur aliqua in particulari in Societate constituisset, & ipsum totam caussam, ea, quæ Manresæ expertus erat, assignasse. Quod autem hæc reuelatio de fundatione Societatis in eâ Prouinciâ nota sit, & à multis annis etiam publicâ prædicatione, & traditione comperta, & quod supradicta legerim affirmo, & quantum opus

opus est ad fidem faciendam, *Iuro. Romæ 25 die Decembris, Anno* 1640.

Locus sigilli.

PANTALEON CARVALHO.

Habeo igitur vnum alterúmque testẽ, Natalem nimirum, & Gonzalium, qui se ab Ignatio audisse dicunt. Verùm, vt non in ore duorum, quod lex diuina ad fidem faciendam satis esse voluit, sed trium, quos vltra petere non potes, stet omne verbum, audiendus adhuc est Ægidius Gonzalius, qui Francisco Borgiæ, & Euerardo Mercuriano Societatis IESV Præpositis Generalibus olim pro Hispaniarum Prouinciis Assistens ac sæpius in Hispania Prouincialis, & magnis virtutibus Philippo secundo Regum prudentissimo percharus, in illâ Hispanicæ aulæ luce diu vixit.

Ex M. S. Ægidii Gonzalii.

Vidi ego Romæ apud Aluarum Ariam Assistentem Hispaniarum, librum Hispanicè scriptum ante hos annos LV. formæ, vt vocant, octauæ iustæ magnitudinis, in quo Ægidij ad socios de Societatis Instituto ac legibus domesticæ leguntur adlocutiones. In earum primâ hæc, quæ summâ fide Latinè hîc reddam, & à publico scribâ excerpi curaui, ad verbum leguntur. *Finis noster est, socios nos addere* IESV *in reductione animarum, & acquisitione mundi, vt Pater Euerardus in quodam sermone dicit se audiisse Patrem nostrum Ignatium, & socios eius dicentes cùm primùm illi obiecta fuit meditatio regni terrestris*, (habetur in libello exercitiorum hoc titulo, *de Regno Christi*) *impressas illi fuisse notiones de ideâ Societatis. Vt enim, &c.* XLIX. *Et Ægidij Gonzalij.*

Verùm enimverò quid ego ex M. S. Ægidij testimonium repeto? audiantur viri clarissimi, quos superstites adhuc esse voueo, & superioribus mensibus fuisse gratulor, luculenta enim testimonia dixerunt. Recitentur.

LVDOVICI DE LA PALMA.

L. *Et Ludouici de la Palma.* *Ego Ludouicus de la Palma Professus Societatis* IESV *in Prouincia Toletanâ, & in eâ bis Prouincialis, multoties Rector, atque Præpositus, annorum octoginta vnius, Societatis verò sexaginta sex, testimonium do, multis me abhinc retro annis audiuisse Patrem Gillium Gonzales, (cuius munera & merita ecquis ignoret?) dixisse, se, dum adstaret domesticæ cuidam concioni, quam ad nostros habebat P. Eurardus Mercurianus, & ipse Societatis* IESV *Præpositus Generalis, audiuisse inter alia ab eo, Deum, dum noster sanctus Pater Ignatius de Loyola in primis conuersionis suæ rudimentis spirituales exercitationes Minoresæ conscriberet, ad exercitium Vexillorum illi reuelasse vniuersam Societatis* IESV *fundandæ methodum, totum artificium atque integram structuram: id sanctum Patrem Ignatium ipsi Euerardo fassum esse, id ab hoc audiuisse Patrem Gillium, id hunc referre solitum, de hoc me pluries colloquutum ad nostros. Cuius reuelationis fama sic in hac Prouinciâ percrebruit vt nihil vnquam dubitationis passa sit, & vt negari modò primum fuerit dubitandi vestigium, & prima in tam pacatâ certitudine nubecula. Adeò semper insedit omnium animis, & extra omnem dubitationis aleam stato iure facta fuit amica. In quorum fidem ac testimonium certum hanc paginam manu nostra subscriptam do. Matriti in Collegio Imperiali nostræ Societatis die quinta Febr. ann.* 1641.

LVDOVICVS DE LA PALMA.

Locus + sigilli

ANDREÆ DE CAZORLA.

LI. *Et Andrea de Cazorla.* *Ego Andreas de Cazorla Religiosus Professus quatuor votorum Societatis* IESV, *& omnium Patrum & fratrum huius Prouinciæ Bœticæ indignissimus, sed tempore Religionis antiquissimus, ætate propè octogenarius officiis & Prælaturis per quadraginta annos perfunctus, cum antiquissimis Patribus huius, & aliarum Prouinciarum familiarissimè conuersatus, & cum singulari obseruatione informatus, & certior factus de rebus pertinentibus ad Sanctiss. fundatorem nostrum, & fundationem*

datione nostræ Religionis, institutum, & primos Patres, & Parentes nostros primi Parentis nostri socios (quorum duos Alphonsum Salmeron, & Nicolaum Bobadillam consequutus sum viuentes) fidem facio, & coram Deo in verbo Sacerdotis, testor semper intellexisse apud omnes supradictos Patres in comperto fuisse nostrum Sanctiss. Patrem Ignatium se sæpissimè confessum fuisse nihil habere proprium in structurâ nostri Instituti quoad substantialia, sed omnia venisse de manu Domini, vt faceret secundum opera exemplaris, quod in mente mõstratũ est, id est in recessu Manresano in exercitatione, seu meditatione, quam inscripsit Regni temporalis, quæ est prima inter meditationes secundæ hebdomadæ aurei libelli exercitiorum, & hoc tam firmiter inhæsisse menti Beatissimi Patris, vt in rebus minimis cùm desideraret eandem certitudinem, nec haberet, interrogasse Patrem Magistrum Lainez, quid sensisset vel intellexisset, fundatoribúsne Religionũ omnia minutissima à Deo reuelata, vel saltem illa maiora, & substantialia? & respondisse Lainem: Hoc vltimum sibi certum fuisse: annuisséque Patrẽ nostrũ. Hinc illa tã anxia quadraginta dierũ indagatio plena mille reuelationibus, & diuinis illustrationibus ad statuendã omnimodã paupertatẽ, etiã quoad Ecclesiã & sacristiã; & hæc omnia quæ illi data sunt, & ostentata à Deo & Virgine Matre, apud me habeo scripta eisdẽ verbis, quibus ab ipso Parente nostro Sanctiss. scripta reperta sũt post eius beatã mortẽ.

Testor deinceps P. Ægidium Gonzales de Auilâ vnum è contemporaneis & coætaneis primorum Patrum Prouincialem, Visitatoremque omnium Hispaniæ Prouinciarũ, Patris denique nostri Euerardi quarti Generalis pro Hispanijs Assistentẽ, mihi narrasse scribẽtique dictâsse se ex ipso Patris nostri Euerardi ore excepisse, ipsũmet (Euerardũ nẽpè) hæc eadẽ, vt suprà dicta sũt, ab ipso Sanctiss. Patre nostro Ignatio eiusque socijs audiuisse. Pro maiori autem huius dicti claritate apponã hic verba Hispana, vt mihi scribẽti ab eodẽ P. Ægidio dictata sũt anno Domini 1586. El fin de la Cõpañia es hazer Cõpañia à Iesus en la reduciõ de las almas y cõquista del Mũdo, como el Padre Euerardo dicia en vn discurso, que oio à nuestro S. Padre Ignatio y sus Compañeros, que quan-

do le pusieron delante la meditacion del Reino temporal le estamparon juntamente la traza y fin de la Compañia, &c. *Memoriâ item, immò & in scriptis habeo apud me, quod P. Didacus de Guzman notæ sanctitatis & nobilitatis vir, (qui duobus annis cum SS. P. N. Ignatio familiariter egit, vt, ipso mihi attestante, nullus præterierit dies, quo eius suaui non perfrueretur alloquio) meo rogatu dictauit circa annum Domini 1592. nimirum, quod cum iussu SS. P. N. Ignatij duo Patres Cardinalem nuncupatum de la Cueba Parentis nostri nostrarúmque rerum amantissimum eius nomine inuiserent, Cardinalem eis inter loquendum dixisse, sibi minimè probari nomen* IESV *Societati nostræ impositum, ne magnam apud alias Religiones inuidiam excitaret, quam Cardinalis sententiam cùm relati Patres domum regressi a Sanctiss. Patri nostro renunciassent, in hæc tunc Sanctiss. Patrem prorupisse verba*, si no se dijese Compañia de Iesus, (*vtar eisdem Hispanis vocibus, quas relatus Pater Didacus de Guzman mihi roganti, instillauit, & dictauit*) se podria dezir Congregacion de Iesus, ò Religion de Iesus, ò Orden de Iesus, mas el nombre de Iesus no creo que se quitara dando à entender claramente, que el nombre de Iesus, auia sido dado del mismo Iesus. *Veritatem probauit euentus, nam cum sæpè tentatum fuerit, maximè à Sixto V. Pontifice Max. vt nomen* IESV *è nostra Societate excluderetur, numquam id actum, perfectúmque fuit, quinimmò idem Sanctissimum* IESV *nomen ab eius successoribus stabilitum sæpius, confirmatúmque fuit.*

Testor insuper me a multis audiuisse Ioannem Petrum Carafam ex ordine Theatinorum, Cardinalem postea Theatinũ, nuncupatum, Paulum denique IV. Pontificẽ Max. vehementer optasse, vt ex suâ nostrâque vna conflaretur familia, itavt nostra suæ adiungeretur, nostrum verò S. P. Ignatium eius votis nequaquam acquieuisse, immò Carafam ipsum de rebus ad illius nouum Ordinem pertinentibus aliqua cum charitate prudenter admonuisse, qua Carafa non æquo animo tulit, quâ ex causâ postmodũ erga S. Patrẽ nostrum non ita animatus Carafa fuit, quod dissidium quod quantumque fuerit, P. Ioãnes Polancus

Polancus nostri Patris Secretarius, & Secretorum illius maximus subodorator licet omninò non intellexerit, scriptum tamen reliquit, quidquid illud fuerit, leuis momenti non fuisse.

Testor tandem quod quoties nostræ Societatis cum reliquis Ordinibus SS. P. N. Ignatio discrimen aliquod obiiceretur, toties sese SS. Patrem ad secessum Manresanum remisisse, clarè indicans eo in monte primùm nostræ Societatis iacta fuisse fundamenta, neque sibi integrum remansisse ius ad aliquid ex iis immutandum. Testor omnia hic contenta sic audisse sic intellexisse, & meo nomine firmo & confirmo, die 29. Ianuarij anni 1641. Hispali in Domo Probationis Societatis IESV, *sub titulo sancti Ludouici.*

ANDREAS DE CAZORLA.

Locus † sigilli.


Quæro hîc iam ex te, Castalde, an tuam traditionem huic meæ componi posse credas? Tu nullum veterem librum affers, quamuis te facturum, in Epistolâ ad Marcum Thienæum magnificè minitatus fueris; Ego illos attuli optimæ fidei: Tu nullum testem dedisti, qui ante editam à te Caietani vitam scripserit; ego antiquissimos dedi: Tuorum testium nemo caput traditionis appellat: à Caietano se audisse, aut ab aliquo saltē, qui se ab illo, accepisse dicere, testatur nemo; meorum tres id luculentissimè affirmant: Quid ego hîc de Petro Ribadeneira dicā, cuius auctoritas, vel rerum gestarum magnitudine, vel arctissimâ cum Ignatio familiaritate, vel editis librorum monumentis, vel Regum iudiciis, & laudationibus amplissimis (detur veritati venia) tuâ semper Orbi potior erit? Hic auctoritate Apostolicâ legitimè interrogatus, dicto sacramento amplè testatus est, nihil se scientem, volentémque in editis à se Ignatij vitis etiam breuiori (quam tu nullis rationibus oppugnas) falsi scripsisse. Hic idem transmissam ad se in Hispanias vsque Orlandini Historiam (vide quâ diligentiâ, & fide in eâ condendâ versata Socie- LII. *Atque ex his vtriusque Traditionis contentio.*

tas ſit) ac diligenter ad vetuſtam memoriam examinatam planè adprobauit, vt ſi tibi omnimoda ei fides habenda videtur, de hac Ignatij prænotione ſine graui totius Societatis iniuriâ, quaſi verò inſcio Ribadeneirâ aliquid per ſycophantiam additum fuerit, nullus tibi ſupereſt dubitandi locus. Quod ſi adhuc facere volueris, ſpondeo me ex ipſis autographis tibi planiſſimè ſatisfacturum.

LIII. *& diſputatorũ in hac Interrogatione conſequentia.*

Quare cùm Prænotio, quam de condenda Societate IESV diuinitus habuit Ignatius, & à grauiſſimis tradatur auctoribus, & validiſſimâ maiorum traditione firmetur: & cum eâ, quam Romæ ſuſcepit, conſultatione, votôque ipſo Hieroſolymitanæ profectionis, & commorationis bellè conueniat, nec ille à Deo, ad Theatinorum Ordinem ex Caietani oraculo, ſi Caſtaldum ſequimur, vocaretur, horum omnium conſequens eſt, illum nunquam id conſilij ſuſcepiſſe, quod huiuſmodi prænotioni eſſet oppoſitum, aut diuerſum: adeóque totius Caſtaldianæ narrationis improbandæ optimam inde coniecturam cepiſſe Nigronum, quod à Caſtaldo negatum, mihi hac Interrogatione probatum fuit.

INTERRO



INTERROGATIO VNDECIMA.

DE SPIRITV IGNATIVM euocante.

Ignatium ex Castaldi sententiâ à Diabolico, vel certè ab humano spiritu ad Theatinorum Ordinem euocari tantùm potuisse.

Interrog. VIII.  ROPE est, vt superioris me disputationis pœniteat, quâ, improbatâ Castaldi fabulâ, Ignatij Constantiam, ne turpiter eius narratione labefactaretur, tueri conatus sum. I. *Castaldus sumit sibi, à Deo vocatũ fuisse Ignatium.*

Animad. VIII. p. 66. 67. 68. Ridet enim in sinu Castaldus, habétque paratissimum atque impenetrabile scutum, quo ictus meos refutet; habet, quo me vt parum admodum in rerum à viris sanctis gestarum Historiis versatum, & nihil admodum sancti Spiritus morum scientem accuset. Ait enim si ad illustria mutationum, vt ipse quidem arbitratur, exempla quis respondeat, quod cuique promptum est, illos peculiari diuinitatis instinctu suscepta quandoque deseruisse consilia, nouisque curis animum intendisse; illico idem se de Ignatio dicturum.

Anim. VII. p. 67. Hinc Castaldo & Plausoribus ad fictas humilitatis laudes, verásque inconstantiæ vituperationes faciles, & prompta materia. Quid enim in viro sancto laudabile magis, quàm ad Dei nutus suscepta consilia fingere ac refingere, atque ab illis suspensum aptúmque viuere? Hinc Castaldo Ordiníque suo, vt ipse ait, præclaræ huius Ignatianæ humilitatis exemplum conser- II. *Cui obtemperare humilitatis, non inconstantiæ fuerit.*

 uandi

uandi cura & ſtudium, nec tam illuſtri ſidere, quod apud nos tenebris æterni ſilentij obrutum ingratiſſimè latebat, virtutum Reſpublica careret. Hinc reſponſio illa pulcherrima quærentibus, cur hoc à Caietano editum ſibi oraculum, ſociis numquam indicauerit Ignatius, noluiſſe nimirum virum ſanctum incomparabile hoc humilitatis ſuæ exemplum, ex quo tantùm gloriæ redundaret, cuiquam mortalium fidere, ne perderet, opinor, mercedem ſuam: & alia eiuſdem notæ, quæ riſum Lemuribus poſſint elicere: Vbi eras Caſtalde, quum iſthæc commentareris? Peregrinabaríſne animo, vt corpore, nam Pacificum tuum Certamen in peregrinatione ſcripſiſſe gloriaris? Ibid.

III. *Probatur falsò id à Caſtaldo aſſumi.*

Quæro enim ex te, Nónne Ignatium ad Ordinem, ſi non à Dei ſpiritu fuit vocatus, ab humano, vel Diabolico euocatum fuiſſe, fateri neceſſarium ſit? Sepone tantiſper diuinitatis inſtinctum, de quo mox videro, da mihi hoc, quod negare non potes; ſi non à diuino, ab alterutro ex duobus ſpiritibus vocationem illam fuiſſe. Quid hæres? Víſne quæ tibi obiicit Nigronus, in compendium contraham? Parebo, in gratiam legentium. Spiritus omnino quinque enumerantur, Diuinus, Angelicus, Diabolicus, Mundanus, Humanus: his cieri atque moueri animum aiunt. Verùm quoniam Angeli, Dei miniſtri ſunt, & mundus Diabolo ſeruit, ad Diuinum, Diabolicum, atque humanum motiones incitationéſque animorum noſtrorum ſat habent exigere. Legitima igitur argumentatio: ſi non eſt à Diuino, ab alterutro duorum reliquorum, vocationem neceſſariò eſſe debere. Elige, quem volueris, pro ſingulari tuâ in virum Sanctiſſimum, quæ vbique ſe prodit, reuerentiâ. Diabolicúſne placet? Inſolens eſſet de viris Sanctis hoc affirmare in re tam graui; ac de Ignatio præſertim, qui admirabilia diabolicarum fraudum agnoſcendarum poſteris documenta ante eam diē conſcripſerat; neque id tu vis; nam indecorum nimis eſſet Ordini tuo; ſi ad eum à Diabolo allectum Ignatium fuiſſe diceremus. Quid? Humanus placet inſtinctus? At hæc illa eſt leui-

tas



Interr. VIII. tas mentis humanæ, si non iudicij & constantiæ clauo regatur, de quâ satis, opinor, superiori interrogatione disputatum est. Sed iam irasceris, quasi verò ego per ambages te diutiùs ambigam, ac circumducam.

Anim. VIII. p 66. & 68 & 69. Anim XXIII. p. 90. Quæro igitur, à quo spiritu ductum fuisse opineris Ignatium? Non semel ais, Diuinitus instinctum, ideóque admirabili humilitate postpositis omnibus quæ orsus fuerat, Deum sequutum. Túne hoc audes dicere? Immò constantissimè dico. At ego eâdem constantiâ, falsum te dicere affirmo. Iniuriã facis, & maledicis. Verissimũ loquor, nam tu contra oraculũ loqueris. Quodnã est hoc oraculũ? Illud, quod tu, post exploratissimæ veritatis cortinam, cunctis præhabebis. quodnam tandem? Caietani viri sanctissimi, Parentis tui optimi, quẽ diuinis huiusmodi illustrationibus assuetũ fuisse tradis, & ego credo, satis gnarus Deum cum humilibus colloqui libentissimè, atque apud illos imperij sui sæpius arcana deponere. Caietanúsne vnquã dixit, Ignatiũ à Deo nõ vocari? Te quidẽ teste dixit. At hoc, inquis, dicere non potuit; nam ego Anim. VIII. allato Theologi testimonio affirmo dubitari non posse, *An propositum de* p 68. *ingressu religionis in eius* (qui vocatur) *corde exortũ sit à spiritu sancto, cuius est ducere homines in terram rectam.* Vera tu quidem narras, sed hæc nondum circumspexeras, quum Caietani vitam scriberes primò, immò cùm eius p. 3. vitæ locũ in huius Certaminis præfatione summa fide exscriberes; quẽ tamen in epistolâ ad Marcũ Thienæũ Ibid. dissimulâsti. Audi tuamet ipsissima verba: *Caietan. Ignatio renuntiauit, quòd Spiritus sanctus nõ illum quidem vocabat ad hanc Religionem, sed quod seruitium Dei futurum fuisset, vt ipse aliam presbyterorum Religionem, sed actuosiorem fundaret.* An satis disertè loquitur Caietanus, Ignatium à Deo non vocari? Ergo rectissimè infert Nigronus, vel à Diabolico, vel ab humano Spiritu; quartus enim non est. Quid hîc mutias, non habes; teneris omnino. Tricaris quidem Anim. VIII. quam omissam oportuit, ne indiligentiam tuam proderes, vt probes, quod nemo sanus ierit inficias, Deũ ea quãdoque iu-

IV. *Auctoritate ipsius Caietani.*

V. *quâ Castaldus validè tenetur.*

bere, quæ fieri tamen nolit. Quid extra lineas euagaris? Quid exempla incerta congeris & obscura? Poteras vnius Abrahami facto rem absoluere. Quis enim ignorat imperatam à Deo filij cædem, quam factam noluit? Non hoc est, quod quærimus: Sed quis vnquam nisi planè impius, dixerit ad filij cædem à Deo vocatum Abrahamum non fuisse? Si hoc quispiam ore polluto diceret, dicti huius consequens omnino esset, vel à diabolico, vel ab humano spiritu ad illam Tragicam scenam Patriarcham fuisse productum. Quid de Ignatio à Deo, ne Hierosolymas nauigaret, prohibito nugaris? Conficiendum erat ex eo, quod prohibitus fuisset, minimè priùs vocatum videri. Cur ad argumentum Nigronianum non respondisti, sed effugio fucum facere minùs attentis studuisti? Quæritur, an vocatus fuerit à Deo; nam hoc ex Caietani dictis negandum esse, vrget Nigronus. Tu, ne silentio te victum fatearis, ais vocari sanctos aliquando ad ea, à quibus eos mox Deus prohibeat. Inepta responsio; quis enim hoc vnquam in controuersiam vocauit? Fatere tandem te à Nigrono teneri. Scio equidem in Epistolâ te aliter loqui, Ais enim: *Illi* (Ignatio) *à Thienæo hanc militiam interdictam fuisse*: Castigatè omnino, sed tuæ illius prioris narrationis ratio tibi reddenda Nigrono est, cui, velis nolis, in ipso Certaminis ingressu succubuisti. Verùm vt illa Caietano à te falsò affingi, te quidē iudice, prodē, Anim. VIII. p. 67.

VI. *Dubitare licet de aliquâ vocatione ad statum Religiosum.*

Quæro ex te: *An Ignatio renuntiauerit, quod Spiritus sanctus non illum quidem vocabat ad hanc Religionem, sed quod seruitium Dei futurum fuisset*, &c. Renuntiauit; nam mihi negare integrum non est. Ergo potest aliquis dubitare, an à Deo sit vocatio ad hanc Religionem. Illud enim in deliberationem vocari potest, de quo bonúmne sit, an malum ambigitur; & sat scimus quæcūque à Deo non sunt, ea bona non esse. At Ignatij vocatio ad Religionem, si Caietano credimus à Deo nō fuit, non enim illū vocauit Deus: Non igitur bona fuit. Sed aliqua vocatio fuit; Ergo aliqua vocatio est non bona. In vitâ Caietani, c. 3.



bona. Rurſum de eo genere rerũ, quæ quandoque nõ bonæ ſunt,quandoque bonæ, dubitare ſapiẽtis eſt;Nõ igitur verũ eſt,ſi ad hanc indiuiduã Religionẽ adſtringas dictũ Theologi:*Non poſſe eſſe dubium,an propoſitum de ingreſſu Religionis in eius*(hominis vocati)*corde exortũ,ſit à Spiritu Dei, cuius eſt ducere homines in terrã rectã*,quod tu afferebas in medium, probaturus Magiſtros interioris huius Philoſophiæ, cùm Spiritus omnes in tres illos partiuntur,non loqui de ſpiritu ad ingrediendũ in aliquam Religionem, qui abſque dubio non poteſt eſse niſi à Deo.Mnemoſyne Caſtaldo fer opem;Obliuiſcitur enim oraculi ſui,Ignatio reſpondentis.*Quod piritus ſanctus non illum quidem vocabat ad hanc Religionem.* Quæ eſt dictorum tuorum pugna, Caſtalde? Iam minùs miror te longè alia docere in vitâ Pauli IV.cap 7. cùm inter admiranda illius nondum Pontificis narras,eum cenſuiſse Octauium Cæſarem adoleſcentem, qui annum integrum apud nos egerat in tyrocinio, parentibus, qui repoſcebant, eſse reddendum; nam quanquam acriter adoleſcentis cauſsam agente Ignatio, Pontifex contra Ioannem Petrum Cardinalem ſententiam tulerit, iuſseritque adoleſcenti liberũ eſse perſeuerare; ille poſt aliquot annos à Societate defecit.*Exitus*,inquis,*deinde declarauit non modo ſagacitatem, prudentiámque boni Cardinalis,verùm etiam ſolidum & verum amorem,quo eam Religionem proſequebatur;cuius amplitudo,vt & cuiuſcumque alterius,non in numero,ſed in virtute alumnorum conſiſtere debet; Adoleſcens enim poſt aliquanti temporis perſeuerantiam, maiori deinde cum ſuo dãno,& exiguâ Societatis ſatisfactione per ſeipſum egreſſus eſt: & tanquam ſtirps,quæ ſine bonâ radice creuerat,lo o fructuũ, quos bono agro debebat, in ipſo ſpei flore aruit.* Hæc tu ibi, in quibus tria ſunt,de quibus neceſse habeo te interrogare.Quorum illud primum eſt: An ea Cæſaris vocatio fuerit à Deo.Propoſitum certè fuit de ingreſſu Religionis, de quo ſecundùm Thomæ doctrinam, non poteſt eſſe dubium,an ſit à Spiritu Dei,cuius eſt ducere

Aa 3 homines

Anim. VIII. p. 63.

VII. *Probatur auctoritate Io. Petri Carafæ Cardinalis.*

In vitâ Pauli IV.c.7.

homines in terram rectam. Quid ais Castalde? Si vera docet Theologus, falsò iudicauit Carafa: Si sagax iste discernendis Spiritibus, dubitari ergo potest de Spiritu vocante, qu[illegible] tu tamen non vis.

VIII. *& Castaldi sententia* Quæro rursum, cur iudicium hoc Carafæ laudes? Ego enim Ignatij aliquanto melioris in hac scholâ magistri, quod ne dictum ægrè feras, te etiam atque etiam rogatum velim, censeo præhabendum, quod & Pontifex fecit. At, inquis, non perseuerauit. Hæccine tua est Philosophia? Quicumque igitur constantiam non tenent, illi à Deo non vocantur? Hoc enimverò est vitæ spiritualis fundamenta subruere, ne quid grauius dicam, quod tute videre potes, qui nôsti cuiusmodi sensus sit rebellium Hæreticorum, quos designat magnus idem Aquinas paulò antè laudatus. Dic, sodes, Iudas nónne excidit *vt abiret in locũ suum?* Non igitur ille vocatus à Christo. Si Carafa tuus, vel quis alius Iudæ consilium dedisset, ne Christum sequi vellet (fac vaticinum fuisse, atque impurissimi capitis nefaria illa scelera diuinâ anticipatione cognouisse) illũ tu sagacẽ discretorẽ spirituũ appellabis? Quotusquisque vocatur ad pœnitentiã, qui denuo nõ labatur? quis tamẽ vnquã à Deo vocari negauit? Malè consulis Reipublicæ, si ab euentu, humanæque voluntatis cõmutatione hominũ prudentiam, Deique spiritum æstimare nos iubes. 1. 2. q. ult ad 1. Act. 1.

IX. *vt parum tuta.* Quæro postremò, cur addas Octauium per se ipsum Societate abiisse? dimitti potuit volens, abire per se nõ potuit post tyrocinium, quod tu innuis. Sed interim oblitus tuæ huius Philosophiæ, strenuè vrges, dubitari non posse, an Propositũ de ingressu Religionis in corde hominis exortũ, sit à Spiritu Dei, quod Carafa tuus *Mirabili iudicio* non esse pronunciauit. Ipse verò Carafa quo demum consilio habitũ Prædicatorum induit? bono? Quomodo ergo dimisit? Malo? In dubium igitur reuocari potest, quo Spiritu aliquis impellatur. Sed locus de illâ Thomæ sententiâ disputandi non est, & quomodo verè senserit magnus ille Mystes veritatis, eius docent interpretes. Vsurpare iam illud Dauidicum, Anim. VIII. p. 68.

Thren. III. cum, longè tamen aliâ mente, poteris. *Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea*, quod ne mea culpa fiat, non ampliùs vrgeo. Sed vt quæ genere quodam coniuncta sunt, omnia hîc excutiam:

Quæro abs te, Castalde, quid totâ demum Animaduersione tuâ XIX. facias; cum quo lucteris? sítne tibi aliquid, quò collimes, an passim coruos testasque sequaris? Quæris, quæ Sancto Ignatio de suâ iam coalitâ Societate prædicere potuit B. Caietanus? Ne quære Castalde, verbo ego respondebo, omnia ea, quæ gesta fuerant, & quæ gerenda olim erant, potuit vaticinari: potuit cum Samuele Sauli omnia, quæ erant in corde illius, indicante, arcana etiam cordis Ignatio aperire, si *Dominus reuelasset auriculam eius*, vt habetur in arcano sermone. X. *Animaduersionis XIX. Castaldiana vanitas.* 1. Reg. 9.

Adeóne inscij rerum sumus, vt à te demum discere debeamus, vaticinos homines tempora omnia percurrere? & rerum etiam præsentium scientiam, si tamen abditæ sint, atque latentes, in vaticinij rationes inferri? Nónne id apertè tradit Nigronus, potuisse Caietanum à Deo de Ignatij rebus certiorem fieri? quis de hoc ambigat? Neque tu id nesciebas, Castalde, sed occasio aliqua captanda erat difficultates & consultationes Patrum in condendâ Societate vellicandi, quod omnino egregiè facis; quasi verò illud demum ad rem aliquid faceret. Nemo de potentiâ vaticinandi dubitauit: quod negatum à Nigrono, tibi probandum fuerat, non hoc est; verùm an noua aliqua, & Ignatio ignorata de cõdendâ Societate illi vaticinatus fuerit Caietanus; Neque hoc ita dico, quasi verò omnia omnino ille iam sciret, varios scilicet euentus, & rerum momenta singularia, quorum prænotiones omnes diuinitus Ignatium accepisse nemo nostrum dixit; sed de re totâ loquimur. Potuit ergo Caietanus multa, magna, illustria huius minimæ familiæ decora, quæ fortasse ignorabat Ignatius, ei prædicere, atque ad hæc ipsa tempora vaticiniũ extendere, gloriosásque mortes illius filiis tum Apollinari Almeida Episcopo Nycæno, XI. *ea probantis, quæ nemo negauit.* In Dissertat. n. 10.

Hyacintho

Hyacintho Francifco, & Francifco Roderici in Æthiopia; tum Gafpari Oforio, & Antonio Ripari Cremonenfi in Paraquariâ cludeliffimè in Romanæ Ecclefiæ, aut Euangelij odium à fchifmaticis Abaffinis, Ethnicifque Caucis illatas enarrare, quas nos recentiffimis fociorum litteris accepimus.

XII. *Multa viri fancti prædicere potuerunt. Caietanus Ignatio.*

Potuit, quæcumque ab Ecclefiæ perduellibus, & barbaris Idololatris, & improbis Catholicis paffa olim hæc eft familia: potuit infinitam fcripturarum & libellorum vim, quibus impugnata eft, illi prænuntiare. Quæ potuerit prædicere, quæris? Quæcumque Deus in illam contulit ornamenta quæcumque hoftes odère, quæcumque boni amant, nec tu negas, potuit Caietanus cognitione diuinitus anticipare, atque Ignatio prædicere.

XIII. *Et hic Caietano item multa.*

Potuit vice versâ Ignatius, fi à Deo accepiffet, Caietano multa, eáque per honorifica de fuo Ordine vaticinari: altricem Epifcoporum familiam futuram, & quamuis diù illi luctandum effet, amplificandam nihilominus multâ alumnorum celebritate per Italas Vrbes, magno earum emolumento: claros habituram Oratores, viróſque doctos, qui libris in lucem editis Rempublicam litterariam illuftrarent. Potuit de Carafæ Purpurâ, & Pontificatu, déque rebus eius è Repub. geftis: Potuit de Scoti, & Arezzij Cardinalium laudatiffimorum dignitatibus ac virtutibus: Potuit de Ioannis Marinoni, atque Andreæ Auelini duorum abfolutiffimorum domefticæ ac frugiferæ aliis Sanctimoniæ exemplorum claritate: Potuit de templorum magnificentiâ, & cultu mundiffimo; de fuffragiorum, quibus defunctorum animis fecundâ quâque feriâ vtilem opem fortis, celebritate; de Colchicâ, fiue Mingrelianâ expeditione, ad reuocandas ad Petri caulas errantes ouiculas paucis ante annis fufceptâ: Potuit, de Collegij propagandæ fidei adminiftratione recens fufceptâ vt huiufmodi munus Clericorum non effe mihi pofthac obiicere non poffis: Potuit de Antonino

tonio Dianâ celeberrimæ famæ Theologo, de Agellio, & Ghislerio illustribus diuinarum litterarum interpretibus; de Tolosis, Pontanis, Myrthis, Iustinianis, Filingeriis, Gilibertis, Passerinis, Denticis, Casertis, qui superiore, aut etiam nostrâ ætate eloquentiæ gloriâ floruerunt; de Guindaciis, Antinoriis, Bardelliis, Marinis, qui nunc apud vos dominantur in suggestibus, deque Buzomo, mihi amicissimo, qui quintū iam annum Mediolani in summâ amplissimâ Æde, iubente Cæsare Montio Cardinale Archiepiscopo, cui gratissimus est, concionem frequentissimam per æstiuas ferias beatâ quadam detinet facundiâ: Potuit de Stephano Mediceo ciue meo, ac patriæ ornamento singulari, quem proximis Comitiis ob perspectam virtutem prudentiámque iterum Præpositum Generalem fecistis; cuique istam tuam fabulam tam improbari non dubito, quàm illum virum esse modestissimi ingenij, veritatis amantem, ac, vno verbo sapientem scio: Potuit de Aloysio Nouarino vestri Ordinis eruditissimo, ac totius sacræ atque prophanæ antiquitatis scientissimo: Potuit de Paulo Aresio ciue meo, Episcopo Derthonensi, viro extra inuidiæ iactum, virtutum magnitudine, atque multiplici sapientia collocato multa prædicere. Quid potuerint viri sancti, nulla mihi tecum discordia est, nisi tu de hoc etiam volueris altercari; quid fecerint inquirimus.

Quare, quum à Deo vocatus non fuerit Ignatius, teste Caietano, reliquum est, à Dæmone, vel ab humano Spiritu vocatum fuisse, quod quum profectò dici Castaldus nolit, reliquum iterum est, vocatum omnino non fuisse; cuius consequens est, nihil eâ occasione à Caietano, qui multa potuit, ei de Societate prædictum, quod à Nigrono assertum, & à Castaldo leuissimè impugnatum, mihi fuerat probandum. XIV. *Interrogationis clausula.*

INTERROGATIO DVODECIMA.

EXCVSATVR NIGRONVS:

Quod viginti auctores sequutus Ioannem Petrum Carafam Clericorũ regularium Fundatorem dixerit, & quod Caietanum Ordini tunc præfuisse affirmauerit, quod quum & Castaldus doceat, probabili Nigronus coniecturâ vsus est, quod Castaldus negauit.

I. *Nigronus de Fundat. Cleric. Regul. sentit cum eorũ Historicis.*



QVÆRO ex te, Castalde, quânam tandem pœnâ ob ingentissimum illud scelus, quod designauit, Nigronum dignum putes, quum viginti auctores, eôsque inter, Antonium Caracciolum, & Ioannem Baptistam Tusum Historicos vestros, immò Constitutiones vestras, immò te ipsum sequutus Carafam Fundatorem primum vestri Ordinis esse contendit? Annon tu Pauli IV. gestis à te conscriptis titulum præfixisti Fundatoris absolutè? Si non primus, si non solus, cur *Confundatorem*, vt loquuntur, non dixisti? Cur non vnum è quatuor Fundatoribus? Cur cap. XVII. eiusdem vitæ datas ab eo leges Ordini asseruisti? Quam Nigroni probationem admirabili conuellis responsione; ais enim, *Regulas à Carafa & Constitutiones datas fuisse admitto* (quî enim neges, quod docuisti?) *Sed non ab eo solo*; at illius tantùm meministi; tum diuinas more tuo: *Hoc* (quidnam rogo? Solum non dedisse? quis ita loquitur?) *si cuipiam competere debet ex quatuor, præcipuè & maximè da Caietano*

In Synopsi n. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & n. 25. Histor. Anim. XXII. p. 183. in vitâ Pauli IV.

II. *& cum Castaldo ipso*

Anim. XI. p. 99.

III. *qui parum constanter loquitur.*

Caietano

Caietano videtur dicẽdũ, à quo tanquã à perẽni fonte, primus fundandæ Religionis Spiritus emanauit in cæteros. Hîc verò manifestissimè principiũ petis. Negat Nigronus Caietanum fuisse principem Ordinis Fundatorem: quare? quia leges non dedit, quas, te auctore, dedit Carafa. Quid ais Castalde? Nego, inquis, Carafam solum dedisse. At vnũ nominasti. Quid tum? intelligere debuisti hoc de Caietano videri dicendum. Quare hoc? quia primus auctor fuit Religionis. Quid si tu huius ipsius Animaduersionis titulo id negas? Recitetur titulus:

Ibid. p. 98. *Thienæus & Carafa in nostrâ Religione fundandâ omnino compares.* Compares ergo, ac omnino compares fuerũt. Ergo nemo primus. Si enim primus, ergo nõ iam tempore par. Ergo nemo spiritu & consilio condendi Ordinis prior; nam qui prior est, par in eo, quo prior est, esse quî potest? At per te Thienæus, *Perennis fons, à quo primus fundãdæ Religionis Spiritus emanauit in cæteros* Ergo & tẽpore prior, & Spiritu, qui ab illo promanauit. Ergo non par? Cur ergo cõpares vocas Caietanũ & Thienæum? Cur pares dicis in titulo, quos dispares in ipsâ probas disputatione? Quid? an non tua hæc sunt verba? *A quo* (Caietano) *humiliter atque enixè Carafa admitti petijt, memorabili posterorum exemplo ad Caietani pedes ipse Episcopus prouolutus.* Hîne compares, quorum vnus ab altero *humiliter* ad eius pedes prouolutus, admitti postulat? Si hoc verum est; Ergo Primus Fundator Caietanus. Cur ergo ante hos paucos annos, quibus de referendo in Beatorum Ordinem seruo Dei Caietano agi cœptum, tam constanter à vobis Carafa Fundator nullo addito, aut etiam explicatè primus, vt à Tufo, dictus est? Sed quando, & tu temeritatis nomen Nigrono intentas, si contrà hiscat, & nõ nemo ex tuis plausoribus eum violatæ sacrosanctæ Pontificum auctoritatis impudentissimè reum peragit: Age, pernego, dicæ gratiâ, Caietanum primum fundatorem: aio fuisse Carafam. Vbinam contrariũ docent Pontifices? Aiunt Caietanum Fundatorem fuisse. Quid tum? hoccine

[Left margin: Ibid. p. 98. — Anim. XI. p. 99. — Ibid. p. 98. — Anim. XI. p. 96.]

[Right margin: IV. *exæquat Carafam.* [illegible] — V. *& humilis antefert* [illegible] — VI. *Ex Pontificum diplomatibus quis eorum primus fuerit, non constat.*]

 cine

cine est dicere primum? Quid ais Castalde? Affirmare non potes; nam & tu Fundatorem Carafam dixisti. Ergo primum? quod ne sit, contentiosius digladiaris. Negas? Cur temeritatis mentionem infers, quasi Nigronum territaturus, qui tamen fundatorem esse virum Dei vnum ex quatuor, & à Carafa præcipuum non negauit. Annon disertissimè id asserit, & quàm tu distinctionem affers, ipse prior docuit? Quæ ergo fides scribentis est, fingere, contra quem pugnes? Id vnum efficere se velle Nigronus testatur, penès Caietanum summum tunc ordinis magistratum non fuisse, & Carafæ, non demissionis caussâ, sed ex officio subditum fuisse, quod adeò confecit ac demonstrauit, vt tu argumenta dissimulare, quàm refellere malueris.

VII. *Nigronus non negauit Caietanum Fundatorē fuisse.* Quæro ex te, vbinam legeris Nigronum ex eo, quod Caietanus non moderaretur Ordini, inde conficientem, eum non fuisse fundatorem? Id tu quidem impugnas; sed Nigronus non dixit, ac proinde cum laruis luctaris. Anim. XI. p. 96.

VIII. *Castaldus in explicandi suorū maiorum Repub. non constat.* Quæro rursum, vt me pro tuâ humanitate doceas, cuiusmodi per ea tempora vestræ fuerit Reipublicæ forma; ego enim sub vnius imperio viuere assuetus, parum in illis, quæ *Aristocraliter*, vt loqueris, fiunt, versatum me esse ingenuè fateor; ac ne illud occinas antiquum: Hospes in alienâ Republicâ curiosus ne sis, hanc rem totam diligenter euolui: ad caussam aio pertinere. Arbitror igitur in omni Aristocratiâ vnum aut geminum caput esse debere, aut certè magistratum vnum, quamuis X. virorum, in quo tamen per vices saltē, vnum, principem locum obtinere sit necesse. Ita planè se res habet, & tu Rempublicam vestrā optimatū esse, ac Generalē, qui olim erat Venetæ domus Præpositus, Ducis loco esse, ais. Peto, qui tū erat Ordinis moderator? Bonifacius, inquis; vnus, opinor, ex quatuor Fundatoribus. Bene habet. Ergo non Thienæus? Nullo modo, & ego id, inquis, docui. Ergo priuatus Thienæus? saltem Venetiis. quid ni? Annon disertè à me dictum est:

Anim. III. p. 35.

Ibid. Anim. XI. p. 99.

Ibid. est: *Neque Carafa tunc Ordinem gubernabat, neque Thienæus?* quoties dicẽdum est? Tardioris ingenij discipulum nactus es Castalde, qui arcana imperij vestri non capiat, post duas enim trésve periodos sic loqueris. *Nam vnà simul gubernabant omnes primi nostri Ordinis cõditores, precipuè tamẽ Carafa & Thienæus. penès quos, teste Caracciolo, erat summa rerum.* Videbantur mihi duo hæc dicta inter se pugnare: *Gubernabant Carafa & Caietanus;* & *Caietanus & Carafa non gubernabant*, ideóque à te doceri volebam; sed animaduerti diligentiùs additam particulam *præcipuè*, quâ forte significare vis minimè illos gubernâsse: appellasti etiam testem Caracciolum, qui quùm dixit penès hos duos rerum summam fuisse, ne tibi dicenti nõ gubernâsse, pugnantia dicat dicere voluisse, necesse est illos Rempublicã minimè attigisse.

p. 8. Quibus ego testimonium tuum addam ex vitâ Ioannis Marinoni, qui Caietano in Neapolitanam expeditionem comes à Carafà additus est. Te ipsum audi cap. 11. *Sed alium præcipuum finem habuit Carafa, Beatum hunc Patrem mittendi.* Misit ergo Carafa, vt hominem spiritualibus Mariæ sororis exercitationibus opportunum. Ac ne eo effugio, quod tibi superiore Interrogatione aperui, elabaris; nulla hîc dignitatis ac eminentiæ, sed

Animad. III. p. 35. auctoritatis, ac *gubernij* (vt tuâ antiquissimâ & pulcherrimâ voce vtar) suscepta cum Nigrono est disputatio. Sed quæro, si omnes simul gubernabant, consiliône, an imperio id faciebant. Consilio? nulla igitur potestas. Imperio? quale hoc regimen vt quadraginta, vt quàm plurima numerem, capitum familiam & ordinarius magistratus, Præpositus nimirum Venetæ domus, & IV. viri fundatores summâ cum potestate temperarẽt? At summa potestas non erat. Penès quem igitur erat?

Animad. III. p. 35. Penes Bonifacium. Ergo is arbiter rerum: sed more Ducum in Rebuspub. inquis, qui vt nihil sine Senatu decernunt, ita hîc nihil sine Capitulo. At Capitulum non ex his IV. Viris tamen constabat: ergo IV. viri non gubernabant auctoritate aliquâ propriâ, sed senatoriâ.

His igitur constitutis; si à Capitulo, domus scilicet Venetæ, nam altera nusquam erat, & Generale Capitulum dicebatur, haud dubiâ futurorum spe, (nam alioqui quomodo Generale voces interrogabũt te Logici) Respublica administrabatur & huic summo in totum Ordinem cum imperio præerat Bonifacius,

IX. *Carafam Ordini moderatum fuisse probatur ex eiusdẽ Epistola ad Caietanum*

Quæro, quo iure Carafa summæ vir demissionis, qui nec iure fundationis (Secundarius enim tibi extra titulum est) nec Venetæ Præpositurae (nam eam obtinebat Bonifacius,) litteras det ad Ciuitatem, quasi à se mitteretur Caietanus? Quæro, quî illam scripserit Epistolam Anno seculi XXXIV. quam excussit Nigroinus num. 34. Neque tu, vt inde obiecta dilueres, nisi leuissimè attigisti, & sapienter quidẽ, vt soles: quid enim eã attingeres, quæ causam iugulat? Nam quæ nota Religiosi Imperij esse potest, quæ in eam Epistolam Carafæ non conueniat? Ea data est ad Caietanum ipsum XVIII. kalend. Ianuar. Et legitur apud Caracciolum p. 15. Collectaneorum. Nam si nomine Capituli data est, cur nihil de hac re, vt auctoritatem Epistolæ conciliaret? Quanquam quid necesse est coniecturis agere? longè alia subscribendi publicis Epistolis ratio tunc fuit. Nam Epistolæ, quam à Caietano datam in eius vitâ tu vis, ita subscriptum lego: *Præpositus, & Fratres Clerici Regulares*; sic enim docuit Capituli nomine scribentem agere. Quanta verò Carafæ, & quàm absoluta in Ordinem fuerit auctoritas, vel ipse Clemens VII. docet; quãuis enim anno XXXIII. Præpositus domus & totius, qui illâ continebatur Ordinis, esset Caietanus, *Breues* nihilominus litteras ad Carafam, & Caietanum dedit idem Clemens haud dubio imperij Religiosi indicio, quo si Carafa iam abiisset, ingẽs profectò priuati hominis fuisset arrogantia. Leges dare paribus, & Caietano præcipuè, qui Neapolitanæ domui inchoatæ præerat. Itáne verò Carafa aduersùs Caietanum Ordinis fundandi, vt tu vis, principem superciliosus fuisset, qui ad eius olim pedes abiectus, admitti ab illo in

X. *quæ Capituli nomine scripta dici non potest*

Animad. XI. p. 100.
Animad. XI. pag. 98.

in societatẽ postulauit? Non sic viri magni: Certè Xa-
p.100. uerius, quãtus ipse Ignatio de genu scribebat. Scripsit, inquis, nomine domus Venetæ: Nullum apparet vesti-
p.101. gium istius Senatusconsulti. At, inquis, ad Mariam sororem Carafa scribens, ait: *Inde ortum est, vt exigentibus id à nobis vrbis istius rectoribus*, &c. Non loquitur de se, sed simul de omnibus. At hoc negabit Nigronus, & plurali numero vsum Italico idiomate, dicet. Sic enim ad Mariam scripsisse arbitror, aut etiam Latino sermone, illum de pluribus, non de se vno loquutum fuisse, nequaquam probat; quoties ita loquimur, & scribimus etiã priuati? Cæterùm ab eo, quod scribit ad Mariam sororẽ, argumẽtari velle de his, quæ Caietano mandat vereor ne imbecillis sit argumentatio à disparato. Ne autem Lectorẽ ad legendam Dissertationẽ Nigronianã ablegemus, reliquas notas imperij hîc attingamus.

XI. *Plura in ea Religiosi imperij argumenta.*

Quæro enim ex te, Castalde. Admittere ad Ordinẽ, illúmve petentibus negare: Cogitationes de missione Sociorum, & Caietani præsertim fundatorũ principis suscipere: Formam Religiosi Sacramẽti, quam Professionem dicimus, scribere: se sacris socios initiâsse (nã & Pontifex erat Carafa) & porrò adhuc maioribus initiis perfecturũ se dicere, nónne tibi summi in Republicâ Religiosâ imperij notæ legitimæ sunt? Nullus dubito: Sed non hinc cõtinuò efficies Carafam Ordini moderatum esse. At ita loqui, atque agere hominẽ priuatum
p.100. intolerãdæ superbiæ est, atque tyrannidis, in optimatũ Republicà non ferẽdæ. Rectè mones, inquis, Et ego, ne hoc dicam, asserã nomine Capituli illa dicere. At nusquã hoc dicit, Nihil hac notâ aliis in Epistolis de Capituli sententiâ se fecisse scripsit. An tibi necesse fuit, ne Carafam superbum diceres, tã longè petitâ, tãque exili defensione vti; quasi alterutrũ verum esse sit necesse, aut Carafam imperiũ non suũ vsurpâsse, aut Capituli nomine scripsisse, quorum alterum indignũ viri virtute ac sanctimoniâ est; alterũ leuissimâ probatũ cõiecturâ; neque enim ita hæc duo mẽbra rem omnẽ exhauriunt; vt tertiũ, quod vrgebat Nigron. legitimũ scil.

imperium non superſit. Sed tu pro tuâ in reſpondẽdo prudentiâ, quùm Nigronus diceret ex eâ totâ Epiſtola confici alterutrum, aut Carafam ſuperbum, aut Præſidem Ordinis fuiſſe, ita reſpondes: Ego, ne cogar fateri Carafam ſuperbum fuiſſe, dicam, alieno imperio ſcripſiſſe. Logicos appello, qui dum hanc nouam reſpondendi formulam expediunt, tu mihi iſtâ Capituli non tam mentione quàm ludificatione hinc nõ euades. Quis enim credat Capituli nomine ſcripſiſſe, qui ſic ſcripſerit: *Aliquid tentare decreueram, eramque animi dubius, vtrùm tu Frater mittendus eſſes, an literis res agẽda; & quidem vt tu accederes, magis ſedebat animo.* Tum paulò pòſt: *Noſtro, & totius Congregationis nomine admitti noluimus;* Quis vmquam ſine imperio, ac priuatus ita loquatur ac ſcribat? Adde iam Caraccioli fidem in vitâ Caietani de ſecundâ Sodalium Neapoli miſſione his verbis ſcribentis: *Carafa igitur* (poſt acceptas Caietani litteras) *extemplo ſex alios veluti ſubſidiarios milites Neapolim ablegat.* Nõne hoc totũ Imperatoris eſt? idque factũ anno ſeculi XXXIII. conſignatur. Quid de ipſius Caietani miſſione? in quâ imperantis ac mittentis partes ita Carafæ tribuit, vt mirari ſatis non poſſim, vllum illa legenti dubitationis locum ſupereſſe: cur verò Caraccioli fidem ſuſpectam habere debeã, nihil habeo. Illud certè mirum eſt, Caietanũ qui tibi anno XXXIII. domus Venetæ ac proinde totius Ordinis, Præpoſitus erat, ſi eius ea eſt Epiſtola, quam in illius vitâ recitaſti à Carafâ, cui nullum eſſet imperium, mitti atque ablegari eique ſocij, quem maximè vellet, eligẽdi poteſtatem ampliſſimã fieri, quâ illo memorabili demiſſionis exemplo vti noluit. Neque magiſtratu dici poteſt abiiſſe ante Decembrem anni XXXVI. quo habita ſunt Romæ Ordinis comitia.

Animad. X. p. 100.

XII. *Idem probatur ex Caracciolo,*

Animad. XI. p. 100.

XIII. *Et aliis argumentis.*

Quæro inſuper ex te, an Caietano in Neapolitanâ ſuâ domo agenti ius fuerit in Ordinem adlegendi? Fuit: Contrà docet Epiſtola nã ex his, quorũ ille petitiones ad Carafam per Epiſtolam detulerat, hic duos

reiicit

reiicit, tertium admittit. Non fuit Neapoli, vbi Præpositus agebat? Multò igitur minùs Venetiis, vbi hospes erat, quod Ignatium, si eam cum illo contraxerat familiaritatem, quam dicis, ignoraſſe, verosimile non est. Si ergo ab eo admitti non poterat, quis putet ab eo hominem minimè stolidum id postulâſſe? At rides in sinu, Castalde, hanc Nigroni coniecturam, quasi hominis, qui nescierit etiam à priuatis habitum Religionis peti posse; sed ego cum Nigrono, id à viris prudentibus fieri nego. Saltem vt fabulæ probabilitas aliqua esset, dixiſſes Caietanum ab Ignatio consultum, quid sibi agendum censeret, adhibitúmque interpretem, vt siue à Carafa, siue à Bonifacio hospes ipse gratiosus id sibi impetraret. Horum neutrum dicis, sed ore rotundo: *Petiuit à Caietano, vt se in ipsorum cœtum aggregaret: atque habitu ipsius Religionis indueret.* Adde Caietanum tanquam de re, quæ sui iuris eſſet, non respondiſſe relaturum sè ad Scottum, aut Carafam, aut denique socios, quod priuati hominis officium fuit, sed preces indixiſſe, sempérque ita se geſſiſſe, ac si res tota ad se pertineret. Quod ipsum (nam etiam penicillo huic scenæ seruiendum fuit, vt fabulæ olim ex auctoritate antiquarum imaginum fides conciliaretur) Caietani Ignatium reiicientis, atque aspernantis gestus, quo illum expictum in templis proposuiſtis, satis indicat.

Anim. XI. p.101. & Anim. VII. p.52.

In vità Caietani c. 3. Ibid.


XIV. *Hinc Ignatiana Petitio confutatur.*

In synopsi n.24. & in dissert.n. 35.

Quæro postremò, quâ tandem ratione validiſſimam Nigroni coniecturam infirmes dilemmate hoc vtentis; nam legere me in tuis Animaduersionibus, non satis memini: Carafam inter Ignatiúmque conflatam fuiſſe amicitiam omnes fatentur, & offensiones deinde interueniſſe aliquas ex vetustis monumētis nouimus. Quærit igitur Nigronus, quonam tempore petitio facta dicatur. Integrâ cum Theatino amicitiâ? quis credat ad ignotum hospitem (nam XV. diebus paulò ampliùs Castaldus Caietanum suum Venetiis continet) non ad amicum, qui supremum

auctoritatis, vel dignitatis locum obtineret inter suos, suum hoc votum delaturum fuisse Ignatium? Post subortas simultates? In eum scilicet Ordinem admitti postularet Ignatius, cuius cum Principe sibi aliqua esset simultas?

Quæ cùm ita sint; Caietano scilicet nullam tunc in Ordinem fuisse potestatem: nec IV. viros fundatores imperium in eumdem obtinuisse, & Caietanum Neapoli ad Ordinem non admisisse, & à Carafa imperia accepisse, & hospitem breuissimum Venetiis fuisse, si fuit; prudenti ac validâ coniecturâ Nigronus vsus, nihil ab eo petiturum Ignatium fuisse asseruit, etiamsi Venetiis conuenissent, & ea Ignatio mens incidisset, quod mihi erat probandum.






INTERROGATIO DECIMA TERTIA,

DE ORDINVM CONIVNctione atque habitu.

Quæ de Societatis ad suum Ordinem optatâ à nostris hominibus trangreßione, déque Religiosâ veste ab eodem desumptâ in vitâ Pauli IV. cap. 16. Castaldus prodidit, eiusdem notæ fabularis esse.



VÆRO ex te Castalde, quæ tibi causa fuerit tam dolenter (nam inimicè facturum te pro tuâ modestiâ ac religiosâ charitate negas,) querendi de Nigrono, quasi gemino dicto Dissertationis suæ §. 18. num. 70. tibi iniuriam fecerit; quorum vnum quidem verissimum est; sed tam longè ab omni calumniâ, quàm cum ipsissimâ veritate coniunctum: alterum nusquam apud Nigronum legitur. Ais, dixisse Nigronum, *voluisse te nos deludere?* Vbi hoc? legatur indicatus Dissertationis locus, nusquam inuenietur. An idem putas esse, quod vir modestissimus scripsit: *Denique videat Castaldus, quomodo testes productos eludat, &c.* & quod tu eum scripsisse conquereris? Vereor, vt hoc Grammatici ferant: Sanè Nigronianis dictis ea subest notio: Testes, quos ibi dabat, adeò rem probare, vt nullo modo ab aduersario possent eludi; quod si iniuriam esse reris, vide, ne delicatiùs agas, quàm vt disputanti par sit.

I. *Nigronus falsò accusatur.*

Anim. XVII. p. 154.

II. *qui modestissime sēper egit.* Nigronus quidem tantâ Religione scripsit, vt quum te illis verbis Asceticorum suboffensum opinaretur, *Castaldum falsâ opinione deceptum*; deinde in n. 59. Historica Dissertatione cauerit disertè id sine vllâ contumeliâ atque offensione dictum, eorúmque verborum innoxias notiones anxiè inuestigârit, ex illísque omnem, si qua dicto subesse auribus quantumuis delicatis videatur, offensionem amoliri conatus sit, vt minimè propter hoc dictum de testibus, inuidia criminis Religioso Sene indignissimi, maledicentiæ nimirum, illi conflanda fuerit. Alterum querelæ caput, Anim. XVII. scripsisse Nigronum, *Veritum te fuisse, ne coniunctio illa* p. 154. *cederet in opprobriū Pontificis*. Hoc scripsisse Nigronū verè tu quidē dicis; sed nō ex vero scripsisse, falsò quereris.

III. *Rursum falso accusatur Nigronus.* Annon scribis eo cap. 17. Vitæ Caietani, Pontificem spirituum generosiorum haudquaquam laturum fuisse, vt Religio in quâ condendâ tantum ipse laborum exanclauerat, detrimenti aliquid ab illa coniunctione pateretur? Et quid hoc est aliud, quàm quod â Nigrono traditur? Verùm si hoc tuum dictum esse, appellato etiam Lectorum iudicio, inficiaris, ac tibi affingi doles; quæ, rogo, tituli, quem Animaduersioni XVII. præfixisti, esse potest sententia? *Quid veritatis duo Castaldi dicta contineant, quæ Nigronus improbat.* Quæ est ista loquendi ratio? Tua & dicta, & vera esse innuis, quorum alterum vt falsitatis manifestum, tuum esse negas? Si nec tuum, nec verum est; quomodo & tuum, & verum appellas? Hoc enimverò ænigma est. Nisi fortè dicturus es, *Doctrina mea non est mea.* Illud etiam Ioan. 7. Nigrono affingitur, quasi dixerit, *Vos segnes ad labores præ solitudinis amore fuisse:* alienos ab his dixit quidem, segnes dixisse non lego. Hoc enim verbum sine aliquâ contumeliâ non dicitur; illud prius nullam omnino continet. Ibid. p. 156. Sed mittamus tricas hasce, & inutiles querimonias, & quoniam dictum tuum de coniunctione Ordinum, quamuis timidè satis, adhuc tamen Ibid. tueris, nec reuocas, rem propius videamus. p. 154.

Quæro

In vitâ Pauli IV. c. 17. p. 155.

IV. Societatis ad Theatinorum Ordinem ineundum inclinatio minimè probabiliter cõfingitur.

Quæro igitur ex te, quo auctore tradas, Iesuitas inclinâsse animum ad duorum Ordinum coniunctionem, propter persecutiones, quibus nondum adulta exercebatur Societas? Cardinalibus, inquis, duobus Vitellio, & Sirleto. Mitto; quod Sirletus nondum purpuram induerat, agebátque apud vos, Religiosâ in Cellâ ad S. Syluestri in Quirinali, ne me splendore purpuræ terreas. Quis dicentes audiuit? Quis litteris mandauit? Quem dicti testem adducis? Sed fac dixisse: pernego rem satis exploratam habuisse, quod vt faciam, & res ipsa, & Ribadeneiræ auctoritas, & antiquissimus Hispanicus manuscriptus liber, qui nostro Romano in tabulario asseruatur, persuadent. Quæro igitur, quonam tempore eam in nostris hominibus inclinationem animorum fuisse dicas: Ignatio adhuc superstite? Nequaquam, inquis: nam Ignatius eorum, quæ à Caietano audiuerat, retinentissimus semper fuit. Benè habet, quòd nihil hîc de Ignatio comminisceris; verùm illius constantiam in susceptis consiliis, non Caietani vaticinio, quod nusquam editum fuit, sed incomparabili viri sanctissimi virtuti, & Spiritui sancto, cuius ductu ab illâ aberat leuitate; debemus. Neque ego te auctorem sequar, vt caussæ parum fidum, sed Ribadeneiram, cui tu fidem amplissimam habendam esse non inficiaris, testem appellabo, illúdque conficiam, non modò hæc non cogitâsse Ignatium, sed per Lainium, qui Venetiis ad Vrbem reuerterat, de paucorum capitum, quibus vester tunc Ordo constabat, in Societatem ingressu, illatos sermones illum respuisse; non quòd virorum illorum virtutem, ac sanctimoniam eo, quo par erat loco, non haberet, sed quòd nobilis quamuis stirpis surculos, vix bene in lõgè diuersi succi arborem adoptari posse prudentissimè crederet. Ribadeneiram, inquam, testem appello, qui eâ in Epistolâ, quam ad Nigronum dedit, de hac re totâ sic disserit: *Anno quinto supra millesimum quingentesimum, & quadragesimum, Aprili mense Laynius Venetiis in vrbem reuersus,*

V. Sine certo auctore.

VI. Cõtra Ignatij constantiam.

Anim. XXV. p. 120.

VIII. Qui Theatinis admitti postulantibus non annuit.

Quæ in T[illegible] Romano extat, vt liquet ex Nigrono, num. 79. Dissert.

VIII. Quod docet Ribadeneira.

reuersus, egit cum Beato nostro Patre, me præsente (non rumusculos, opinationésque narrat, sed rem ipsam, meamque veritatem) *nomine primorum Patrum Theatinorum, qui Venetiis agebant, vt Ordinem illum in Societatem vellet admittere, & ex duobus corporibus vnum conflare, quod è re diuinæ gloriæ futurum fore videbatur. Noster Sanctus Parens, allatis in contrarium rationibus, respondit iudicare se e maiori Dei gloriâ esse, si vnaquæque Religio in eo, quod à Deo acceperat, viuendi instituto perseueraret.* Testis hic omni exceptione maior est ob vitæ probitatem, & claritudinem nominis, ac rerum gestarum, scriptorúmque gloriam, qui se interfuisse, qui se audiuisse testatur. Attamen producamus aliud incorruptæ antiquitatis monumentum, quod in Tabulario, vt aiebam, Romano asseruatur, librum scilicet Hispanicè scriptũ, & rubro, ni memoria fallit, corio tectum, in quo multa Ignatij facta, & dicta adnotabantur. Reddam bonâ fide Latinè, quæ ibi Hispanicè leguntur, nihil enim

IX. *& antiquus codex M.S.* fraudis suspicaturum te arbitror, Castalde. *Anno millesimo quingentesimo quadragesimoquinto Patres Theatini optârunt vniri Societati, & vnum corpus conflare; itaque rem per patrem Magistrum Laynium proposuerunt, ac postularunt; Verùm Pater Noster non venit in eam sententiam. Neque item voluit coniunctionem illam cum Ordine*, &c.

X. *Incredibilitas dicti Castaldiani, Laynio Generali ob Reipub. tempora.* Non igitur Ignatij tempore inclinâsse animum nostros homines ad tuum Ordinem ineundum dicis, Castalde, & ex contrario id à vestris tentatum ego signatis agens tabulis, & testibus demonstraui: Quandónam igitur id factum oportuit, quod tradis? Laynio nimirum Præposito Generali. At id rursum à vobis tunc tentatum asserit Sacchinus, Pontifice Paulo rem de more vrgente, ídque suasione Cardinalis Scoti, qui ob repulsam, Laynio iam minùs æquus, auctor exinde Paulo fuit, vt superiorum Pontificum decretis conuulsis, Generalis magistratus triennio definiretur, vt scilicet abeunte Laynio, à nouo Generali coniunctionem impetraret. Sed fefellit Scotum sua spes; ab

excessu

excessu enim Pauli rediit Societati libertas, repetiítque mores superioribus Pontificibus probatos. Sed quando Sacchinum tibi præhaberi doles, quanquam qui Sacchini religionem in scribendo nôrunt, vt nihil nisi ex antiquis, fidísque monumentis suam in historiam referret, id sine vllâ iniuriâ fieri arbitrentur, age, quid pro vtrâque dici verosimiliter potuit, videamus. Quæro ex te, an scias plerosque id temporis, qui rerum nostrarum columina erant, Hispanos genere fuisse, atque in Hispaniis tunc maximè adoleuisse Societatem? Non arbitror te ignorare, qui Historias legeris. An igitur credibile tibi videtur, tam alienis Hispanorum animis à Paulo, quem plerique omnes Ordinis vestri Fundatorem arbitrabantur, homines Hispanos, qui in Hispaniâ cæterísque Philippi regnis constituta sui Ordinis haberent domicilia, in non amicissimi Pontificis familiam immigrare voluisse? An erant adeò vecordes, vt non intelligerent id Regi minimè probatum iri? Sed quorum fuit ista inclinatio animorum? Scire hoc ex te cupio, Castalde. Non arbitror, te de gregariis loqui, quanquam enim diuinare asuetus, horum tamen iudicium, quorum cùm nulla esset in Republicâ dignitas & auctoritas, minùs ad caussam faceret, tibi diuinandum non censes. Ergo eorum, qui Rempublicam administrabant, quíque Ordinis, vel sapientiâ, vel dignitate Principes erant. Ergóne Laynius, qui, quùm abhorruerit Ignatius ab eâ coniunctione, ab ipso audiuerat, id sensit? id Salmeron? Borgia? Canisius? Quid singulos moror? tot illustres viri, quibus iam tum abundabat Societas? quíque apud vtrosque Indos, extremósque Iapones rem Christianam promouebant, Societatémque amplificabant? Societásne vestrum in Ordinem voluit immutari? Quibus hæc narras, Castalde? Edic, rogo, quot capita vestrorũ sodaliũ, tum censerentur? nó inuenies, vt plurima dicere velis, plusquã quinquaginta. Dic quibus in terris sedes haberẽt? Nõ exibis Italiâ.

XI. *& Societatis felices progressiones.*

Enumera

Enumera quot domiciliis rem Christianam procurarent: non habes plusquam duo, & semis, Venetum, Neapolitanum, & inchoatum Romæ in Quirinali. Inchoatum dixi, sequutus diligentem Historiæ vestræ conditorem Tusum, qui ob sodalium paucitatem non potuisse ad annum sexagesimum superioris seculi à vestris hominibus diuini cultus officia in eâ Ecclesiâ celebrari disertè tradit. Hic fuit per ea tempora rerum vestrarum status, non quidem pudendus viris, qui benedictionem Domini expectarent in patientiâ, & veteris Instituti, ac Fundatorum mentis memores familiam suam dilatari nollent, quod ego â te didici Castalde, sed is, inquam, status Reipublicæ vestræ non erat, qui animos Societatis ad se posset allicere. Quidni enim hoc liberè dicam, Castalde? Dei dona laudamus, cùm parentum *magnalia* prædicamus. Illáne igitur Societas, quam Ignatius hinc excedens plusquam mille auctam sociis, centum stabilem domiciliis, duodecim in Prouincias distinctam per Europam, quàm latè patet, pérque Asiæ oras vltimas, & Africæ interiores Abyssinos, in ipsàque Americá propagatam reliquit florentissimam? Illáne Societas, quæ Laynio rebus moderante, sexaginta sedibus aucta, Romæ cccxx. capita numeraret, tantâ nomen certatim profitentium celebritate, vt quamuis angustâ re familiari, ad centenos recipere sæpiùs necesse esset? Mitto claros viros per Hispaniam, Italiam, Germaniam, Indiam, Brasiliam, Iaponiam. Hósne tot, tantósque optasse vt in Ordinem pusillum numero (nam virtutum comparationem inire odiosum est, vtque omnes vestri fuerint virtutis absolutissimæ, aliquem etiam illius splendorem nostris hominibus à magno luminum Patre id temporis collatum fuisse humanissime Castalde, non negabis:) tam amplámne, inquam, Societatem in Ordinem pusillum numero intrudere se voluisse aliquis credat?

XII. *Vbique Gentium.*

XIII. At tu iam quereris, me dissimulatâ validissimâ ratione

ratione, quam huius animorum inclinationis disertè attulisti, oratorio ambitu caussam agere, & argumenti robur eludere. Quænam tandem est ista ratio, quâ te etiam Nigronum *contudisse* [a] dicis? Audiatur: *Persequutionibus exagitabatur vestra nondum adulta Societas* [b]? Fauete linguis: Hæccine caussa fuit præclarissimis viris suscepti Ordinis eierandi, atque in alterum transmigrandi? Quid illas procellas timerent, quas inter tot iam annos felicissimè nauigauerant? Annon legisti quod à Maffeio scribitur, Ignatium cœlo receptum nouos spiritus sociis afflâsse, & contractos suâ morte animos tam viuidâ spe impleuisse, vt nouo impetu capto, alacritate admirabili, cœpta promouerent? An vos sine molestiis agitabatis, in quos exacutos canum dentes didici ex Epistolâ Carafæ, cuius tu meministi? An sociis nulla euadendi spes, nisi esse desinerent? Quid durius ab omni procellarum immanitate, hostiumque acerbitate timere potuissent, quàm vt deleretur nomen eorum, quod tu tamen, ne persecutionibus vexarentur, illos facere voluisse dicis? An in vobis quadraginta, aut quinquaginta, tantum opis erat, vt vim illam tempestatum vestro superinducto nomine, tanquam adamantino aliquo clypeo, protecta Societas posset excipere? An à Paulo IV. id sperarent, quem etsi ingentium animorum virũ, suam ipsam, quam condiderat familiam, quámque in oculis, vt par erat, ferebat, ne hilum quidem promouisse videre poterant? cuius senecta iam ætas spes vetaret inchoare longas? nam & paulò pòst extinctus est. An nihil spei, siue auxiliorum cœlestium, siue humani fauoris supererat Societati, quæ & Ignatium, & Xauerium, & alios, etiam propriâ nobiles purpurâ, ex suis inter cœlites haberet? quæ Cæsaris Ferdinandi, Ioannis Lusitaniæ, Philippi Hispaniarum Regum, Alberti Bauariæ, Octauij Parmæ Ducum, totque Cardinalium ac Principum virorum gratiâ floreret? Cui tot passim Collegia fundarentur? Cui Henricus Lusitaniæ

[a] Anim. XVI. p. 38.
[b] in vitâ Pauli IV.

lib. 11. vitæ, 625.

per aduersa, & obstantia,

XIV. *contra quæ nihil in vobis humanæ opis.*

XV. *ac ne quidē in Paulo IV.*

XVI. *præsertim cum Societati nō deessent magna præsidia.*

 niæ

niæ *Infans*, ac demum Rex Eborensem conderet Academiam? Quis furor fuisset, in tanto rerum suarum nunquam interrupto cursu, atque incremento, quam à Deo ornandam acceperant, Spartam repentè abiicere, ac tot præsidia aduersùs Ecclesiæ hostes sibi tradita prodere? Quis, inquam, furor fuisset ab illis auxilium poscere, inque illorum nomen transire, quos omnes, quamuis *laicos* adnumeremus, in Duces si eligerent, vix tot erant, vt tertiam nostrorum ordinum partem ducere possent? In eum Ordinem, qui nullisdum certis constitutionibus à Pontificibus approbatis regeretur, eam migrare familiam, quæ conditis ab Ignatio legibus, & constitutionibus & non vnius tantùm Pontificis amplissimis oraculis laudata, nouâ quadam Reipublicæ formâ temperabatur? In eum Ordinem, qui priuatis litterarum studiis, si tamen studia litterarum tum domi vestræ instituta erant, nullo edito publico documento attinebatur; qui nullâ id temporis concionum celebritate floreret, Societatem transformari voluisse, quæ apertis vbique terrarum gymnasiis bonarum artium, omnium in luce gentium ac populorum versaretur? Cuius princeps Laynius, vt de aliis dissimulem, Cardinalium coronâ frequentissimâ sæpius diceret ad Concionem? Illínc Ordini, qui priuilegia amplissima, quibus nunc fruitur, per ea tempora Societatis tantùm imitatione communicata haberet? Illi Ordini, qui Monialium curam suscepisset, accedere voluisse Ignatij Societatem, qui ab illo pernecessario quidem Reipublicæ & salutari officio, sed tamen vt ab earum, quas ex Instituto profitetur, & tunc quàm maximè feruebant, Apostolicarum excursionum impedimento abhorrebat? Sed Cardinales duo dixerunt: vnus, inquam, dixit, si tamen dixit. Sed fac dixisse, aliquid hac de re, quis non videat potuisse aliquos è nostris non alienos fuisse ab eâ petitione vestrâ, quam ad Ignatium Laynius Venetiis olim detulerat? Si enim, te quidem iudice, appellatio sequitur

XVII. *Vtriusque Ordinis longè diuersa incrementa.*

quitur maiorem partem, confla nunc mihi duos Ordines Castalde, quorum vnus L X. ad summum capitibus contineatur, alter Romæ C C C. & in reliquo orbe supra C I Ɔ. censeat? A qua parte denominabis? A minori? Quî ergo Pauperum appellationem Societati detrahis; quia vt tu (falsò tamen) reris, in ea maior pars est dominij capax? A maiori? Iam igitur vestrum nomen erat delendum; vt minoris alicuius fluuij, quùm in maiorem se exonerat, magnóque nomine, sui oblitus, superbit. Sed immortales Ignatio gratias, quòd riuus hic minimus, qui ab ipso profluxit, illimis, & sui coloris aquas trahit, nec alienis crescit; nã reliqua inter impedimẽta ad hũc Ordinem ineundũ, est, vel paucis horis in aliorũ castris Religiosâ in veste, vel inter tyrones meruisse. Vidésne Castalde, quàm nullis testibus, nulla probabilitate scripseris?

Sed nimirum ne filij à Patris inconstantiâ degenerâsse viderentur, quod de Ignatio meditabaris, idem de filiis fuerat prædicendum. Nisi offensionem tuam vererer, Castalde, quid mihi de his attentius cogitanti venerit in mentem, libenter enarrarem; Quùm enim vix mihi possem persuadere tam clasis contrà testibus, tam nullâ rei probabilitate, de hac animorum Societatis inclinatione ad transmigrationem in vestrum Ordinem, iactactum fuisse, videbar mihi fabulæ caput reperisse, si dicerem; euulgatam ab aliquo è nostris arcanam Venetorum Theatinorum per Laynium factam petitionem, ægriùs quempiam è vestris tulisse, atque, vt fit, inter inficiandum fortè addidisse; quin immò illos nobis adiungi quippe antiquioribus, & Pontifice Fundatore nobilibus, par fuit; scis deinde famæ consuetudinem ac mores, quæ etiam Ignatium suâ hac fabulâ ex Veneti hospitij & amicitiæ cum Carafâ occasione inuoluit. Si hæc mea suspicio non placet, mihi perinde est; ac proinde ab hac iam fabulosissimâ fabulâ abeo. Sed tu quereris, quasi quod superiore Interrogatione de Somaschis promiseram, XVIII. *De ortu huius sermonis coniectura probalis.*

vt debitor malæ fidei malo silentij dolo dissimulem. Rectè mones, ac reprehendis.

Quæro igitur ex te, vt tibi faciam satis, quid mihi de Andreâ Stellâ sentiendum sit, qui Æmiliani vitæ lib. 3. cap. 6. nescio quid scribit, quod si verè scribit, caput illud tuum XVII. Vitæ Pauli IV. magnâ parte conuellitur; vt verendum propterea magnoperè sit, ne gemini erroris conuictum totius Historiæ fidem affligat.

XIX. *Castaldi de Congregatione Somasca dictum,* Tu quidem ais voluisse Somaschorum Congregationem vestræ adiungi. Sic enim scribis in vitâ Pauli IV. cap. 16. iam memorato: *Verùm quia Congregatio Patrum de Somascâ, vt ope peculiari nostri Carafæ fundata erat, qui Hieronymum Æmilium intimum suum ad illos miserat, ita vehementi inclinatione animorum in nostram ferebatur; eapropter sæpius institit ad illam aggregari. Paulus Papa III. ipsis, quod optabant, indulsit, &c.* Addis Paulum datis ad Carafam litteris, pro imperio iussisse, vt admitterentur. Primùm quid ais, Hieronymum à Carafâ missum ad illos Somascos? quos, rogo dicis, si ante Hieronymum nulli fuerunt Somasci? Sed alienas ego caussas non suscipio; plurimum tibi rei cum illis iam erit, si vera audio: Stella certè tuis omnino contraria scribit. Si mihi contraria, inquis, ne crede; quamuis enim acceptas à Deo reuelationes afferre se dicat, tu ne crede; illas enim ego contundam, ac falsitatis arguam; vt tuam illam Ignatianam ab Orlandino falsò traditam, quæ dictum meum subuertebat, planè difflaui. Vt libet, Castalde. Vísne tamen, vt illum audiamus; videtur enim probabiliter loqui, vt in quo reprehendi debeat, ego propterea doceri velim. *Videns*

XX. *Somascarū Historiæ contrarium.* *verò* (Episcopus Theatinus) *opus à se institutum lentu atque infirmis progressionibus procedere, venit illi in mentem optimum ad illum stabiliendum fore, si coniunctionem Congregationis de Somasca & Patrum Theatinorum procuraret; cui cogitationi vt responderet, rem tentare cœpit, obtinuitque* In vitâ Æmiliani lib. 2. cap. 6.

nuitque à Sancto Pastore. Et Carafæ quidem res ex sententiâ successit; plerique enim nostrorum, tribus votis quum se obligassent, non parum PP. Theatinorum numerum auxerunt; qui hoc modo iam validiores post excessum Pauli III. & Iulij III. Paulo IV. iam Pontifici supplicârunt, vt coniunctionem illam dissolueret, quòd diuersa essent instituta; & plerique nollent votis Professionis adstringi.

Principio quod ait Carafæ familiam lentis admodum initiis se promouisse, verissimum est; nam ad annum vsque superioris seculi L V. duobus domiciliis & semis continebatur. Deinde quod secundò affirmat, potuisse aliquid roboris ex illâ congregatione accedere, omnino verum videtur; nam plures numero erant, & viri virtutibus nobiles erant. Quare quùm in reliquis propemodum conueniatis, cui vestrum in his, quæ discordant, credere me velis, ex te quæro: edic; habebis in potestate; Stellæ? at tua labat fides. Tibi? At Stella tabulas sui Ordinis antiquas producet. Verùm hæc ideo attigi; vt qui in omnes incurris, non cum vno me rem tibi futuram scias.

XXI. *Le iordè habitu disputatio*

Anim. XVI. p.153. Sed Sommascorum ego caussam non ago; neque enim me patrono indigent, nec illis desunt disertissimi viri; neque ego, si res mea non ageretur, tecum disputarem Castalde; nam hoc ipsum contentiosius scribendi genus minimè amo. Quare quæ de re vestiariâ disputasti, pereleganter exæquans commoda & incommoda; quòd vos foris per hyemem frigeatis, nos æstate sudemus (quasi verò generis humani hæc scire valde intersit) lubens omitto.

XXII. *reycitur.*

Quæro tamen, an scias Clericalem vestem Ignatium nullâ certâ formâ (de quâ in vestris constitutionibus diligenter præscribitur) delegisse, solùm præscripsisse suis, vt modestè ac pauperum Clericorum more induerentur? Hæc qui non ignorauit, minùs æquum fuisse censeo illum scribere, vestri Ordinis imitatione nostros homines *clericalibus* vti cœpisse. Sed hæc & (In vitâ Pauli IV. c. 17.)


leuioris omnino momenti, & vix ad caussam facientia,& à Nigrono profligata, atque à te allatis sententiis exornata missa faciamus. Mihi certum est, clericos alibi fuisse,qui modestissimo cultu vterum clericorum sanctimoniam præferrent, vt Ioannem Aquilam cum tota illâ suâ Baëzana scholâ in Hispaniis.

XXII. *& quod propositum erat, conficitur.* Igitur quùm & testibus omni exceptione maioribus, & antiquis monumentis, & continuâ traditione palàm fecerim, semel iterúmque à Clericis Regularibus tentatum, vt in Societatem ab Ignatio primùm, mox à Laynio reciperentur; & contrarium, quod à Castaldo scriptum fuit, incredibili rerum repugnantiâ falsi conuincatur, nec vllis legitimis documentis probetur;reliquum est, vt eiusdem,ac Ignatianæ petitionis commentum, fidei,hoc est,nullius,ac planè fabularis habeatur, quod mihi propositum hac de Interrogatione fuerat demonstrandum.

XXIV. *Vtriusque Ordinis ad annum superioris seculi LX. progressiones.* Cæterùm quia nostro in Ordine deprimendo tam multus,Castalde, es, vt cum infra Equites etiam Ierosolymitanos abieceris, itáque agitatum olim fuisse contēdis,vt totus vestram in familiā tanquam in portum cōcedere conatus sit, cogis me ad Ordinis vtriusque progressiones singulos per annos certis capitibus comprehensas,quò omnium, quæ cùm à te,tum à me dicta,vel scripta sunt,fides sine fuco & fallaciâ constet planissimè,ad obitum vsque Pauli IV. digerendas, ac Lectoribus exhibendas,Equidem ab hisce tesseris non sine inuidiæ periculo conferēdis tum meopte ingenio, tum modestiæ, & caritatis studio semper fui alienissimus. Sed quando ad has me toties vocas, toties inuitum ac reluctantem lacessis atque compellis, tibi imputa,si minùs arriserint.Æquus certè rerum existimator durum necessitatis telum illico animaduertet, iustúmque nostri patrocinium Ordinis vel à te ipso imperatum calculo absoluet suo. Cui hoc vnum ego huiusmodi tabularū contentione cupio persuasum non fuisse

Anim. X p 86. 87.

fuiſſe res noſtræ familiæ vſque adeò, vt tu vis, acciſas, vt veſtræ coaleſcere neceſſe habuerit, aut operæpretium putarit; nihil autem penitus volo detractum, quo minus de veſtrâ quiſque, vt par eſt, quàm honorificentiſſimè ſentiat.



PROGRES

PROGRESSVS ORDINIS CLERICORVM REGVLARIVM,

Ab anno XXIV. superioris Seculi ad annum eiusdem LIX. quo mortuus est Paulus IV. ex Ioan. Baptista Tufo, Antonio Caracciolo, & Ioan. Baptista Castaldo summa fide collecti.

Anno Seculi	*Ordinis augmenta.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos, & Schismaticos*	*Ethnicos, aliósque*	*Vocationes, & mortes illustrium virorũ.*
24.	Ordo fundatur à IV. viris Caietano Thienæo, Io. Petro Carafa (olim primo) Bonifacio à Colle, Paulo Consiliario. Recipitur à Clemente VII. Prima domus ad Pincij montis radices.	Sacramentorum vsurpatio frequens in Oratorio Diuini Amoris, auctore maximè Caietano. In Nosocomiis operam nauant vtilem ægris: aures dant confitentibus, adsunt moribundis.			
25.		Sermones habent in auditorio.			Bernardinus Scotus postea Cardinalis vocatur, & alij ad XII.
26.	Carafa de solitudine aliqua incolendâ datis litteris agit cum Paulo Iustiniano Camaldulensium in Monte Corona Fundatore.				

In

ANNO SECVLI	*Ordinis augmenta:*	*Operæ fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos, & schismaticos,*	*Ethnicos, aliósque*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
27.	In Vrbis direptione vexantur à militibus, & Caietanus præcipuè à suo olim famulo. Constantissimè agunt: Venetias omnes abeũt.	Hortantur ciues ad constantiam. Garafa milites obiurgat. Lustrat Diœcesim Veronensem.			
28. 29.	Domus Venetæ initia. Priuilegia duo à Clemente VII.	Insanabiliũ Nosocomij, Caietanus, & Carafa ab illius Gubernatoribus protectores constituuntur. Benignè Caietanus fouet famelicos Venetiis.			Vocatio Ioãnis Marioni viri sancti.
30.	Euocantur Neapolim.	Carafa Venetiis in magnâ celebritate arbiter conscientiarum. Et sorori Mariæ auctor est condendi Monasterium Neapoli, & innumera pietatis munia subiisse nulli dubium, ait Castaldus p. 110. Carafa cum Episcopo Paulano Nuntio apud Venetas dissidium Reipublicæ & Archiducis Ferdinandi arbiter cõponit. Scribit de modo à Republica in beneficiis tenẽdo	Pro Græcis reuocandis à schismate laborat.		
31.					
32.	Caietanus Veronã excurrit, summâ paupertate vitam tolerat: Capituli, & Episcopi dissidia componit.				

Eo PROGRES

Anno Secvli	Ordinis augmenta,	Opera fructus apud Catholicos,	Hæreticos,	Ethnicos,	Vocationes, & mortes illustrium virorũ.
33.	Neapolim consulto atque iubente Pontifice mittitur Caietanus cum Ioãne Mariono. Negat Carafa Ioanni Baptistæ Siluatico, se Ianuæ posse sedem figere, quod Socij toto decennio ad XXI. tantùm excreuissent.				Benedictus postea Seuerus Titionus vocatur.
34.		Nosocomiis Neapoli inseruiũt: moribundis operam nauant.			Et Petrus Veronensis.
35.					
36.	Comitia Ordinis Romæ. Carafa euocatur Romam à Pontifice.		Ochinum Neapoli concionantem audit ac detegit Caietanus.		
37.					
38.	Migrant Neapoli ad S. Pauli.	Pietas & religio ad D. Pauli adeuntium.			
39.	Confirmatur iterum Ordo. Carafa fit Cardinalis.	Et concursus ibi mysteria vsurpantium.	Ochinum iam deprehensum ad Carafam Cardinalem defert Caietanus.		

PROGRESSIONES SOCIETATIS IESV AB ANNO XXXIX. QVO ROMÆ à Pontifice viuæ vocis oraculo primùm laudata eſt, ad annum vſque LIX. ſuperioris ſeculi, ex Orlandino, & Sacchino punctim adnotatæ, atque in annos ſingulos digeſtæ.

ANNO SECVLI	*Ordinis ortus, & incrementa, & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Ethnicos,*	*Vocationes, & mortes illuſtriũ virorũ.*
39.	Societas anno 1535. Pariſiis coalita, Romæ habitâ Patrum conſultatione magis ſtabilitur, & viuæ vocis oraculo à Pontifice laudatur.	Patres in valetudinariis laborant. Miſſio omnium prima Senenſis Paſchaſij. Scenici Sacerdotis mira conuerſio. Montepolitiana Stradæ, Parmẽſis Fabri, & Laynij, Biſinianẽſis Bobadillæ, Luſitanica & Indica Roderici, & Xauerij. Patres Romæ docent in Gymnaſio ſapientiæ. Concionantur ſtupente plebe Lineatos in ſuggeſtibus.			Hieronymus Domenecus, & Paulus Achilles, viri poſtea magni, Societatem ingrediuntur.

ANNO SECULI	Ordinis augmenta,	Opera fructus apud Catholicos,	Hæreticos,	Ethnicos,	Vocationes, & mortes illustriũ virorũ
40.	Caietanus fit Præpositus domus Venetæ. Et Marionus Neapolitanæ.				
41.					
42.	Feruẽs domi exercitatio virtutum. Domus Veronensis admittitur : dimittitur.		Carafa auctor præcipuus Congregationis Inquisitorum à Paulo III. fundatæ.		
43.	Caietanus Præpositus Neapoli.				

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriū virorū.*
40.	Confirmatur Societas à Paulo III. Domus Professorum Romæ.	Missio Belmōtensis Claud. Iaij Hispanica, Antonij Araozij. Xauerius cum Simone in Lusitanicâ Aulâ rē Christianā strenuè gerit. Laynius Parmæ sodalitatē excitat.	Petrus Faber in Germaniā cum Ortizio Cæsaris legato abit, & rem Catholicam tueri incipit.	Xauerius auctus potestate Nūtij Apostolici, cum duobus Sociis in Indiam soluit.	
41.	Prima Congregatio, in qua Ignatius multum reluctans fit Præpositus Generalis.	Faber in Hispaniam ex Germaniâ. In Lusitania Socij ob egregias virtutes Apostoli vocantur. Ignatius XL. continenter dies maximo ardore animi rudimenta Christianæ fidei publicè docet. Iaius Faientiæ.	Hæreticus adolescens Romæ nostrorum spectatâ virtute conuertitur. Faber Ratisbonæ laborat.	Xauerius in Mozambico hyemat, & Christum prædicat.	Moritur Ioannes Codurius Xuir, eius obitus Ignatio reuelatur. Vocatur Io. Polancus vir olim magni nominis.
42.	Inchoantur Collegia, Patauinum, Conimbricense, & domus S. Antonij Vlyssipone.	Laynius Venetiis. Araozius Barcinone magnos cient animorum motus. Exercitiis excolitur Prior Lippomanus.	Alphōsus Salmeron, & Paschasius Nuncij Apostolic in Hyberniā; Iaius & Bobadilla in Germaniā abeū. Faber reuertitur in eādem. Spiræ, & Moguntiæ rem Catholicam tuetur.	Xauerius Malindæ, & in SocotorâChristū prædicatur. Goā appellit, & ciuitatē iuuat. Anton. Criminalis in Indiā nauigat cū Nicol. Lācilloto.	
43.	Confirmatur secundò Societas ab eodem Paulo III. & amplissimis augetur priuilegiis. Parisiis Socij habitant.	Missiones Neapolitana Araozij, Fulginas Paschasij, Mutinensis Salmeronis, Lusitana Fabri. Claudius Iaius Ingolstadij Echij successor. Ignatij operâ Romæ fundantur Domus Catechumenorum, Orphanorum, Miserabiliū puellarum. Renouatur Constitutio Innocētij III. de medicis. Richard Tapes exercitiis extollitur.	Bobadilla coram Ferdinando Rege cum Lutherano disputat Viennæ. Idem rem agit Norimbergæ, Spiræ, Passauij. Faber Coloniæ rem Catholicam sustinet. Parmæ hæreticus concionator detegitur. Iaius Ratisbonæ laborat, & hæreticos allicit mansuetudine.	Xauerius in Comorino insignis & portentis Christū prædicat. Brachmanas confutat, & conuertit innumeros.	Petri Canisij Germani vocati insignis Et Cornelij Vvishauæi viri Sanct Belgæ, & C... Iuerij Menarai, iter Belgæ.

Anno Secvli	Ordinis augmenta.	Opera fructus apud Catholicos:	Hæreticos,	Ethnicos.	Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.
44.					
45.					

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
44.	Carthusiani germanitatem cum Societate instituunt. Valentinum Collegium inchoatur. Louanij Socij subsistunt. Romæ domus propria.	Laynius Brixiam, Paschasius Regium Lepidi, Araozius Conimbriam abeunt, & vbique ingentem animorum quæstum faciunt.	Iaius Ratisbonæ, Faber hæreticorum antesignanos ad disputandũ prouocat; & Coloniam in fide confirmat. Bobadilla in Cõuentu Vormatiensi. Iaius in Salisburgensi Concilio pervtilis.	Xauerius Regnum Trauancoris obit. Impetrat à Rege populis illis Euangelij recipiendi libertatem. In Comorinum Socios ducit. Concionatur ex arboribus ad infinitam multitudinem. Mansillam in Trauancorem mittit.	Ioannis Nuñij, postea Patriarchæ Abyssinorum vocatio nobilissima. Et Maximiliani Capellæ admirabilis.
45.	Collegia Barcinone, & Gandiæ traditur. Seminarium Indorum Goæ Societati traditur. Laynius Episcopatum recusat. Eiicitur è Societate ab Ignatio Gulielmus Postellus, quamuis incomparabilis litteraturæ vir. Imprimuntur exercitia.	Pinciam adeunt Araozius, & Faber; hic etiam Mantuam Carpentanorum. Laynius, & Salmeron Theologi Pontificis Tridenti. Claudius Iaius in eodem Concilio. Societas obiicit se Concilio Nationali. Simon Rodericus Principi Lusitano admouetur à Ioanne Rege. Ignatius ortum dissidium inter Põtificem, & Lusitanum Regem componit.	Laynius Bassanum ab hæresi expurgat. Et Paschasius Fauentiam, in quâ se penetrauerat Lutherana pestis. Canisius explicat Coloniæ Epistolam ad Timotheum, & hæreticos reuincit. Contra Hermanum Hæreticum Præsulem legatus Cleri adit Carolum Cæsarem.	Xauerius in Ceilano, & Meliapuræ, & Malacæ Christum prędicat, deprauatósque mores ad mirabiliter corrigit. Ceilani Proceres Goæ Catechismo à nostris imbuuntur.	Hieronymi Natalis V. C. & Ludouici Consalui à Cameiâ vocationes, & Emanuelis Sà.

ANNO SECVLI	Ordinis augmenta.	Opera fructus apud Catholicos:	Hæreticos,	Ethnicos.	Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.
46.					
47.		Carafa in Consistorio pro auctoritate Papæ perorat.			Moritur Caietanus vir Sanctus IV. vir Fundator.

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriū virorū.*
46.	Gradus Coadiutorum spiritualium & temporalium in Societate instituuntur. Prouincia Lusitaniæ constituitur. Collegium Bononiense.	Initium docendi fit Gandiæ. Missio Sicula Iacobi Lothij. Ioannes Polancus Pistorium, Pratum, Florentiam excolit. Strada Lusitaniam obit concionabundus. Prima missio Castrensis in Castris Caroli Cæsaris. Recusantur tres Episcopatus à Patribus, & obstruitur aditus honoribus. Florentiæ Polanci operâ Periclitãtium mulierum domus, & Barcinone nostrorum item operâ Orphanotrophium aperitur.	Bobadilla pro Catholicis Colloquio Ratisbonensi interest. Pro Catholicis Germanis ad Pontificẽ scribit, ab eóque redditis litteris laudatur.	Xauerius in Molucas abit: Amboinâ, Ternatem Bacacinam, Mauricam excolit. Isabellam Reginã Christo adiungit. IX. Sociorum Indica Missio. Nobilis Saracenus à Simone Roderico Regis Lusitani iussu catechismo excolitur.	Moritur Romæ Petrus Faber Xuir, clarissimus virtutum, & defensæ fidei propagatæ. que Societatis gloriâ longè celeberrimus. Vocatio Frãcisci Borgiæ, & Gasparis Barzęi & Cosmæ Turriani virorum magnorum.
47.	Liberatur Societas à curâ Sanctimonialium. Non admittit cõiunctionem Congregationis Patrũ Somaschorum Prouincia Hispaniæ. Collegia, Messanense, Cæsaraugustanum, Complutense. Ratio exercendi tyrones ab Ignatio instituitur. Prima regulalarum rudimenta. Litterarum annuarum initium.	Missiones vbique præsertim in Lusitaniâ frequentissimæ. Conciones Romæ tum in Æde propria, tum ad Virginum Collegia. Laynius Bononiæ per occasionem Concilij, & cum Otellio Perusij. Claudius Iaius Ferrariæ, Syluester Landinus in Liguribus Apuanis. Exercitia spiritualia Toleti magno cum Sacerdotũ fructu celebrantur.	Laynius in Concilio Tridentino tantâ celebritate agit, vt ei tres ad dicendum horæ attribuerentur, præter aliorum morem. Bobadilla Germaniam percurrit. Solemnẽ supplicationum morem reuocat, Apostolũ agit, vt scribit Viennensis Antistes.	Missio trium Sociorum in Congum. Xauerius reuertit è Malucis Mulacam. Angelũ primum Iaponũ omnium ibi ad Christum conuertit. Henricus Henricius in oram Piscariã mittitur vir magnis deinde rebus gestis, ærumnísque toleratis, & populorum ad Christum conuersione nobilitatus.	Vocatio perelegans Petri Tallures, & Ignatij Azebedij postea Martyris.

ANNO SECVLI	*Ordinis augmenta.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustrium virorum.*
48.					Moritur Bonifacius à Colle tertius Fundator, vir magnarum virtutum.
49.					

50.

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
48.	Approbatur à Põtifice exercitiorum libellus,& ratio. Collegia Tyburi, Salmanticæ, Bizaini inchoantur. Decernitur Academia Messanensis. Franciscus Romæus Generalis Prædicatorum Societatem suis commendat. Solitudinis amorem in suis Ignatius non probat.	Salmeron Veronæ laborat. Missiones Lusitanicæ feruent. Societas se verberantium Vlyssippone instituitur. Landinus circa Sarzanam,& Fulgini quæstum facit animorum. Iaius Ferrariæ.	Nicolaus Bobadilla summo ardore obiicit se libello *Interim* dicto. Ideó que facessere iubetur è Germaniâ.	Gaspar Barzacus in Indiã cum decẽ Sociis, & Armuziam mittitur, Cyprianus Meliapuram; Frãciscus Petrus Malacam. Xauerius Ceilani Regẽ Christo adiungit. Ioan. Nunnius,& Ludouicus Comsabus in Africã Tituanum ablegantur. Hẽricus Hẽricius primus barbarorũ Comorinensium linguâ Catechismum edit.	Ioannes Fernandius, frugiferum postea Iaponiæ nomen, recipitur.
49.	Priuilegiis nouis à Paulo III. ornatur Societas. Collegia Parisiẽ se inchoantur,& Panormitanum, mirâ nationum varietate. Valetudinarium Goanum: subleuatur diuinitus paupertas Romanæ domus. Complutensis Collegij initia.	Salmeron, Iaius, Canisius, Ingolstadij docent. Laynius in Siciliâ plurimum in vinea Domini laborat. Landini mira in Liguribus Apuanis.	Bobadilla plurimas diœceses Regni Neapolitani latentia hæresum semina elidens,cõcionabundus obit. Salmeron, Iaius, Canisius in Germaniâ docendo publicè in Academiâ Ingolstadiensi hæresi se opponunt.	Nunnius Nobrega cum quinque sociis in Brasiliam. Nicolaus Lãcillottus Conlani laborat. Antonius Gomius Regẽ Tanoris ad Christum conuertit. Nunnij Riberæ,& Io Beiræ in Molucis miri, & fructuosissimi labores. Xauerius die Assumptæ Virgini sacrâ Iaponiam tenet, & magna patrat.	Ioannes Auila V. C. discipulos ad Societatẽ hortatur, quam senio ipse inualidus amplecti non poterat. Mors Antonij Criminalis, qui primus è Sociis à Bagadis fidei hostibus interficitur.

ANNO SECVLI	*Ordinis augmenta.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
50.					
51.	Confirmantur Priuilegia Ordinis.				Moritur Petrus Veronensis recusato Episcopatu nobilis.

Anno secvli	Ordinis ortus, & incrementa, & domicilia.	Opera fructus apud Catholicos,	Hæreticos,	Ethnicos,	Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.
50.	Iulius III. confirmat Soc. Conuentus Patrum Romæ quibus Ignatius Constitutiones ostendit. Collegia inchoantur Venetiis & Armuziæ. Messanæ prima domus Prob.	Laynij Missio Classiaria in Aphricam cum Ioanne Vega; & Pactensis Frusij, & Tigitana Emmanuelis Fernandij.	Iaius Augustæ Catholicam fidem promouet. Kesselius Coloniæ,	Domus Catechumenorum passim in Indiâ. Barzeus Armuziç Iudæos, Saracenos, Ethnicos disputationibus concionibúsque ad Christum traducit. Alphonsus Blasius cum tribus Sociis in Brasiliam. In Africâ operam captiuis nauant Socij quatuor.	Cornelius Crouus Holandus Sacerdos hæreticorum hostis acerrimus vocatur ad Societatem. Moritur Stephanus Capuosaccus vir magnæ austeritatis.
51	Fundantur Collegia Romanum, Florentinum, Neapolitanum, Viennense, Methymnense, Ferrariense, Eborense, Domus Probat. Coccini Scholæ aperiuntur. Iulius Pontifex Societatem magno studio defendit. Ludouicus Granatensis eam summis laudibus ornat.	Natalis cum classe in Africam. Missio Burgensis. Borgia concionabundus Hispaniam lustrat. Consaluus Sylueria Apostolico more Lusitaniam. Salmeron primo loco, Laynius vltimò mirâ Patrum adprobatione sententiam in Concilio Tridentino dicunt. Laynius strenuè atque industriè pueros docet Catechismum.	Hæretici exploratorem mittunt, qui se in consuetudinem patrum dat, sed deprehenditur. Et libros plures per fallaciam, qui deteguntur.	Leonardus Mêdez in Brasiliâ ad S. Vincentij Aspilcueta Bayæ, Nobrega Pernambuci strenuè rem Christianam promouent. Expeditio Africana Io. Nunnij, & duorũ Soc. & Melchioris Nunnij triũmque aliorũ Indica. Rex Maldiuarũ, & Trinchnemali Princeps, sacro fõte abluuntur. Xauerius Bungi Regem adit. Bonzios doctrinâ & cõstantiâ frãgit. Ingens Iaponum cõcursus ad Christiana sacra.	Moritur Ioannes Antonius Appulus nõ sine miraculo obedientiæ, & Isidorus Bellinus mirâ in naufragio constantiâ. Vocatio Io. Baptistæ Eliani ex Hebræo ad Christum traducti, viri postea insignis, & Ioannis Carreræ Angelo suo familiarissimi.

Anno secvli	Ordinis augmenta,	Opera fructus apud Catholicos,	Hæreticos,	Ethnicos,	Vocationes, & mortes illustrium virorũ.
52.	Consecratur Neapoli Cimiterium, in quo viri nobiles, ac pij sepeliri ambiunt.				
53.		Per hæc tempora Ioannes Marionus Montem Pietatis Neapoli erigi curat.	Thomas Goduuelus in Angliam abit cum Polo Cardinali.		

ANNO SECVLI	*Ordinis ortus, & incrementa, & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Ethnicos,*	*Vocationes, & mortes illustrium virorum.*
52.	Inchoantur Collegia Eugubij, Perusij, Montis Regalis. Prouinciæ Italia & India decernuntur: Hispania in duas diuiditur. Coniunctionem Patrum Barnabitarum Ignatius non probat.	Landinus in Corsicâ planè Apostolico more laborat. Natalis Catanæ, Andreas Galuanellus in Valle Tellinâ. Collegium Germanicum operâ Ignatij in Vrbe. Sodalitas Goæ 11000. Virginum. Conuersio Sebastiani Alansonij celeberrima Messanæ. Ludouicus Consaluus, & Iacobus Miro Confessiones Ioannis Regis Lusitaniæ recusant audire, quod factum Ignatius improbat.	Canisius in Germania docendo, & concionãdo insequitur Hæreticos: dicitur ab illis Canis Austriacus.	Xauerius superatis magnis difficultatibus, Sinẽsem expeditionem aggreditur. In Brasiliâ confutantur Impostores venefici. Aboletur paulatim esus carnium humanarum. Et seminaria puerorum passim excitantur. Cosmus cum Sociis in Iaponiâ: ãgoximæ; atque Amangutij rem præclarè gerit. Supplementũ Sociorum eò mittitur.	Moritur in Sanciano Insula Xauerius Apostolus Indiarum post innumera miracula, eáq; inter xxv. mortuos vitæ redditos, & baptizata duodecies centena capitum millia. Item Claudius Iaius Xuir maximarum virtutum, & Christianæ in primis demissionis laude clarissimus. Ludouicus Mendius à barbaris interficitur. Vocatio Martini Olauij viri doctissimi, & Antonij Cordubæ recusato Cardinalatu.
53.	Iulius III. Expeditionem Hierosolymitanam Societ. decernit. Constituuntur Prouinciæ Sicula, & Brasilia. Collegium Cordubense, & Abulense; Initia Genuensis. Ludouicus Blosius V.C. Societatem magnis studiis fouet, vt etiam Bartholomæus Torres defenso exercitiorum libello.	Benedictus Palmius, & Petrus Ribadeneira in Vrbe vicatim in triuiis concionantur. Borgia Aulam Lusitanicã ad pietatem, præsertim erga B. Virginem instituit. Landinus & Gomius in Corsicâ Rempublicam strenuè gerunt. Laynius Genuæ concionatur.	Canisius Viennæ magnâ nominis celebritate docet. Episcopatũ eius vrbis recusat. Preces perpetuas & sacrificia Societati ab Ignatio indici curat pro Regionibus Septẽtrionalibus.	Secunda Missio Congema. Fructuosi Noguecæ: Bungi strenuè laboratur, & ædificatur Ecclesia. Supplementum mittitur in Brasiliã, & reliquos inter Iosephus Anchieta celeberrimæ vir sanctitatis.	Moritur Gaspar Barzæus, alter Indiarum Xauerius.

ANNO SECVLI	*Ordinis augmenta,*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Ethnicos,*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
54.	Insigni Dei prouidentiâ Patribus Neapoli annona submittitur.				
55.	Carafa fit Pontifex. Domus S. Syluestri in Quirinali inchoatur. Priuilegia Societatis IESV Ordini communicantur Goduuelus fit Episcopus Asaphensis Bernardinus Scotus fit Archiepiscopus Tranensis, Episcopus Placentinus, & Cardinalis. Ioannes Marionus Archiepiscopatum Neapolitanum recusat.		Goduuelus strenuè suam diœcesim colit.		

ANNO SECVLI	*Ordinis ortus, & incrementa, & domicilia*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Ethnicos,*	*Vocationes, & mortes illustrium virorum.*
54.	Ignatius Regulas modestiæ non sine miraculo publicat. Tertia in Hispaniis Prouincia. Borgia Cõmissarius fit: Collegia Lauretanum, Cordubense, Bibonense, Syracusanum, Nouocomense, Tornacense, Hispalense, Conchense, Granatense, Placentinum. Domus Prob. Septimacensis	Defenditur frequens vsurpatio Mysteriorum Parmæ. In Lusitaniâ feruent missiones per oppida. Neapoli & alibi Sodalitates plurimæ eriguntur.	Ioannes Nunnius fit Patriarcha Abyssinorũ, & Andreas Ouiedus, & Melchior Carneras Episcopi & successores. RenataDux Ferrariæ à Palaterio cõuertitur. Purgatur Argente Oppidum ab hæresi. Canisius iussu Ferdinandi Regis Catechismũ incredibili cum fructu edit.	Bernardus Iapon à Xauerio missus primus suæ gentis Romam venit. Congi disputationes cum Rege. Piratiningæ laborat Anchieta. In Iaponiam supplementum Sociorum.	Moritur in Corsicâ Syluester Landinus vir spiritus Apostolici. In Brasiliâ trucidantur à Barbaris Petrus Correa, & Ioannes Sosa.
55.	Marcellus Ceruinus Pontifex Societati semper, & Ignatio se perbeneuolum præbet. Collegia Pragense, & Belmontense. Martinus Oleuius Societatem scripto tuetur.	Missio Belgica Ribadeneiræ. Hispali mira socij patrant.	Canisius & natalis egregiè rem catholicam in Germaniâ promouent. Consaluus Rodericius præmittitur in Æthiopiam. Ignatius ad Imperatorẽ Æthiopiæ litteras dat.	Duodecim Socij in Indiam nauigant. Melchior Nunnius Cantonum Sinarum Vrbem primus aduehitur. Et Sinarum Sacerdotem disputando ad fugam compellit. Extruitur Bungi valetudinarium.	Ludouicus Almeida magno Iaponicæ Ecclesiæ bono Societatem ingreditur.

Anno Secvli	Ordinis augmenta.	Opera fructus apud Catholicos:	Hæreticos,	Ethnicos.	Vocationes, & mortes illustrium virorum.
56.					Andreas Auellinus vir sanctus Ordinem ingreditur.

ANNO SECVLI	*Ordinis ortus, & incrementa, & domicilia*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Ethnicos,*	*Vocationes, & mortes illustrium virorum.*
56.	Paulus IV ius attribuit Collegio Romano Doctores creandi. Prouincia Germaniæ. Expetuntur Collegia ab Aetinis, Asculanis, Anconitanis, Maceratensibus, Colliensibus, Spoletinis, Narniensibus. Inchoantur Senis, Catanæ, Barcinone, Billomi, & Monte Regij, in Galliâ Louanij. Laynius Vicarius.	Excursiones per Diœcesim Hispaliensem. Ouiedus Eborensem lustrat, & in Indiam soluit. Missiones Maluulana, Cingulana, Camertina. Salmeron in Poloniam. Prima supplicatio XL. horarum ante cineralia. Consalnus Sylueria Goæ plurimum proficit. Benedicti Palmij conciones in Vrbe celeberrimæ. Primæ Philosophicæ Theses impressæ in Indiâ.	Melchior Carnerus ad Christianos Thomæos schismate, atque hæresi infectos mittitur in Indiâ. Andreas Ouiedus Episcopus in Æthiopiam mittitur.	Ciorani Insulæ accolæ, & Tanæ Christum induunt. In Molucis L. capitū millia Christianorum à paucis Sociis coluntur. In Brasiliâ Infantium baptismus Sociorum labores consolatur.	Moritur Ignatius Fundator vir Sanctissimus. relinquit CIↃ. Socios, duodecim Prouinciis, & C domiciliis distributos. Fulget miraculis celeberrimo in funere, & alibi. Iacobus Equia à Confessionibus S. Ignatij, & Martinus Olauius, & Andreas Frusius. Basilius Auila celeberrimus Concionator. Vocatio insignis Adalberti Bausech, & Ioannis Ramirij, & Ioannis Mendozæ sciuidē mors.

Anno Seculi	*Ordinis augmenta.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ*
57.					Moritur Paulus Consiliarius IV. vir Fundator, Paulo IV. amicorum intimus, seruatâ ad extremũ vſque virginitate illuſtris. Ingreditur Ordinem Paulus Arezzus, postea Cardinalis.

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
57.	Nouus in Societate feruor animorum ab Ignatio impetratus è cœlo. Constitutiones à Cardinalibus recognitæ nulla re immutatâ probantur. Soluitur Argentæ Collegium. Laureti mira Sociis accidunt. Album defunctorum Sociorum Romæ conditur.	Laynij conciones maximo concursu celebrantur, etiam Cardinalibus. Salmeron, & Ribadeneira in Belgium. Maurici Neophyti excoluntur in Hispaniâ. Michaël Turrianus viduæ Lusitaniæ Reginæ à Confessionibus.	Canisius, & Gaudanus in Collegio Vormatiensi: contrà primum hæreticorum odia sanguinaria. Pragæ, Coloniæ, Viennæ laboratum egregiè. Bustamantius Hispali hæreticos detegit. Ouiedus per honorificè à Claudio Abassynorum Imperatore excipitur. Disputat coram eo cum Doctoribus schismaticis. Melchior Carnerus Nestorianos apud Thomæos laboribus maximis ad Ecclesiam reuocare conatur: appetitur insidiis.	Franciscus Rodericus Goæ fit Neophytorum Pater: cõuersiones Ethnicorum insignes in Indiâ Subsidium in Molucas. Conuertitur Baciani Regulus. Funai & Firandi, & Bũgi in Iaponiâ magnæ inclinationes animorum ad Christum.	Iacobi Ledesmæ viri doctissimi vocatio nobilis. Moritur Franciscus Villanoua, Sacerdos Ignatio laudatus, vir maximarũ virtutum, & Ioannes Carrera, & Bernardus Cantaber.

Anno Secvli	Ordinis augmenta,	Opera & fructus apud Catholicos,	Hæreticos,	Ethnicos,	Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.
58.	Ioannes Marionus priscæ virtutis vir reiicit oblatam à Benedicto Ferreto pecuniam.				

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustriũ virorũ.*
58.	Congregatio generalis, in qua creatur Præpositus Laynius. Paulus IV. laudat Patres. Iubet in Choro nostros canere; Pręposițus Generalis magistratum triennio definit. Italiæ Prouincia in tres diuiditur in Neapolitanam, Lõbardicam, & Hetruscam. Germania in Superiorem atque inferiorem. Collegium Foroliuiense, Nolanum, manante manna è corpore S. Felicis. Indicitur gratiarum actio pro incremento Societatis. Calatabellotæ Sedes. Ferdinandus Cæsar Societatem maximè fouet. Carolus V. Borgiam inter procuratores testãmẽti designat. Collegium Montellanum Ocaniẽse, Toletanum, Belmontanum, aliæ sedes.	Patauij sodalitas Pietatis. Palmius Venetiis multa gerit præclara. Bobadilla in Vallem Tellinam. Concursus maximi Romę ad Laynium audiendum. Sodalitas S S. Apostolorum ab eo instituitur. Hieronymus Otellus Messanæ vtilissimam operam nauat. Viennæ Collegium puerorum; Catechesis per cõpita Compluti: & Antonij Madridij conciones feruentissimæ. In Hispaniâ sæuiente peste nostri præclarè illã contactis deseruiunt. Missio Martinij, & Domeneci in Africam.	Canisius Tabernas Alsatias excolit, & Argentorati reliquias Catholicorum fouet. Lustrat Sletstadium, Colmariam Brisachum Rubeacum. A Cardinali Augustano ei abluuntur pedes. Concionatur Staurolingæ. Miræ vtilitates è Scholis in Germaniâ. Canisius in Poloniam abit, & rem Catholicam procurat. Cõstantinus hæreticus Hispali Societatem ambit, vt sibi opinionem cõciliet, deprehenditur. Episcopus Armenus hæreticus Cocim conuertitur.	Brasili barbari cicurantur: conditur pagus Sanctissimæ Trinitatis. Facatiæ in Iaponiâ construitur prima Ecclesia. Finandi Tacuximæ, Taquaquini, alibi Christiana res promouetur in Iaponiâ.	Ingrediuntur Societatẽ viri magni Franciscus Toletus, Vincentius B.unus, Ludouicus Aussellus, Regij fratres tres, Sardij quatuor, aliique · Moriuntur Andreas Galuanellus, Daniel Pacibruck, Theodorus Amstelrodamensis, viri virtutibus, & laboribus magni, Petrus Venustus Rector Bibonensis ob opus bonum trucidatur à sicario. Alphonsus Castrius à Mahometanis in Moluccis acerbissimè cruciatus interficitur; virtute ac sanctimoniâ clarus.

ANNO SECVLI	*Ordinis augmenta,*	*Opera fructus apud Catholicos,*	*Hæreticos,*	*Æthnicos,*	*Vocationes, & mortes illuſtriũ virorũ.*
59.					Moritur Paulus IV. Fundator Pontifex, & ſeueritate morum, & fidei zelo, & vitiorũ proſcriptione præclarus.

ANNO SECVLI	*Ordinis incrementa & domicilia.*	*Opera fructus apud Catholicos:*	*Hæreticos,*	*Ethnicos.*	*Vocationes, & mortes illustrium virorum.*
59.	Moritur Paulus IV. Societas suum tenet institutum, quod ille mutanetar. Agitur de creando Pontifice Laynio; fugit è Conclaui. Initia Collegij in Valle Tellina, & Monachij, Apamææ & Lucronæ, & Segobiæ, & Damani, & alibi. Henricus II. Gallorum Rex Societati fauet. Academia Eborensis Societati traditur ab Henrico Cardinali.	Ludouicus Consaluus, Sebastiano Regi præceptor datur. Collegium Romanum floret mirâ varietate nationũ, & nobilitate professorum.	Bobadilla coram hæretico Vallis Tellinæ prætore fidem ardẽtissimè profitetur, atque eum terret. Canisius Augustanis datur concionator. Ouiedus in Æthiopiâ ab Adama pessimis modis diuexatur.	Ethnici insignis conuersio Goæ, & in Ciorano noua conuersio. Missiones passim in Indiâ. Cõsaluus Sylueria Cafrariæ signa Euangelij infert: Regem Monopotapæ sacro fonte abluit cum procerum plurimis: paulò pòst martyr. Meacensis Missio in Iaponia.	Tres fratres Gaiardi mirabiliter vocantur ad Societatem, & Antonius Posseuinus. Moritur Cornelius Vishauæus, & Iuuenalis, Boterus, & AlphõsusCyprianus zeli acerrimi vir.



INTERROGATIO DECIMA QVARTA.

DE CLERICATV ET NOVIS legibus Societatis.

Ignatium Clerico Monachorum instituto, quod Theatini profitentur, allici ad eorum mores potuisse, quod Castaldus gratis sibi sumpserat, & Nigronus validis nixus rationibus negauit, minùs verosimile esse demonstratur.

I. *Clerico-Monachorum Institutum non ōnino nouū in Ecclesia videri.*



QVÆRO ex te Ioannes Baptista Castalde, an ita tuos Clerico-Monachorum primos arbitreris, vt nihil vmquam huiusmodi post illa prima Reipublicæ Christianæ tempora, in eâ visum fuisse credas? rursúmque ita, quæ Clericorum sunt, munia omnia, tuos implere, vt quasi grauissimâ acceptâ iniuriâ, si quis alios plura obire dixerit, irascendum tibi propterea sit, & non sine conuicio agendum? Non arbitror virum, qui Christianam Religiosámque moderationem profiteatur, hoc tibi sumpturum, quod cum illâ pugnare apertissimè videatur; quamobrem æquo animo ea refelli, quæ de hac re totâ in nos scripsisti, te laturum confido.

II. *Francisci Assisinatis exemplo, & Bona-*

Quæro igitur, an quidquam demum interesse credas, inter illud iter, quod Athenis Thebas, & quod Thebis Athenas instituitur? Hoc sanè videris velle, quùm Nigrono affirmanti ex Bonauentura

turâ

turâ Franciscum (quod etiam de Dominico, aliisque Mendicantium Ordinum Fundatoribus dici potuit) Ordinem instituisse, in quo Christi virtutum imitationem, contemplationem assiduam, & lucrum animarum coniungeret, proptereáque nouam omnino hanc Clerico-Monasticam viuendi formam non videri; hæc enim obiicienti Nigrono respondes Animaduers. XIV. p. 136. illos quidem Monachos fuisse Clericorum opera exercentes, vos verò Clericos Monachorum *obseruantias* sectantes. Quod quamuis aliquam præ se ferat differentiam, ea tamen in morali hominum æstimatione minima est censenda; cùm vita mixta vtramque partem ex æquo complexa, vtramque dicat in recto, vt cum scholis loquamur. Quare non erat accusandus, & grauiter castigandus Nigronus, quasi iniuriam fecisset, quùm affirmauit mixtum hoc vitæ genus, quod absolutissimæ sanctitatis est, Theologo teste, à Francisco aliisque aliquot seculis antequam Caietanus, & Carafa de illo cogitarent, fuisse in Rempublicam inuectum. *uentura pr[æ]cabatur.*

Sed quid ego Prædicatores Minorésve connumero? III.
An Canonicos Regulares Clericos esse arbitraris? *& Canonicorum Regularium.*
nouúmne vos vitæ genus ex hoc capite inuexistis in Ecclesiam, quod aliquot ante seculis Canonici inceptârant? Et queri quidem iustissimè de te Nigronus possit, quem tu ais dixisse *nihil spectabile, aut certè admiratione dignum in Ordine vestro fuisse*; quod sanè ille nusquam dixisse mihi videtur, & citari locus debuit, vt iure posset accusari. Quare de tui Ordinis laudibus eadem Animaduersione disseris, sanè quàm eloquenter, ea ego ita amplector, vt his tamen permouendum fore Ignatium minimè credam, si res coniecturis est inquirenda, quando is longè alia, & plura destinauerat, quod & fecisse videmus, & destinâsse animo mihi est longè certissimum. Adde splendorem illum virtutum maximarum, non vsque adeò latè pertinuisse, nisi nos fallit Caracciolus; qui per hæc

Anim. XIV. p. 131.

IV. *Nigronus falso accusatur.*

Anno 1533.

eadem tempora primos illos generis vestri parentes in ipsâ Vrbe Neapoli propemodũ incognitos egisse tradit, quod nõ exprobrandi causâ à me refertur; neque enim adeò sum peregrinus in rebus, quin sciam rerum maximarum lenta esse molimina, & viros sanctos ex fumo dare lucem; sed vt ostendam Nigronum à te vapulare non debuisse, quòd scripserit, non esse necesse, vt in oculos Ignatij incurreret, neque ea legentis oculos Nigroni euerberatos fuisse, vt scribis, quasi verò apud Cimmerios ipse enutritus huiusmodi lucẽ, aut etiã ad longè ampliores fines pertinentem, numquam vidisset, vt ob eam rem *amicè à te fuerit exculpandus* (sic enim loqueris) cui quantum in te est oculos exculpis. Nullam hîc ego comparationem instituo perfectionis; ne tu id ægriùs feras; sed nôsti vnumquemque in sensu suo abũdare. Fruatur vnusquisque, quam Deus duit, perfectione & sine aliorum iniuriâ, dona Dei laudet cum Augustino. Ignatium certè plura complexum animo fuisse Clericorum officia nollem negasses, nam reuinci potes. An illis ad altiorem grassatus fuerit perfectionis gradum, quæso te, vt aliorum iudicio ex fructuum, rerumque gestarum æstimatione permittamus. Plura autẽ designasse, vt verè, scias, dixisse Nigronum.

V. & de iniuriâ reprehenditur.

Anim. XIV. p. 135.

Ibid. p. 141.

VI. Apostolicorum Clericorum officia.

p. 142. Anim. XIV.

Quæro ex te, Castalde, qui à Clericorum officia puerorum institutionem disertè repellas, quòd Apostoli eam non fuerint professi; an illa tantùm Clericorum munia arbitreris, in quibus se se Apostoli exercuerunt? Tum illud quæro, an vos omnia, quæ Apostoli exercebant, ita cõplexi sitis; vt Ignatio illos imitari conãti, ita nihil reliquum ex illâ opulentissimâ Apostolicorum exemplorũ hæreditate superfuerit, vt si id facere perseueraret, in vestros illi fuerit mores transfundũ? Tum illud quæro, an Clericis eius tẽporis nihil ab Apostolis iniunctum fuisse credas, quod ipsi per se non facerent? sciásne lustralibus aquis abluendi partes Apostolos, vbi ministros habere cœperunt, non vsurpásse? Demum, an docendi pueros morem antiquis in Ecclesiâ Clericis

Anim. XIV. p.142. Clericis fuisse neges? Et quia eum nobis obiicis, vt neges Ignatium plura complexum Clericorum officia, illúmne à Clericis, an à Monachis, an à Clerico-Monachis, siue Monacho-Clericis submoueas? & habeo caussas cum admiratione quærendi, ab homine, quem de antiquitate pronuntiantem, illius scientem fuisse par fuit. Quæro enim, an Panthænum, & Heraclam Clericos fuisse putes? At hos litteras etiam humaniores docuisse Alexandriæ, qui Eusebium attentè legerit, non dubitabit. An Cassianum nobilem ludi litterarij moderatorem Martyris purpuram consequutum scias? At hic ex Baronio Episcopus fuisse creditur, & ex Germaniâ pulsus ac profugus Foro Cornelij substitisse? An Concilium Lateranense Alexand. Papa III. antiquorum Clericorum mores sciuisse credas? At eius Parte 1. cap. 18. de præceptoris vitâ & moribus cauetur, quem ne Clericum esse debere dubites, Beneficium ei conferri iubetur, vt gratis doceat. An VI. Synodum quidquam de antiquo Clericatu intellexisse tibi persuadeas? At ea cap. 5. sancit Presbyteros & Clericos per vicos, & villas scholas habere, *& si quis fidelium suos paruulos ad discendas litteras eis commendare voluerit, cum summâ eos caritate docere, neque quidquam pretij ab eis accipere.* An demum Concilium Tridentinum veteri Clericorum disciplinæ reuocandæ satis accuratè decreta condidisse credas? at seminaria institui mandat, in quibus Clerici vbique docent; & verò id voluisse Concilij Patres, Carolus Borromæus, qui eius seruantissimus fuit, exemplo docuit, eámque facem plerisque omnibus præluxit. Cur ergo scripsisti, Castalde, antiqui æui Apostolici Clericos ab hac iuuentutis institutione alienos fuisse? Et quî abstinerent Clerici ab opere longè pulcherrimo, ac Reipublicæ admodum salutari, à quo nec ipsi Monachi sibi abstinendum esse censuerunt? Non ego te arbitror ignorare, quod de venerabili Monacho, eius magnâ cum laude, scriptum reliquit Chrysostomus,

Hist. lib. 1. c. 2. & lib. 4 c. 12.

VII. *Quæ inter puerorum institutio est.*

Anim. XIV. p.142.

VIII. *Monachis etiam vsurpata.*

lib. 3. ad II. vitup. vitæ Monast.

mus, operam nimirum suam nobili puero erudiendo locâsse, cuius longè optimi exempli longè plures existere imitatores optat Antistes ille, animo ac virtute non minùs, quàm ore aureus. Recordari te æquum fuerat, Hieronymum operam suam Paulæ infantulæ verba nondum conanti erudiendæ vltrò pollicitum fuisse Lætæ. Non oblitum Basilij, qui suis in regulis officium id facere Monachos, quorum Rempublicam moresque fingebat, non indecorum duxit: Protogenis viri sanctissimi aliquam rationem habuisse, quem à Valente in exilium pulsum, apertôque ludo pueros non modò altiora, sed etiam celeri manu notas scribere docentem Thebais venerata est. Quarè quùm & Clerici, & Monachi id olim factitauerint, quid erat caussæ, cur eam curam, vt Clericatu minorem nobis obiiceres? An illud venit in mentem quod singulis per se spectatis conuenit, id verò ex vtrisque mixtum Ordinem deducere? Vix arbitror; quis enim paulò eruditiorum nesciat id olim Prædicatoribus placuisse, generalibus in comitiis? id etiam olim fecisse Canonicos Regulares. Nósne veterum Clericorum mores imitatos negabis? Certè mihi non persuadebis.

In Epistolâ 7. ad Lætâ

In Reg. B: cu 29.

Theod. Histor. lib. 4. cap. 16.

IX. *& Clericomonachis*

Castil. lib. 11. c. 70. Concili. Aquisgran. c. 135. Parif. lib. 1. c. 30.

X. *Alia Clericorū munia, quæ Societas obit.*

Quæro rursum abs te, an Euangelij lumen Idololatris inferre, ob eámque caussam ad Orbis remotissimos fines peregrinari Apostolicorum Clericorum officium putes? An ad eosdem pertinere arbitreris teneras ætates prima elementa Christianæ fidei docere? An cum Ecclesiæ perduellibus propius collato pede congredi coràm disputando, eósque librorum cùm multitudine obruere, tum robore contundere? An in Nosocomiis lãguentibus, ac morientibus adesse? quod apud vos desitum est. An vinctos in carceribus, & in triremibus adire? An in compitis & foris ad infimam plebeculam de Christiani hominis officiis verba facere? An mancipiorum vilissima capita iisdem erudire? An per vicos & castella cursando, ac diœceses obeundo ignem Domini circumferre? An, vbi Respublica

postulat,

postulat, desertissimis in regionibus Parochorum vicarias vices obire; Hæc, inquam, omnia an ad Clericos pertinere arbitreris, eâ ego de caussâ ex te quærendum arbitror, Castalde, quòd hæc illa plura sint, quæ Ignatium suis ministeriis complexum fuisse, dictum à Nigrono adeo indignè tulisti, vt in eum velis remísque incurreres; Non puto te negaturum; quod si feceris, tum vt paulò antè de puerorum institutione feci, totâ te obruam antiquitate.

XI. *Castaldus solos Theatinos in Ecclesia Dei absolutos Clericos esse docet:*

Quæro rursum abs te, Ioannes Baptista Castalde, an nullos omnino Clericos in Ecclesiâ esse arbitreris, præter tuos; hoc enim ex tuis dictis euidentissimè conficitur, ac, ne me calumniatorem dicas, Nónne adducto Hieronymi loco de non possidendo auro, argentóve, statim addis: *Hæc autem copiosè qui possident, parum Clericorum munia ex ipso nomine sibi adaptare posse declarant.* Hæc tua est, Philosophia. Iam ergo Ecclesia Clericos non habet, perijtque hierarchicus ille ordo admirabilis; nam omnes plerique Clerici, & presbyteri aurum & argentum & possessiones habent? Et verò si non habeant, neque ab Ecclesiâ alantur, sacris initiari non possunt. Quid hîc dicis Castalde? vide, quò te nostra carpendi impetus extulerit. Vereor ne illorum fines doctrinâ perstrinxeris, quorum nomen & gesta, sat scio, abominaris.

Anim. XIV. n. 143.

XII. *Non sine Ecclesiæ iniuria.*

An Somaschos, Barnabitas, Oratorij Patres, quos Philippus Nerius instituit, Oblatósque, quorum Carolus Borromæus auctor fuit, quos ego omnes honoris caussâ nomino, vt alios dissimulem, qui aurum habent, & argentum habent, & possessiones siue publicè siue priuatim; ánne, inquam, istos omnes, vt nobis ægrè facias, Clericatu moturus es? Qui igitur tibi Clerici sunt, si hi non sunt? Sed illa rursum admirabilis doctrina est: Nos minùs Clericos esse, quoniam mendicamus, quod tu à Clericatu submoues; de cuius sententiæ inconcinnitate mox videro. Interim ex tuis dictis colligo, nullos in Ecclesiâ Dei Clericos esse, præter

Ibid.

ter vos, aut possessiones habent, aut stipe viuunt emẽdicatâ. Horum alterutrum qui faciat, is tibi Clericus non est. Annon igitur, ex Logicorum legibus, rectè conficitur, Clericos præter vos nullos tibi esse? Nec diffiteris; ais enim, vobis; *Qui verè, & propriissimè omnibúsque numeris absoluti Clerici* estis; *illud* mendicare *iniungere noluisse Patres vestros altiora petentes.* Ergo vos soli propriissimè, atque absolutissimè Clerici? Quid morantur Christianæ vtriusque Orbis Ecclesiæ, quin ad se vos rapiant, ne sine vobis, qui propriissimè & absolutissimè Clerici estis, tamdiu sint? An antequàm vestra oriretur familia, sine propriissimis, atque absolutissimis Clericis fuit Ecclesia Dei? Quid tibi verborum excidit, Castalde? Cæterùm non tu es nescius, de quibus Clericis loquantur Doctores, cùm eos mendicare non debere docent, & res adeò est aperta, vt mirer vehementer, quid tibi venerit in mentem illius canonis meminisse. Vidésne, per nostrum latus omnium mendicantium Sacerdotum iugulum te petere? Vidésne te illam familiam à Clericatu absoluto submouere, quam Summus Pontifex Paulus III. amplissimis decretis Presbyterorum appellat, atque à se erectam amoris ergò gloriatur? quã Concilium Tridentinum apertissimè Clericorum esse dicit? Miseret me, tui Castalde, qui hæc senseris. Pergamus.

Anim. XV p. 143.

Apostoli in Odæum non conueniebãt ad cantum.

Quæro ex te, an Clericorum esse ita officium putes in Odæum conuenire, vt qui in illud non conueniunt, Clerici tibi non sint? Negas? At id disertissimè doces: *Clerici, qui de sorte Domini sunt, & pars illorum Dominus, Odæũ frequentãt: vnde S. Bonauentura, &c.* Ais? Ergo quicumque in Odæum non conueniunt, vel omnino Clerici, vel certè ex illo perfectissimorum, atque absolutissimorum genere, ex quo vos sati estis, non sunt. Rogo te, Castalde, vt me doceas, quodnam in Odæum ad canendum Christo Deo laudes, conuenerint Apostoli, quos de sorte Domini fuisse te minimè inficiaturum haud dubito. Ego enim ignorare me fateor.

Anim. XIV p. 143.

Quod

Quod si nusquam in Odæo cantârunt, quidni ego eâdem, quâ tu paulò ante ad deterendam puerorum institutionem vtebaris ratione, pariter vtar; neque enim peiori iure me tecum agere par est. Si igitur dicam: *Nos Clerici Societatis* IESV *in Odæo non canimus Apostolorum exemplo, quos primos Clericos regulares his vacâsse non legimus.* Tibi quidem validissimè nostri Clericalis moris rationem reddidero, aliis forsitan aliquid ampliùs dicturus ad profligandam hanc tuam, toties ab inimicis, aut parum æquis amicis repetitam contra nos accusationem. Quamquam verò in eâ refellendâ, egregiè versatus sit Magnus Suarius, nihilominus hîc ego vnum aut alterum ex te quæram.

tom. 4 de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 8 n. 3.

XIV. *Nec debent nobilioribus occupati.*

Quæro igitur primò, quum duplex sit Clericatus exercitatio officiumve, alterum circa Christi Domini corpus verum, in sacrificio: alterum circa eiusdem mystica membra; Psalmodiam ad quod horum duorum reris pertinere? Ad secundum, opinor, vt homines cantu ad deuotionem prouocent. Optimè: at nónne docet Theologus, *Nobiliorem modum esse prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantũ: & ideo Diaconi, & Presbyteri, quibus cõpetit per Prædicationem, & Doctrinam animas hominum prouocare in Deum, non debent cãtibus insistere, ne per hoc à maioribus retrahantur.* Quam sententiam olim dixerat Magnus Gregorius, in Concilio Episcoporum Romæ, questus Diaconos, & Prælatos, qui Prædicationi & Doctrinæ operam dare debent, cantu attineri, quod Subdiaconorum est, quibus nec prædicatio, nec doctrina competit. Quî ergo dicis, cantum in choro summæ perfectionis indicium esse, quam profectò in Presbyteris & Diaconis maiorẽ agnosces, quàm in Subdiaconis, quos Psalmodiæ, vt leuioris operæ negotio, operã dare voluit Gregorius, primos illos ad altiora deposcẽs? Hæc, quæ adeò abstrusa nõ sũt, putásne ignorasse Ignatiũ, quum suã familiã legibus tẽperaret? ignorâsse Põtifices, quum

2. 2. q. 91 a. 1. ad 3.

lib. 4. Reg. c. 88.

Anim. XIII. p. 114.

XV. *quod gnarum Ignatio.* eas amplissimè laudatas sciuerunt? Ignorâsse Tridentinos Patres, qui non acerbâ cum ironiâ,quæ tibi non semel tantùm placuit, sed verissimâ atque amplissimâ cum laude *laudabile nostrum institutum* & Clericorum esse dixerunt? At Bonauentura Cantum dixit, esse Clericorum. Audio: sed interrogo, te, Castalde, an non rectissimè dicere quis possit, Auium esse canere? Ideóne Aquilas aues esse negabis, aut Psittacos? suadebísne illis, vt fulmina omittant? his, ne humanum imitentur sermonem, vt cum Lusciniis & Carduelibus, Chalandrîsque cantillent? vt horum cantu resonant syluæ,sic illarum fulminibus terrentur homines, & sermonem iidem admirantur. Clangor quasi tubarum, non Lusciniæ modulatio Aquilas decet. Perge porrò. Anim. XIV. p.142. 143. Alphab. Relig.

XVI. *Cantus olim plebi etiã communis.* Quæro etiam, Castalde, an proprium Clericorum cantum putes, & quo id modo putes? Mihi enim exploratum est,id etiam Christianis omnibus adeò conuenire, vt habitos ab illis cœtus antelucanos ad canendum Christo Deo commemoret Plinius secundus.Neque tamen negauerim ex Psalmodiâ splendorem existere, qui tamen si aliunde maior habeatur, quid iam queri possis, non video. Doleo equidem

XVII. *Error illitus margini Zachariæ Bouerij viri Clar.* Zachariæ Bouerij viri religiosissimi ac sapientissimi Annalibus ab aliquo Saperdâ, ac, planè dixerim, temerario illitum fuisse in margine dictum falsum, & inficetum his verbis: *Rel gio sine choro imperfecta Religio.* Huic tu Castalde, imperare potes,vt sapere aliquando discat, lectionem Theologi 2.2.quæst. 188. art.7.ad 1. qui eum,téque vnà,si cum eo sentis, luculenter dedocebit. Annal. to.n.1. Anno 1569. n.11.

XVIII. *& Castaldi de Psalmodiâ ab Ignatio imperatâ.* Non omittam hîc te admonere: nusquam Ignatium nobis Psalmodiam imperâsse,quod tu tamen disertè tradis pro egregiâ tuâ scientiâ rerum nostrarum; permisit quidem, vt vesperæ detinendæ concioni canerentur voce assâ & nihil molle sonante, idque, arbitror, antequam Paulus IV. quæ ab aliis Anim. XIV. p.142.

Pontificibus

Pontificibus ſcita fuerant, immutaret; quæ tamen ab eius exceſſu priſtinum in locum ſunt reſtituta. Pergamus.

Anim. XIV p. 143. 144. Quæro abs te ſecundo loco, an minus nos clericos eſſe clames, quòd ſacris in quibuſdam ritibus paulum ab aliis abeamus? Vos, qui propriiſſimè, qui abſolutiſſimè Clerici eſtis, nihílne omnino, nihil proprij moris habetis? Rogo te, Caſtalde, Romanus Clerus vbique terrarum, quot pallis vtitur in Sacrificio? vnâ opinor; vos vtimini duabus; ideo forſan abſolutiſſimi Clerici eſtis. Romani Clerici cum in ſolemni myſteriorum celebritate ſacerdotibus miniſtrantes confeſſionem publicam faciunt, nonne ponè genuflexi ſe continent? vos ad latera diſceditis obuerſâ inuicem fronte Cherubinorum inſtar. An non Sacerdotes ac miniſtri Romani Cleri in ſolemnioribus Miſſis ſedent, vos diſertè cauetis in Conſtitutionibus, ne id fiat. Non hoc ego reprehendo, neque ſi quid aliud huiuſmodi eſt in ſtatione ac ſeſſione Pſallentium in Odæo; habent enim rationes ſuas: ſed ideo commemoraui, vt intelligas, ſi quid à nobis vſurpatur peculiaris moris, hoc totum ad clericatus abſolutionem parum facere. Prædicatores, aliíque plerique proprio ritu myſteria peragunt, quæ Clericorum ſunt, & nemo illos accuſat, cur nobis id vitio vertitur? XIX. *Vana eiuſdem de ritibus accuſatio.*

Sed age, quæro, Caſtalde, abs te, Mediolani putáſne Clericos eſſe? vt longiùs progrediar, Græcanicam, Chaldaicam, reliquaſque ad Orientem ſolem Eccleſias putáſne Clericos habere? At vnaquæque gens ſuos ſequitur mores. Age, in ipsâ Europa, quæ omnis penè Romano ritu facit, nihílne putas inter Germanos Hiſpanóſque Clericos in iis, quæ nobis obiicis, intereſſe? Sed cur id tu improbes, quod tantâ celebritate in Vrbe fit, nec improbatur? ſcilicet quia plerique in funeribus noſtrorum albati non procedimus, perfectiſſimo atque abſolutiſſimo Clericatu mouendi ſumus. En crimen, en cauſam, cur id Caſtaldo vi- Ibid.

deatur. Sed bene habet. Censorem te non habemus, accusatorem non metuimus: quamquam quid ego hæc disputo, quasi verò vbi his ritibus ad Catholicæ fidei maiestatem retinendam, atque augendam opus est, nos cuiquam illorum vsurpatione concedamus? Testem appello Septentrionem, sed ea mundi plaga tibi nimiùm friget. Mihi igitur credes, vir humanissime.

XX. *Quæ noui moris ex antiquo attulerit Ignatius.* Quæro ex te, an nihil noui, quod paupertati stipem non poscenti operæ vel pretio vel dignitate æquari possit ab Ignatio aut inuectum, aut ex antiquitate reuocatum fuisse credas? Nihil omnino dices, ne his, quæ Animad. totâ XV magnificè de illâ prædicas, contradicere videaris. Placétne igitur Castalde, hoc per collationem vrgere? sic opinor. Age: ego ordiar.

XXI. *in missionibus Apostolicis.* Ignatius nouam Legionem Christi Vicario ad longinquas quantumuis & periculosissimas expeditiones; vel apud Barbaras, immanésque gentes Euangelij caussâ eius nutu, nullo petito viatico suscipiendas expeditissimam primus instituit. Tu dices: At hoc nihil est ad nostra; Nos non mendicamus.

XXII. *in Reipub. varijs Ordinibus.* Ignatius familiam suam omnem plures in ordines diuisit, in Professos quatuor & trium votorum, in Coadiutores spirituales, in Scholasticos approbatos, in Coadiutores domesticorum operum: tyrones ipsos in indifferentes, eósque, quos vel Scholasticis vel Coadiutoribus certè adscribendos admittit Societas. Hui, quàm leuia commemoras! Nos non mendicamus.

XXIII. *in dilatione professionis & dimissione.* Ignatius ad solemnem Professionem suos non nisi post absoluta litterarum studia, diutissimóque experimento & tertiæ probationis integro anno recoctos admittit, & quos visum fuerit è Republica, votis solutos suas sibi res habere iubet. Hoccine tu aliquid putas? Nos non mendicamus.

XXIV. *in ratione paupertatis, ex antiquitate repetita.* Ignatius suis ante professionem, aut publica emissa vota, si opus sit, rerum suarum dominium permittit,

mittit, vsum vel vnius quadrantis seuerè interdicit, quod ex antiquissimâ & multis seculis desitâ Monachorum disciplinâ repetitum cum religiosâ paupertate bellissimè congruere, nefas est dubitare. Hoc totum enimuerò susdeque habendum est; nos non mendicamus.

XXV. *in Academiis, Gymnasiis.* Ignatius toto terrarum orbe Academias instituit, Gymnasia gratis aperuit, alendæ atque educandæ in seminariis, atque Collegiis adolescentiæ, siue in Cleri supplementum, siue in ciuium ornamentum, molestissimam curam suscepit. Hoc enimuerò puerile est atque pædagogicum: Nos non mendicamus.

XXVI. *in experimentis Tyronum.* Ignatius suos tyrones peregrinationibus & Nosocomiis, aliisque integro biennio duris exercuit experimentis. Vah quàm friuola hæc sunt! Nos non mendicamus. Ignatius suos dignitatibus quibuscumque petendis, ambiendis, admittẽdis, voto absterruit, eodémque ad ambientium indicium peragendum obstrinxit. At nos hæc flocci facimus; non enim mendicamus.

XXVII. *in tradendis rudimentis Fidei.* Ignatius Christianæ fidei rudimenta pueris tradendi curam, quod id temporis ex instituto cuiusquam familiæ nusquam fiebat, primus in se suósque etiam voti religione interpositâ suscepit. Quasi verò hoc aliquid Reipublicæ intersit. Nos non mendicamus.

XXVIII. *in longe absolutissimâ obedientiâ.* Ignatius suorum obedientiam, dummodò diuinis legibus non aduersentur imperia, nullis finibus voluit esse descriptam, quæ quidem amplissima laudatio, vt aliquid noui habeat (nam si nihil addatur, eam sequutus est Franciscus Regul. cap. 10. aliique) efficient, quæ de absolutissimâ obedientiâ, quam superioribus, nullo cuiusquam ætatis, aut munerum gestorum priuilegio, præstamus, & quam Romano Pontifici vouemus, præscripsit Ignatius, quæ notiora sunt quàm vt sæpius repetere habeam necesse. Sit ita, quãdo vis, nihil agis; nos enim non mendicamus. Ignatius suis nullum certũ vestis genus præfiniuit, modestiâ, & paupertate magi-

XXIX. *In vestibus.* stris vti iussit, atque Clericorum vestes pro regionum

more induere. Iam nunc nugaris. Nos non mendicamus.

Siccíne omnem ludo operam? Sanè pœnitet nunc me de his Nouitatibus disputâsse: nam omnes tu Castalde, hac vnâ voce elisisti. Nos non mendicamus. Sic enim ais: *Vna legum nostrarum nouitas, summa nempe pauperies, quæ mendicatum explodit* (rem scilicet contumeliâ dignam, quæ est vis verbi *explodo* apud Latinos) *cuncta noua præcedit.* Quod sanè vereor, vt verbo persuadeas. XXX.

Anim. XV p. 147. Valla l. 5.

Quæ omnia Castaldus paupertate non mendicante frustra eleuat.

Illud quoque, priusquàm de Nouitatibus finiamus, mihi ex te quærendum est, Castalde, quo iure Contradictionis dicam Nigrono scribas, quod Nouitates appellet, quas tamen ab antiquitate manasse tradis? Hæccine tu bonâ fide recitas? Cur eiusdem parenthesim (*vt ita more vulgi dicam*) dissimulas? Silicet si recitata fuisset, nullâ specie contradictio infucari poterat; & tibi sine illâ, *Pauca verba magnam obuoluunt contradictionem.* Cordatior erat Nigronus, quàm vt ista non videret. Sed quæ olim vsitata paulatimque longo æuo exoleta reuocantur in mores, ea noua esse vulgò dicimus. Nec tu religiosior es in loquendo, qui tui Ordinis nouitates eodem iure defendas. XXXI.

Cõtradictio Nigrono per calumniam impacta, depellitur.

Anim. XV p. 145.

Anim. XIV. p. 132.133.

Igitur, vt locum hunc absoluam, Cùm plura omnino noua ad suæ Reipublicæ constitutionem, atque administrationem, & Christianæ rei vtilitatem, omnia propemodum Clericorum munera cogitatione olim complexus Ignatius, opere demum expleuerit, non erat, quod à proposito, quod & longâ plurium annorum meditatione instructus, & diuino lumine illustratus susceperat, aliorum cœptis præclaris quidem, sed ad destinata minùs facientibus, auerteretur: Quod verosimile fuisse falsò à Castaldo dictum, verissimè à Nigrono negatum, hac interrogatione mihi fuerat demonstrandum. XXXII.

Cõclusio dictorum.

INTER



INTERROGATIO DECIMAQVINTA,

DE ACTIONE, ATQVE contemplatione Clericorum Regularium.

His allici Ignatium potuisse verosimile non videri, quod à Nigrono assertum, indignissimè tulit Castalaus.

I. *Falsò à Castaldo accusatur Nigronus, vt hostis Clericorũ Regularium.*

p.114.



QVÆRO ex te, Castalde, cur adeò passis velis in Nigronum inueharis Anim. XII. quasi voluerit *Funditus, omni conatu attere-re, & penitus annihilare, si posset ea, quæ à maioribus vestris, etiam in ipso Religionis exordio, ad Dei gloriam, ad Fidei Orthodoxæ propagationem & defensionem, & proximos in spiritualia prouehendos præclarè sunt gesta.* Huius tam nefarij conatus iniustissimè Nigronum accusas, quòd id facere tentauerit in suâ Dissertatione, in quâ tamen illius nullum deprehenditur vestigium. Quid enim dixit aliquando Nigronus, ex quo id iure conficias? An quia non eum, qui nunc est, fuisse vestrorum ministeriorum splendorem, ac celebritatem dixit? An quia vos ab effusâ illâ lucrandorum animorum, latéque ad omnes gentes pertinente cupiditate abfuisse dixit? An quia vos solitudinis tunc amantiores fuisse, quàm cum Ignatij conueniret ardentissimâ in Deum hominésque charitate dixit: Sic enim loque-ris Animad. XIX. *Nostrorum priscorum Patrum solitudi-*

II. *Nam verissimè de primerum Patrum solitudinis amore disputauit.*

p.161.

nem, atque è mundo secessum nimiùm, quàm debuisset, multis in primis amplificat, & præter nomen, quæ Eremitarum sunt, tribuens illis omnia. Fateor de primorum Patrum solitudinis amore aliqua disputâsse Nigronum, sed iniuriam fecisse pernego; nam potuit etiam sine vllâ contumeliâ, *Eremitas Sancti Nicolai* vocare, quod Venetiis factum reliqua inter maiorum tuorum decora memini à te recenseri. Sed ea Nigronus appellatione abstinuit, & quæ dixit, verissimè dixit Principio in eo diplomate, quo erectus, & confirmatus Ordo est à Clemente

III. *qui probatur literis Clementis* VII

VII. nihil de animorum salute procurandâ ab illis primis IV. viris cogitatum legimus quod tamen si vestro instituto id intimum esset, dissimulatum non oportuit; nam morem obtinuisse videmus, vt quæ præcipua sunt instituti, ea *Bullis* confirmationis inserantur. Apud Tufum c. 4. p. 21.

Mitto de nostrâ Societate dicere; nam eam adeo paruipendis, vt eius exemplo nihil mouendus sis. In confirmatione aliorum magnorum Ordinum res est manifesta. Deinde quæso te, Castalde, per fidem tuam, an non Neapoli Caietanus ipse ignotus propemodum agebat; quod Caracciolo [a] dictum tu quidem nolles, [b] sed iam reuocari non potest? Nónne tu ipse ais; [c] cum Neapoli nihil per æstatem habuisse, quod ageret? Sed quid hæc, quæ quomodocumque eleuare conaberis, ego consector? Profectio illa Neapolitana, quæ primis illis Patribus adeò longinqua, difficilis & formidolosa visa est, vt inconsulto Apostolicæ sedis oraculo illis suscipienda non videretur; Spiritus ille sanctæ quidem demissionis, sed non adeò erectus, aut Apostolici plenus vigoris, quo verebantur, vt concitatæ de se vnicâ in Vrbe expectationi respondere possent, videtúrne tibi satis excusare Nigronum, si ab eâ, quam nunc profitemini animarum lucrandarum procuratione, maiores vestros abfuisse dixit?

a p. 123. b Anim. XXII. p. 78. c In Epistol. §. 8. Apud eundem Tufum inibi de quo supra Interrog. 7. §. 8.

IV. *Et prima Neapolitanâ profectione.*

Profectò si eo fine Ordo fuisset institutus, vt Regiones peragraret, Euangelij lumen circumferendo,

&

& gladio verbi Dei monstra perimendo peccatorum, opus non erat, de vnâ Neapolitanâ, nec longinquâ (nam Venetiis eundum erat) nec difficili missione Vicarium Christi tantâ trepidatione consulere. Nec tam timidus, atque tentabundus etiam post Pontificis imperium in caussam descendisset Carafa. Nam Caietanum, Thienæum, & Ioannem Marinotrium, inquit Caracciolus, Neapolim misit non adhuc certus illic domicilij firmè figendi, sed vt aliquantisper experiretur, an res succederet, atque vt istis eò missis, & patriæ desiderio, & Summi Pontificis placito aliqua ratione satisfieret. Dominicus vt Ordinem suum Christi Vicario probauit, illico suos Epistolis Pauli instructos, & plerosque multâ potiùs charitate, quàm eruditione validos, prædicationis faces vitiorum spinis quaquauersum illaturos, immisit. Franciscus, vt ab eodem oraculo suæ item familiæ adprobationem abstulit, nihil cunctatus, Fratres in omnes terrarum fines prædicaturos pœnitentiam dimisit; quid enim cunctarentur id agere, ad quod fuerant vocati? De antiquis constitutionibus, quas in Tabulario asseruari tradis, nihil habeo quod dicam; quo enim tempore conditæ sint, non addis, & nos de moribus Ordinis nascentis disputamus. Eas tamen minimè placuisse argumēto est, quòd quæ *de seruiendo gratis altari*, illæ sanciunt, abolita esse palàm est; nam & Missarum causâ eleemosynas accipere adeò non à vestris moribus abhorret, vt acceptæ pecuniæ tabulas conficiatis; quarum plusculas Mediolani habemus. Imò Constitutionum editarum parte 2. cap. 1. sic lego: *De Altari & Euangelio nos Clericos viuere oportet.* Quam Apostoli legem vos puto interpretari, ex lib. 3. *Decretal. De Præbend. cap. Cum secundum.*

Ibid.

Anim. XII. p. 103.

Ibid.

V. *Mutatum aliquid ex primis Constitutionibus, quæ abdita latent in tabulario Neapolitano.*

Præterea cùm illæ lateant, quid de illis scire potuit Nigronus? Sed latet etiam, quî bono publico prodiret in lucem Petri Veronensis liber, ab eo in laudem vitæ contemplatiuæ multâ eruditione conscriptus, vt eam doceret actiuæ anteferendam, séque ab illorum accu-

VI. *vt etiam liber Petri Veronensis de suscepta solitudinis laude.*

Tufus c. 14. Hist. p. 37.

ſationibus tueretur, qui hominem curionem quod relictâ eâ vigiliâ, quæ illi non ſine animarum lucro, fuerat demandata, nouum vitæ genus ſuſcepiſſet, ineptè quidem, ſed tamen reprehendebant, argumento non leui eam tunc primorum Patrum viuendi rationem fuiſſe, quæ plurimum ſolitariæ haberet contemplationis. Huius viri certè à te mentio alieniſſimo tibi loco fit, quum præclara maiorum geſta pro ſalute proximorum componis. Anim. XII. p. 113.

VII. *Celebritas Concionatorum à Toloſa exorta.*

Quæro iterum ex te, Caſtalde, ante Pontanos, & Paulum Toloſam virum clariſſimæ eloquentiæ, quem veſtrum concionatorum nouerant Italiæ vrbes? fuiſſe non neminem, qui verbum Dei pedeſtri ſermone in auditoriis aliquando traderet, ego non dubito; ſed de concionũ celebritate interrogo. Sanè Caracciolus frigidiſſimè loquitur apud te ipſum. *Accepimus etiam eos non rarò habuiſſe ſermonem ad populum; Carafam præcipuè, & Thienæum*, &c. Age rurſum, quas expeditiones ſuſceperunt Principes Ordinis, non te extra Italiam traho, ſed in hac ipsâ Italiâ. Anim. XII p. 106.

VIII. *Carafæ geſta ſolitudinis amorem non excludunt,*

Affers tu quidem Carafæ geſta præclara, ſed illis, quod agis, non conficis. Nónne Bernardus publicâ in Eccleſiæ cauſsâ alieniſſimis illis temporibus, in quæ incidit illius virtus, aliquanto plura, & maiora patrauit? Efficiéſne ex illorum commemoratione Bernardi familiam à ſolitudine atque contemplatione fuiſse ſemotam. Ibid.

IX. *à qua ſemper alienus Ignatius.*

Addis & aliorum virorum illuſtrium nomina; quorum ego & virtutem amo, & claritudinem ſuſpicio; verùm non adeò in ſole atque arenâ verſabantur, vt Ignatium ea ratio poſset allicere. An non idem tu Caſtalde, *Solitudinis amore eum illectum ſcribis?* quod deinde verbum vt emollias, minùs enim ad rem iam faciebat, in hoc Pacifico Certamine aut acerbiſſimè, quamuis clancularíis maledictis, in nos inueheris, aut Ignatium animarum quæſtui cum ſuo illo heroũ manipulo deuotum caput, ſolitudinis amantiſſimũ fingis Epiſt. 5.18. Præſertim Anim. XII.

tum

tum maximè, cùm deliberatâ Euangelij prædicatione, minacia eiusdem signa in sæuissimos Ecclesiæ hostes, Turcas ipsos, inferre meditabatur.

Verùm, quam viuendi rationem Principes vestri Ordinis per ea tempora maximè probauerint, antequam pluribus palàm faciam, dabis mihi veniam, si te laudationis impetu abreptum aliquid scripsisse dixero, quod, si tertiò Certamen tuum reuideris, atque euulgaueris, planè tibi sit inducendum; Neque enim eadem est Dei Ecclesiæ, ac Societatis nostræ ratio; in hanc enim incurrere fortè sine scelere licet; de illâ quidquam minùs commodè dicere, non licet. Ordinis tui decora vt amplifices, Ecclesiæ aliquid minùs decorum dicis, quod te, qui totus es in Animaduersionibus, non animaduertisse, mirum possit videri. Cùm enim nauatam rei Catholicæ à Carafâ operam amplificandam tibi sumpsisses, sic ordiris: *In toto Orbe irrepserat teterrimus error ex Auerni imis consurgens, Orthodoxæ Fidei veritatem de Iustificatione obumbrans, & inficiens. Fœdauerat plurimos, maculauerat vniuersos, ipsa quoque præcipua capita Sacerdotum inuaserat.* Itáne verò? Nihil in Ecclesiâ non maculatum? Quomodo ergo illa sine maculâ? Qui vniuersos dicit, neminem excludit, omnes igitur hæreticis tum maculis aspersi? Quis hoc vel in ipsâ Germaniâ ferat, ex quâ prima tanti mali labes erupit? Quot ibi erant, qui pro Ecclesiâ, & veritate stabant? At tu de toto loqueris Orbe. Hoccine audiat Lusitania? hoccine Gallia? hoccine Hispania? hoccine Italia, in quâ Deus sedem, ac principatum Religionis collocauit? Queri de te potest orbis terrarum; neque Carafæ virtus ampullosis hisce ornanda est amplificationibus; satis enim simplici veritate collucet.

X. *Cæstaldi dictum Ecclesiæ minùs honorificũ.*

Anim. XII. p. 109.

Sed quando Carafæ meminimus, quid ille de Ordine à se condito senserit, audiamus. Tu quidem ex illius Epistolâ ad Mariam sororem, quam ego non vidi, nescio quid affers in rem tuam; ego ex illâ, quam

XI. *Carafæ sensus de soli- litudine suorum in Epistola ad Caietanum.*

Anim. IX. p. 76.

 suis

ſuis in Collectaneis vulgauit Caracciolus, cur contra ſentiam manifeſtè habeo; Cùm enim ſcripſiſſet ad illum Neapoli Caietanus : *Noſtros opportunum quidem contemplationi nactos eſſe locum : mitteret igitur quàm primùm alios quibuſcum vnà poſſent Religionis officia obire, &c.* Reſpondit Carafa his verbis: *Summopere placere teſtamur* (locum illum ſolitarium) *atque vtinam Dominus IESVS ſic ſibi cohærere faciat, vt mundus nos vixiſſe non ſentiat.* Hoc, quamuis ſanctiſſimum votum ſit, eius tamen eſſe non potuit, qui Apoſtolico viuendi more populis vellet opitulari. Quid enim tam diuerſum ab Apoſtolicâ luce, quàm latère, atque ignorari? Quomodo ſi hoc Apoſtoli ſequuti fuiſſent, *in omnem terram exire potuiſſet ſonus eorum?* Quomodo *non fuiſſent loquelæ, neque ſermones, quorum non auditæ eſſent voces eorum?* Quomodo non ſub modio fuiſſet illorum lucerna, quos Mundus vixiſſe non ſenſiſſet? Quod ſi ea Epiſtola non ſolius Carafæ, ſed totius Capituli fuit, quod tamen ipſa falſum eſſe conuincit; haberemus non Carafæ tantùm vnius, ſed totius Ordinis locupletiſſimam ſententiam. Et tu quidem Caſtalde, qui eidem Epiſtolæ Capituli conſulti nomen imponis, negare non poteris, toti Ordini in votis fuiſſe ita latère, vt alumnos ſuos vixiſſe mundus ignoraret. Cur autem hanc ad Caietanum Carafæ Epiſtolam, illi ad Mariam ſororem præhabendam putem, habeo cauſſas; nam hæc de rebus longè grauiſſimis, & ad Caietanum data eſt; quem totius ſpiritus veſtri perennem fontem fuiſſe dicis; vt ſi Solis ac pulueris ille tunc fuiſſet, tam aliena atque diuerſa ſcripturum ad illum Carafam fuiſſe, nemo ſapiens rerum æſtimator ſibi poſſit perſuadere; illa Mariana priuata quodammodo, & verè familiaris ſit:

p. 111.

Anim. XI. p. 99.

XII. *Probatus Antonio Caracciolo.*

Hæc probata Caracciolo, & inter præclara Ordinis monumenta ab illo recitata, eâ potiſſimum fine, vt cùm decimo ab inſtituto Ordine anno ſcripta fuerit: *Percipere poßit Lector, quæ cunabula, qui ſpiritus, quanta in Dei cultu religio, quàm ſolida, viuidáque*

ad

ad inuicem charitas, quàm ingens paupertas, puritatísque zelus nostris patribus extiterit; inquit Caracciolus ipse: illa adhuc lateat in tabulariis, iudiciorum ancipitem lucem nondum experta.

lib. 3. c. 15. de quo supra Interrog 4. §. 60.

XIII. *Idem Carafa, & socij Eri cum amatores.*

Quid si vera scripsit Lucas Hispanus in suâ Romualdinâ, & Carafa cum sociis eremi secessum à Paulo Iustiniano per litteras impetrare tentauit? aut quod in epistolâ habetur, deliberatâ iam solitudine, ipso Caietano non dissentiente, in montem aliquem omnes abituriebant? profectò de sensu maiorum vestrorum apertissimè constat. Iine in solem & puluerem se à Deo vocatos arbitrabãtur, qui solitudinem aliquam, in quâ quieti operarentur, & tacitæ rerum diuinarum contemplationi, circumspiciebant? qui Soracte in mõte sedem sibi destinabant? & quidem quum apud Lucam Hispanum ea de solitudinis desiderio legerem, hærebam dubius, hominíne crederem, ore rotundo affirmanti; an tibi potiùs timidè nescio quid de Carafa prodenti accederem. Ais enim in vitâ Pauli IV. antequam cum sociis conuenisset (quamquam in Caietani vitâ eamdem Clericorum Ordinis fundandi mentem priusquã de Caietano audisset, Carafæ fuisse tradas) de Camaldulensium Ordine à Carafa fuisse cogitatum. Verùm vt amici operâ ex tabulario Camaldulensium ad montem Coronam in manus meas ea venit Epistola, omnis quidẽ de solitudinis amore, quo Carafa, sociíque tenebantur, dubitatio excussa est; sed Lucæ aliquam indiligẽtiam deprehendi; neque enim à Paulo suos inter Eremitas adscribi postulat Carafa (nisi fortè idaliâ Epistolâ fecit, quod ego in medio relinquo, & aliquod in hac ipsâ alterius vestigium apparet, ipso statim initio.) sed de solitudinis desiderio, déque totâ sui consilij ratione loquitur; quod quia te huc vsque clam fuisse intelligo, ideóque tam confidenter, ac magnificè te alia omnia scripsisse; hìc operæ pretiũ erit publicare, vt sciant posteri, quæ fuerit condito iam Ordine, Carafæ mens, & quàm ille à cœnobiticâ vitâ

XIV. *etiam post conditum Ordinem.*

cum sociis abhorruerit, atque Eremi accolarum more disclusis inuicem in casulis, cellísve vitam ducere destinauerit. Excerpta Epistola est ex autographo ipsius Carafæ ab Iulio Sancto publico scriba Perusino & cōfecto ritè publico documento, ad me transmissa. Porrò quia Epistola responsio esse videtur ad litteras ad eum datas à Paulo Iustiniano, & harum quoque in eodem tabulario exemplar inuentum est, ipsum etiam ab eodem publico scribâ transmissum recitandum est, vt Carafæ respondentis mens palàm sit.

IESVS.

XV. *Pauli Iustiniani exemplar Epistolæ.*

Reuerendo Episcopo Theatino, & venerabilium fratrum Clericorum Regularium Præposito, frater Paulus dictus Eremita, in Dei seruitute proficere, & ad perfectionis apicē anhelare, atque demum ad æternam beatitudinē peruenire. Fr. Bernardinus Eremita, cui ad D. Gaetanum nostrum litteras dederam, retulit mihi tecum familiariter alloquutum fuisse, & inter cætera hoc illi te mandásse, vt tuo vtique nomine mihi iniungeret, vt curarem locum aliquem solitarium inuenire, in quo congruè cum fratribus tuis posses habitare. Quæ si seriò, & ex animi proposito à te dicta fuerint, non satis intelligo: monet enim me multum ad dubitandum; quia res tanti momenti, si hæc erat verè mentis tuæ sententia, non pauca hæc verba, sed seriosam Epistolam exigebat. Si tamen verè sentis, & hoc est mentis tuæ propositum, valde gaudeo, & inæstimabili afficior iucunditate. Mihi enim, sicut à principio visum est, ita nunc certissimè videtur, solitudinem vobis ad tranquillitatem animi acquirendam (quam nimirum Carafæ aulicarum turbarum pertæso cordi fuisse paulò pòst ex Mattesilano demonstrabimus) *& ad perfectionis Religiosæ, & spiritualis vitæ culmen attingendum valde necessariam esse, & si verborum meorum non es oblitus, in hac vestrâ conuersione ad Dominum, tria vobis solum optabam: Religionis votum, solitudinis secessum, & separatas in solitudine cellas; quorum primum multo magis, quàm optare potuissem, magnificè*

XVI. *Hortatur ad solitudinem.*

magnificè & fortiter perfecistis : reliqua duo, si verè relictâ ciuili, & vrbanâ frequentiâ, quæ omnibus Religiosæ vitæ studiosis valde est inimica (Eremiticæ vitæ instauratorem hæc sensisse minimè mirum est) *implere desideratis, locus vobis deesse nequaquam poterit : nam in primis nos Eremitæ S. Romualdi Camaldulensis Ordinis in hac Anconitanæ Marchiæ Prouinciâ pluria solitaria loca satis commoda his, qui angustis cellulis & humilibus Oratoriis contenti sunt, habemus : Ex quibus quemcumque vobis magis placuerit, concedere parati sumus, siue velitis nobiscum vnà, siue soli in vno habitare. Nos enim non loca, sed seruorum Dei profectum amare, quantum possumus, instituimus : & pro profectu vestro magnum lucrum existimabimus nos consequutos, si vobis ad solitudinem confugere cupientibus vnum ex locis nostris cum omnibus tam mobilibus, quàm immobilibus rebus, quæ ad illum locum pertinent, accommodare & condonare mereri valebimus. Si verò angusta, & humilia satis loca nostra placere vobis non poterunt, sunt in his partibus, & in totâ Italiâ, & ab omnibus derelicta solitaria loca, vt facile sit. si qualem locum desideratis, intellexero, iuxta cordis vestri desiderium locum vobis solitarium inuenire, & præparare, si iusseritis. Est inter alia quidam in Anconitani Montis vertice amœnus, & satis aptus locus, qui ad Anconitanum RR. Cardinalẽ pertinebat, sed ipse illum R. cuidam D. Nicolao Maureceno, & sociis eius Eremitis sine professione concesserat, qui locus nunc omni carere videtur habitatore; nã præfatus D. Nicolaus ob quandã corporis infirmitatem ad patriam reuersus est, nec speratur, illum ad præfatũ locum esse reuersurum : socij verò eius partim mortui sunt, partim aliam vitæ institutionem susceperunt; qui si vobis placeret, à præfato D. Nicolao, credo, facilè impetraretur; præcipuè si pecunia non multa, quam in cellulis, & aliis habitationibus constituendis exposuit, redderetur ei. Id etiam fieri sine vllâ peccati labe posse iuris quidam periti, quos consului, asseruerunt. Quare si hæc animo vestro sedet sententia, & continuò elongare vos à tumultibus, & fugere ad solitudinem, & in ea permanere desideratis, etiam integri anni experimẽto didicistis,*

XVII. *vt perfectissimum vitæ genus.*

XVIII. *Offert illi solitaria loca.*

XIX. *& de vno præcipuè consulit.*

didicistis, quàm parum alijs proficiat, & quàm multum vestræ tranquillitati, & perfectioni officiat vrbis commoratio, & propterea ex animo solitudinem optatis, de hac vestrâ intentione, vestris me litteris certiorem facite, obsecro, vt & solidiùs de hac vestrâ intentione gaudere velim, & loca vestra omnia vobis præparare, vel alia, & alia inquirere, quæ vobis magis placeãt, omni studio, & diligentiâ valeam: Nunc enim quamuis Religiosus ille frater hoc sine vllâ ambiguitate asserat, quia tamen res magni momenti est, vix credere id possum, nisi de ipsâ sententiâ mentis vestræ vestras litteras legam.

Hæc Paulus, ad quæ III. Nonas Augusti MDXXVI. in hæc verba, quæ bonâ fide Latinè reddam, Carafa rescripsit, (vt quidem videtur:) Inscriptio autem implicatæ Epistolæ sic habet.

Admodum Reuerendo Patri Fratri Paulo Eremitæ Ordinis Camaldulensium Priori honorando, &c.

XX. *Carafa ad Paulum Iustinianum Epistola.*

Reuerendè Pater. Post acceptas suauissimas litteras, quibus Vestra Paternitas mihi rescripsit, nulla mihi fuit via certa, & secura litteras mittendi. Et hæc ipsa occasio Fratris Ludouici, quæ mihi se nunc offert, adeo breuis est, vt mihi non possim satisfacere. Dicam tamen, quod potero. Principio Dominum rogo, vt vobis ostendat, quantâ humanitate vtamini erga nos, & quantâ consolatione nos afficiatis, quum nostri memoriam habetis, & quandoque ad nos scribitis. Quanto verò maiori cum libertate, eâque auctoritate, quæ verum nostrum Patrem decet, scribitis, tanto id nobis gratius erit.

XXI. *Alienum se cum suis à Cœnobiticâ vitâ profitetur.*

Circa nostrum habitationem rogo Paternitatem vestram, ne cogitare omnino velit, quod nostra voluntas sit viuere atque habitare hoc modo more Cœnobitarum (arrige aures Castalde, tua hîc res agitur) *nam omnino contrarium est nostræ voluntati vnanimi,* (ergo etiam Caietani, nisi fallit Carafa) *omnium nostrum, & vocationi nostræ.* (Audin'?) *Verùm quia in alienâ domo habitamus, & in medio Vrbis tumultu, vt inde quàm*

quàm primùm migraremus, statim ac Dominus dedit nobis propriam sedem, non quidem ædificandi animo, cuius rei nulla nobis est facultas, sed ne rueret domuncula, quam inueneneramus, & ne pensionem pro habitatione solueremus, aliqua facienda fuit reparatio, vt possemus ibi habitare. Quod ipsum tunc factum est, cùm neque habebamus, neque sperabamus nos habituros ædes has, quas Dominus nobis auxiliatus prouidit, in quibus satis tolerabiliter habitamus. Quod si de hoc per id temporis cogitassemus, eius operis, quod in monte factum est, aut nihil actum esset; aut inceptum aliquid esset pro habitationibus separatis (non enim Cœnobitæ esse volebant) *quod nostrum firmissimum consilium, cùm Dominus auxilium feret.*

Circa tria illa, quæ V.P. in nobis desiderabat; iam duo habet: Professionem trium votorum, & distinctas habitationes, quas tenemus in proposito, etsi nondum in re. De tertiâ etiam vobis satisfacere speramus, hoc est, de solitudine. Et quamquam nobis necessarium videatur, in quemcumque casum locum habere in hac terrâ, in magno nihilominus desiderio sumus habendi solitudinem aliquam in hac viciniâ. Quod si Dominus voto nostro annuet, vt videamus Soracte habitatum ab eius legitimis seruis, speramus & nos ibi angulum aliquem habituros, & omnino credimus adspirante Domino aliquem recessum nobis non defuturum. Itaque, Pater mi carissime, noli nos ob quamcumque caussam deserere; speramus enim vobis obedientes, filios nos præbere etiam in eo, quod ipsi per nos non videmus. (vidésne nihil Carafæ sociísque adhuc deliberatum, sed à Pauli, qui ad Eremum incolendam, vt solitariæ disciplinæ instaurator hortabatur; eos consilio monitísque pendere? Idque biennio post conditum Ordinem?) *Præsertim, cùm ea, quæ P.V. amanter atque prudenter consulit, videatur sine vllâ contradictione ostendere Deus, è re nostrâ esse* (solitudo ergo è re vestrâ tum erat, Carafa teste.) *Quod ad officium pertinet breuitas temporis, quæ sentio scribere non permittit. Attamen in primis inuentionem horarum vnius Capituli quã quasi filiolam osculabar ad primam inspectionem litterarum*

XXII. Solitudinẽ in Soracte anhelat.

XXIII. & Pauli consiliis paritura,

XXIV. vt à Deo missis.

XXV. Narrat de Coniecis & Psalmodiâ.

tuarum abieci. Et ne V.P. molestus sim, V. P. in allegatâ huic epistolæ chartâ videbit, quid post multos labores putem me de Psalterio facere posse. Neque enim aliud video, quod mihi nũc placeat. Nam etsi D. Benedicto tribuam plurimum, & fortè in hac ipsâ re plus illi soli, quàm cæteris omnibus, non tamen vsque adeo, vt omnia illius inuenta recipiam. Mihi sufficit, si qualibet hebdomadâ Psalteriũ volo recitare, vt Dominicâ die semper à capite repetatur. Ad vigilias. In Regula c. 18. Item de 12. Pater noster ad vigilias. Responsoriorum satis habebimus nobis, & vobis. Cantica, quibus Dominæ nostræ conflatum est officium, adhuc in Palimpsesto sunt, itaque nullum mittere cum hac illorum exemplum possem, spero minimè displicitura. P.V. Bernardinum nostrum(de Bernardino Scoto loqui videtur, qui hoc ipso anno nomen dederat)*spero P.V. non indecorum futurum; vsque adhuc ambulat de virtute in virtutem. Et ipse & omnes nos precibus P. V. nosmet ipsos commẽdamus, eã rogantes, vt proximo Septembri, iuxta promissum, nos velit inuisere. Commendo P.V. nostrum hunc fratrem Ludouicum, qui quam in suis ærumnis charitatem ei præstitistis, vbique deprædicat. Datarium his diebus minùs frequenter videmus pluribus enim negotijs distinetur. Rogate Deum pro illo, Rogo te Pater mi, & de officio & cæteris omnibus liberè respõde. Ne timeas, Noster enim D. Caietanus non contradicet, imò cum maximâ pace ipse in primis, & reliqui nos omnes per gratiam Dei vnanimes sumus in* IESV *Domino Christo, cuius gratia sit semper tecum, Charissime Pater, & cum omnibus tuis, amen. 3. Augusti 1526.*

P.V. filius Ioannes Petrus Clericus Reg. Episcopus Theatinus.

Vide iam mihi Castalde, Animaduersionem tuam XII. planè ab hac Epistola tota conuelli? Historiámque tuam de vitis Patrum tuorum non parum labascere? Quid? Nónne illi Animaduersioni titulum hunc præfigis: *Contemplatiuam, & Actiuam vitam sociare præcipuus nostratum scopus?* An Carafa & vestras & vestratum id temporis Summatum Princeps non fuit? nec de se vno loquitur, verùm omnium sensus consiliúmque exponit. Quid ais? Nónne solitudinis à Paulo admonitus, se illi cum suis ipsóque Caietano pariturum profitetur?

XXVI. *Hac Epistola Castaldi Animaduersio XII. conuellitur.*

Nónne

Nónne ait, eam suâ è re esse, ostendere Deum? Nónne Cœnobiticam vitam sui esse instituti negat? Nónne in Monte Soracte locum optat? Quæ igitur de Nigrono tam dolenter querendi tibi caussa fuit. Quæ? Nos, dempto nomine, Eremitis simillimos credi voluit. Hoccine tu reprehendis? Optimè fecit, nascente enim Ordine id esse, vobis erat in votis. Negas? at Carafa disertè affirmat: Concedis? non igitur vestratibus primo illo tempore animorum ardor tantus, qui vos ab adamatâ solitudine dimoueret.

Anim. XIX. p.162.

Et ne Carafam ante fundatum Ordinem solitudinis amore captum dicas, quod in eius vitâ innuis; verùm incalescentem ad lucra animarum, alia omnia deinde cogitâsse; biennio à condito Ordine data Epistola est. Vbi illa Cleri reformatio? Vbi bellum, quod Romæ ad nouæ familiæ exortum conflari sibi ab ipsis vsque Saxonicis suis munitionibus trepidauit Lutherus? Annon disturbatis Vrbanorum temporum iniquitate consiliis, quod in monte Soracte non potuerunt, Venetiis exequi perseuerârunt? Id laudati à Caracciolo auctores docent, & ipsa *Eremitarum Sancti Nicolai* appellatio, quâ Venetiis inclaruistis, planè conuincit. Videris ergo Castalde, quomodo vnica illa tua ad Mariam sororem Epistola, duarum, quas ego ex Caracciolo, & Camaldulensi tabulario protuli, fidem possis eleuare, aut aliquid firmum de spiritu illo primæui Ordinis constituere, ne incertâ veluti vocatione fluctuasse videatur. Neque enim satis erit dicere, Clericorum Regularium fuisse, quasi Clerici esse non possint, abdicatâ procuratione, & quæstu animorum, & mysteriorum religiosissimâ celebratione retentâ, quæ est altera, & quidem potior Clericorum laus; nam & sanctos Sacerdotes solitudines vel olim incoluisse, vel etiam nunc colere non ignoramus. Iam verò si testimonia exterorum audienda sunt; nam tu Adrianum laudas, habeo, quæ in medium afferam, à vobis etiam laudata. Legi enim apud Caracciolum Marci Mattesilanij verba, excerpta ex libro,

XXVII. *data enim est biennio à condito Ordine.*

Anim. IX. p.76.

XXVIII. *Venetiis olim Theatini dicebantur Eremitæ.*

Anim. XVII. p.157.

XXIX. *quod Clericatui non officit.*

 quem

XXX. *Eorum solitudo probatur ex Mattesilano.* quem ille de Guelphis & Gibellinis conscripsit, quem testem omnino grauem esse oportet, quum à Caracciolo in laudem Carafæ, pro cuius famâ tum maximè laborabat, in medium adducatur; sic habet: *Theatino Episcopatu* (Carafa) *se abdicauit, atque adscitis aliquot viris* (ipse igitur Ordinis princeps) *eiusdem sancti propositi socij, ad contemplationis arborem extendit manum, indéque suaues illos decerpsit fructus, qui se se ingerunt his, qui mundanis soluti sollicitudinibus, cupiunt huiusmodi delicijs saturari. Testantur id, perpetuóque testabuntur remota à rumoribus loca, ac proinde exercendæ perfectæ contemplationi valde idonea, quæ vir ille Veronæ, ac Venetijs incoluit.* Nihil potuit pro Nigrono scribi luculentius: nec dubito, quin si ab ipso hæc dicta essent, indignabundus exclamaturus sis, eum perdendo tuo Ordini, quantus quantus est, totum incumbere. Quid enim de hominibus Eremiticam professis scribi possit amplius, non video. Rem dicit, & veritus, ne quis dictum vellet inficiari, ad primas illas Carafæ sedes prouocat, testimonium apud seros etiam nepotes dicturas. Non hic Nigronus est, Castalde, sed Marcus Mattesilanius est, cui tantum auctoritatis Caracciolus attribuit, vt inter Carafæ laudatores, assertoréque famæ ac dignitatis enumeret; haudquaquam facturus, si Ordinis famam his atteri, attenuaríque credidisset. Verùm Caracciolus Nigrono non respondebat, sed condebat Historiam, cuius in veritate præcipuæ opes.

In Collectaneis.

In præfat. Pacifici Certam. p. 6.

XXXI. *Et Hieronymo Magio.* Audiatur & Hieronymi Magij de eodem Carafâ testimonium, cui etiam plurimum tribuit Caracciolus. *Quo peracto* (abdicato scilicet Episcopatu, ac patrimonio) *in eâdem ipsâ vrbe Româ, vbi tunc erat, se in conclusum, & secretum locum contulit, in quo vitam tranquillam cum paucis degebat, Deo verè in pace silentióque deseruiens.* Hæc profectò Apostolica vitæ ratio, atque institutio non est, quamuis sanctissima sit, & Monachorum simillima. Nam & solitariis simillimam vitam duxisse Patres vestros Venetiis, *Vbi Eremitarum Sancti Nicolai,*

In Collectaneis.

nomen

nomen non Apostolorum inuenerunt, tu ipse scribis. Sed his tanta habeatur fides, quantam æquum censuit habendam esse Caracciolus; ipsimet Caracciolo, tibi ipsi, & Clementi VII. Pontifici quantam me iubes habere? Clemens quidem in illâ Breui Epistolâ, quâ Neapolitanam expeditionem laudat, imperátque; ita cum Carafa, Caietano, cæterísque loquitur, quomodo cum hominibus quæstui animarum ex instituto deuotis, nemo sanus loqueretur. Audi. *Cúmque nos Paulus Apostolus non quæ nostra, sed quæ* IESV *Christi sunt, quærere doceat, quemadmodum ipse, non quod sibi esset vtile, sed quod multis, vt salui fierent, se quæsisse testatur; debetis & vos aliquid laboris assumere, vt iuxta Domini præceptum valeatis proximorum vtilitatibus inseruire.* Non hæc illis erant à Clemente dicenda, si ex susceptæ vitæ rationibus tam ardenter in animarum salutem ferebantur; hortantis enim hæc sunt ad insueta & noua. Tu ipse nónne Caietanum Neapoli per ipsos decem menses otiosum sedisse dicis, quod ego superiùs non de Religionis cultu atque virtutum aliarum exercitatione, sed de curâ & procuratione animorum lenissimè sum interpretatus?

Apud Tusum in Hist. cap. 4

XXXII. *& Clemente VII.*

XXXIII. *& Castaldo ipso,*

In Epist. §. 8. Inter 6. §. 15.

Rursum Caracciolus in operis sui Præfatione nónne disertissimè ait, primos illos Patres vestri moris, *Maximam vitæ partem Deo tantùm & Angelis testibus transegisse?* Quid? nónne Paulus Arellus Victoriæ Sanseuerinæ Matris primi Ducis Vitrij arcanas confessiones audire se nolle professus est, quod minùs esset ex instituto? Nónne à maioribus vestris Neapoli Comes Briatici Sanseuerini, quum ad se illos ire vellet arcanæ confessionis caussâ, quòd ipsâ valetudine minùs bonâ vtẽs, ad templum ire non posset, repulsam tulit ob id potissimũ; quòd dicerent, sibi horũ ministeriorũ caussâ pedẽ efferre domo non licere? Id vobis iam licet; nusquã enim huiusmodi Eremiticæ rationes obtinent; sed hominum saluti, in publicâ ciuitatum luce, collocatis in earum frequentioribus regionibus domiciliis præclarã

XXXIV. *& Caracciolo:*

XXXV. *Ex Epistolisque.*

 operam

operam nauatis, quod Ignatianæ prudentiæ vaticinio firmando satis esse, supérque debet. Neque enim inficiari poteris, nisi tui Ordinis Historicis, tibíque fidem habendam neges, plurimùm inter illam veterem, atque hodiernam rationem interesse; Nam si ab ipso nascentis familiæ ortu proposita Ordini fuit animorum procuratio, quod tu latentis *Bullæ* testimonio confirmas, dicendum omnino est, viros illos prudentissimos tam tenuibus rebus per illa initia, lentè admodum in eâ sibi versandum credidisse: donec bono cum Deo, succrescente sobole aliud faciendum ipsa dies doceret; quod iam nunc factum, & vobis, & Ecclesiæ gratulamur. Nam, mihi crede Castalde, quæ tu vndecumque congeris, egregia quidem opera, sed rariora sunt, quàm vt institutæ ad proximorum salutem familiæ dignitatem tanto annorum spatio possint sustinere. Lege Prædicatorum, Minorúmque Annales, & nostras etiam Historias, si nos hoc honore dignaberis, videbis, quàm densa vbique sint pro salute animorum gesta.

Anim. XII. p. 103.

Totâ Anim. XII.

XXVI. *Quare prudenter prouidet Ignatius amplificandam alienæ salutis procurationem.*

Cæterùm quid aliud opinabatur Ignatius, quàm illud olim faciendum; quod vos tandem fecistis, vt de Altari, & de Euangelio viueretis? Quàm quod literis familiaribus ad Mariam sororē ipsemet scripsit Carafa? *Religiones, quæ ad spiritualia, prædicandum, confessiones excipiēdas sunt institutæ,* &c. *nulla re indigere; ordinauit enim Dominus, vt viuant ex Euangelio: & vult, vt ex debito sustentētur; Dicit enim: dignus est operarius mercede suâ.* Cùm igitur solitudinis vos amantiores videret, quàm vt cum Euangelij prædicatione bellè componi posse crederet, vir longè prudentissimus acutè vidit, eam demum viuendi rationem esse amplificandam; in quo quid integrâ velis Animaduersione reprehendere, non video, quia factum, quod ille præuidit, tota iamdiu videt, & gratulatur Italia. Quotus enim quisq; vos ob solitudinem Eremitas iam vocat, qui in mediâ hominū luce versantes, Prædicatoribus, Minoribúsq; nō ceditis? Nobiscū enim vos non compono, ne tibi bilem moueam;

Anim. IX p. 76.

Anim. XXVII. p. 250. & deinceps.

nam

nam doctrinis tradendis distinemur, quod opus quidem bonum esse vis, sed *distractiuum*. Frustrà igitur ac parùm amicè de Nigrono quereris, quasi verò scripserit, Ignatium olim dixisse defecturos à sua vocatione Carafam, & Thienæum, quod ille nusquam scripsit, sic loqueris Animad. IX. *Quomodo ergo Paulo IV. non multò pòst Pontificiis infulis ornato, & Caietano Thienæo, cuius sanctitatem omnes venerabantur, dum summæ perfectionis opus aggrediuntur, Euangelicæ legis specimen, & ornamentum, defectionem, de qua nemo vnquam dubitauit, nec experientia eam contingere potuisse docet* (hoc enimuerò falsissimum est, docet quidem non contigisse, quam tu dicis, defectionem) *Sanctum Ignatium prudentia ac pietate conspicuum adscripsisse credendum est?* Aliud opinor, est, Castalde, quod Ignatium præuidisse aiunt, aliud, quod tu quereris. Mutationem aliquam factam vestrâ in Repub. palàm iam factū est: Defectionem futuram à perfectione, nec ex Ignatio retulit Nigronus, nec quisquam nostrum omnino dixit, & temerè sanè loquutus fuisset, qui hoc dicere ausus fuisset. Nigronus quidem Ignatij dictum afferens, adeò disertè addidit, *Nisi ampliorem animorum procurationem exerceret*, mirari vt satis non possim te, conditione illâ dissimulatâ, vehementiùs in hominem inuehi, pérque illius latus Ignatium ipsum impetere, quasi dixerit Ordinem non duraturum, quod crudum sanè videtur, & ab experientiâ refellitur; Neque adeò infans erat Nigronus, vt etiamsi fingere voluisset, ista nō videret. Verùm cum dixerit, non duraturum, nisi procurandis animorum cōmodis maiorem operam nauaret, idque sibi faciendū maiores vestri censuerint; quid est, in quo se quisquam iure dicere possit offensum? Neque hîc dissimulauerim duarum huc pertinentium contradictionum iniuriâ Nigronū à te accusari. Quasi verò Ignatiū de vestra Religione, quā nōdum nouerat, vaticinantē inducat. Sed nulla est; sat enim ille nouerat, quòd statim se prodebat, Patres tuos ab appellatio ne

[Left margin notes: p. 77. (beside "psit, sic loqueris Animad. IX."); Anim. VII. p. 63. (beside "verò Ignatiū de vestra Religione")]

[Right margin: XXXVII. *Nec aliud scripsit Nigronus, falso à Castaldo accusatus.*]

ſationibus tueretur, qui hominem curionem quod relictâ eâ vigiliâ, quæ illi non ſine animarum lucro, fuerat demandata, nouum vitæ genus ſuſcepiſſet, ineptè quidem, ſed tamen reprehendebant, argumento non leui eam tunc primorum Patrum viuendi rationem fuiſſe, quæ plurimum ſolitariæ haberet contemplationis. Huius viri certè à te mentio alieniſſimo tibi loco fit, quum præclara maiorum geſta pro ſalute proximorum componis. Anim. XII. p. 113.

VII. *Celebritas Concionatorum à Toloſa exorta.*

Quæro iterum ex te, Caſtalde, ante Pontanos, & Paulum Toloſam virum clariſſimæ eloquentiæ, quem veſtrum concionatorum nouerant Italiæ vrbes? fuiſſe non neminem, qui verbum Dei pedeſtri ſermone in auditoriis aliquando traderet, ego non dubito; ſed de concionũ celebritate interrogo. Sanè Caracciolus frigidiſſimè loquitur apud te ipſum. *Accepimus etiam eos non rarò habuiſſe ſermonem ad populum; Carafam præcipuè, & Thienæum,* &c. Age rurſum, quas expeditiones ſuſceperunt Principes Ordinis, non te extra Italiam traho, ſed in hac ipsâ Italiâ. Anim. XII p. 106.

VIII. *Carafæ geſta ſolitudinis amorem non excludunt,*

Affers tu quidem Carafæ geſta præclara, ſed illis, quod agis, non conficis. Nónne Bernardus publicâ in Eccleſiæ cauſsâ alieniſſimis illis temporibus, in quæ incidit illius virtus, aliquanto plura, & maiora patrauit? Efficiéſne ex illorum commemoratione Bernardi familiam à ſolitudine atque contemplatione fuiſse ſemotam. Ibid.

IX. *à qua ſemper alienus Ignatius.*

Addis & aliorum virorum illuſtrium nomina; quorum ego & virtutem amo, & claritudinem ſuſpicio; verùm non adeò in ſole atque arenâ verſabantur, vt Ignatium ea ratio poſset allicere. An non idem tu Caſtalde, *Solitudinis amore eum illectum ſcribis?* quod deinde verbum vt emollias, minùs enim ad rem iam faciebat, in hoc Pacifico Certamine aut acerbiſſimè, quamuis clancularii maledictis, in nos inueheris, aut Ignatium animarum quæſtui cum ſuo illo heroũ manipulo deuotum caput, ſolitudinis amantiſſimũ fingis Epiſt. §. 18. Præſertim Anim. XII.

tum

tum maximè, cùm deliberatâ Euangelij prædicatione, minacia eiusdem signa in sæuissimos Ecclesiæ hostes, Turcas ipsos, inferre meditabatur.

X. *Castaldi dictum Ecclesiæ minùs honorificũ.*

Verùm, quam viuendi rationem Principes vestri Ordinis per ea tempora maximè probauerint, antéquam pluribus palàm faciam, dabis mihi veniam, si te laudationis impetu abreptum aliquid scripsisse dixero, quod, si tertiò Certamen tuum reuideris, atque euulgaueris, planè tibi sit inducendum; Neque enim eadem est Dei Ecclesiæ, ac Societatis nostræ ratio; in hanc enim incurrere fortè sine scelere licet; de illâ quidquam minùs commodè dicere, non licet. Ordinis tui decora vt amplifices, Ecclesiæ aliquid minùs decorum dicis, quod te, qui totus es in Animaduersionibus, non animaduertisse, mirum possit videri Cùm enim nauatam rei Catholicæ à Carafa operam amplificandam tibi sumpsisses, sic ordiris: *In toto Orbe irrepserat teterrimus error ex Auerni imis consurgens, Orthodoxæ Fidei veritatem de Iustificatione obumbrans, & inficiens. Fœdauerat plurimos, maculauerat vniuersos, ipsa quoque præcipua capita Sacerdotum inuaserat.* Itáne verò? Nihil in Ecclesiâ non maculatum? Quomodo ergo illa sine maculâ? Qui vniuersos dicit, neminem excludit, omnes igitur hæreticis tum maculis aspersi? Quis hoc vel in ipsâ Germàniâ ferat, ex quâ prima tanti mali labes erupit? Quot ibi erant, qui pro Ecclesiâ, & veritate stabant? At tu de toto loqueris Orbe. Hoccine audiat Lusitania? hoccine Gallia? hoccine Hispania? hoccine Italia, in quâ Deus sedem, ac principatum Religionis collocauit? Queri de te potest orbis terrarum; neque Carafæ virtus ampullosis hisce ornanda est amplificationibus; sàtis enim simplici veritate collucet.

Anim. XII. p. 109.

XI. *Carafæ sensus de solitudine suorum in Epistola ad Caietanum.*

Sed quando Carafæ meminimus, quid ille de Ordine à se condito senserit, audiamus. Tu quidem ex illius Epistolâ ad Mariam sororem, quam ego non vidi, nescio quid affers in rem tuam; ego ex illâ, quam suis

Anim. IX. p. 76.

ſuis in Collectaneis vulgauit Caracciolus, cur contra ſentiam manifeſtè habeo; Cùm enim ſcripſiſſet ad illum Neapoli Caietanus: *Noſtros opportunum quidem contemplationi nactos eſſe locum: mitteret igitur quàm primùm alios quibuſcum vnà poſſent Religionis officia obire, &c.* Reſpondit Carafa his verbis: *Summopere placere teſtamur* (locum illum ſolitarium) *atque vtinam Dominus IESVS ſic ſibi cohærere faciat, vt mundus nos vixiſſe non ſentiat.* Hoc, quamuis ſanctiſſimum votum ſit, eius tamen eſſe non potuit, qui Apoſtolico viuendi more populis vellet opitulari. Quid enim tam diuerſum ab Apoſtolicâ luce, quàm latère, atque ignorari? Quomodo ſi hoc Apoſtoli ſequuti fuiſſent, *in omnem terram exire potuiſſet ſonus eorum?* Quomodo *non fuiſſent loquelæ, neque ſermones, quorum non auditæ eſſent voces eorum*? Quomodo non ſub modio fuiſſet illorum lucerna, quos Mundus vixiſſe non ſenſiſſet? Quod ſi ea Epiſtola non ſolius Carafæ, ſed totius Capituli fuit, quod tamen ipſa falſum eſſe conuincit; haberemus non Carafæ tantùm vnius, ſed totius Ordinis locupletiſſimam ſententiam. Et tu quidem Caſtalde, qui eidem Epiſtolæ Capituli conſulti nomen imponis, negare non poteris, toti Ordini in votis fuiſſe ita latère, vt alumnos ſuos vixiſſe mundus ignoraret. Cur autem hanc ad Caietanum Carafæ Epiſtolam, illi ad Mariam ſororem præhabendam putem, habeo cauſſas; nam hæc de rebus longè grauiſſimis, & ad Caietanum data eſt; quem totius ſpiritus veſtri perennem fontem fuiſſe dicis; vt ſi Solis ac pulueris ille tunc fuiſſet, tam aliena atque diuerſa ſcripturum ad illum Carafam fuiſſe, nemo ſapiens rerum æſtimator ſibi poſſit perſuadere; illa Mariana priuata quodammodo, & verè familiaris ſit:

p. 111.

Anim. XI. p. 99.

XII. *Probatus Antonio Caracciolo.*

Hæc probata Caracciolo, & inter præclara Ordinis monumenta ab illo recitata, eâ potiſſimum fine, vt cùm decimo ab inſtituto Ordine anno ſcripta fuerit: *Percipere poſſit Lector, quæ cunabula, qui ſpiritus, quanta in Dei cultu religio, quàm ſolida, viuidáque*

ad

ad inuicem charitas, quàm ingens paupertas, puritatísque zelus nostris patribus extiterit; inquit Caracciolus ipse: illa adhuc lateat in tabulariis, iudiciorum ancipitem lucem nondum experta.

lib. 3. c. 15. de quo supra Interrog 4. §. 60.

XIII. *Idem Carafa, & socij Eri cum amatores.*

Quid si vera scripsit Lucas Hispanus in suâ Romualdinâ, & Carafa cum sociis eremi secessum à Paulo Iustiniano per litteras impetrare tentauit? aut quod in epistolâ habetur, deliberatâ iam solitudine, ipso Caietano non dissentiente, in montem aliquem omnes abituriebant? profectò de sensu maiorum vestrorum apertissimè constat. síne in solem & puluerem se à Deo vocatos arbitrabātur, qui solitudinem aliquam, in quâ quieti operarentur, & tacitæ rerum diuinarum contemplationi, circumspiciebant? qui Soracte in mōte sedem sibi destinabant? & quidem quum apud Lucam Hispanum ea de solitudinis desiderio legerem, hærebam dubius, hominíne crederem, ore rotundo affirmanti; an tibi potiùs timidè nescio quid de Carafa prodenti accederem. Ais enim in vitâ Pauli I V. antequam cum sociis conuenisset (quamquam in Caietani vitâ eamdem Clericorum Ordinis fundandi mentem priusquā de Caietano audisset, Carafæ fuisse tradas) de Camaldulensium Ordine à Carafa fuisse cogitatum. Verùm vt amici operâ ex tabulario Camaldulensium ad montem Coronam in manus meas ea venit Epistola, omnis quidē de solitudinis amore, quo Carafa, sociíque tenebantur, dubitatio excussa est; sed Lucæ aliquam indiligētiam deprehendi; neque enim à Paulo suos inter Eremitas adscribi postulat Carafa (nisi fortè idaliâ Epistolâ fecit, quod ego in medio relinquo, & aliquod in hac ipsâ alterius vestigium apparet, ipso statim initio.) sed de solitudinis desiderio, déque totâ sui consilij ratione loquitur; quod quia te huc vsque clam fuisse intelligo, ideóque tam confidenter, ac magnificè te alia omnia scripsisse; hîc operæ pretiū erit publicare, vt sciant posteri, quæ fuerit condito iam Ordine, Carafæ mens, & quàm ille à cœnobiticâ vitâ

XIV. *etiam post conditum Ordinem.*

 cum

cum sociis abhorruerit, atque Eremi accolarum more disclusis inuicem in casulis, cellísve vitam ducere destinauerit. Excerpta Epistola est ex autographo ipsius Carafæ ab Iulio Sancto publico scriba Perusino & cōfecto ritè publico documento, ad me transmissa. Porrò quia Epistola responsio esse videtur ad litteras ad eum datas à Paulo Iustiniano, & harum quoque in eodem tabulario exemplar inuentum est, ipsum etiam ab eodem publico scribâ transmissum recitandum est, vt Carafæ respondentis mens palàm sit.

IESVS.

XV. *Pauli Iustiniani exemplar Epistolæ.*

Reuerendo Episcopo Theatino, & venerabilium fratrum Clericorum Regularium Præposito, frater Paulus dictus Eremita, in Dei seruitute proficere, & ad perfectionis apicē anhelare, atque demum ad æternam beatitudinē peruenire. Fr. Bernardinus Eremita, cui ad D. Gaetanum nostrum litteras dederam, retulit mihi tecum familiariter alloquutum fuisse, & inter cætera hoc illi te mandâsse, vt tuo vtique nomine mihi iniungeret, vt curarem locum aliquem solitarium inuenire, in quo congruè cum fratribus tuis posses habitare. Quæ si seriò, & ex animi proposito à te dicta fuerint, non satis intelligo: monet enim me multum ad dubitandum; quia res tanti momenti, si hæc erat verè mentis tuæ sententia, non pauca hæc

XVI. *Hortatur ad solitudinem,*

verba, sed seriosam Epistolam exigebat. Si tamen verè sentis, & hoc est mentis tuæ propositum, valde gaudeo, & inæstimabili afficior iucunditate. Mihi enim, sicut à principio visum est, ita nunc certissimè videtur, solitudinem vobis ad tranquillitatem animi acquirendam (quam nimirum Carafæ aulicarum turbarum pertæso cordi fuisse paulò pòst ex Mattesilano demonstrabimus) *& ad perfectionis Religiosæ, & spiritualis vitæ culmen attingendum valde necessariam esse, & si verborum meorum non es oblitus, in hac vestrâ conuersione ad Dominum, tria vobis solum optabam: Religionis votum, solitudinis secessum, & separatas in solitudine cellas; quorum primum multo magis, quàm optare potuissem, magnificè*

magnificè & fortiter perfecistis : reliqua duo, si verè relictâ ciuili, & vrbanâ frequentiâ, quæ omnibus Religiosæ vitæ studiosis valde est inimica (Eremiticæ vitæ instauratorem hæc sensisse minimè mirum est) *implere desideratis, locus vobis deesse nequaquam poterit : nam in primis nos Eremitæ S. Romualdi Camaldulensis Ordinis in hac Anconitanæ Marchiæ Prouinciâ pluria solitaria loca satis commoda his, qui angustis cellulis & humilibus Oratoriis contenti sunt, habemus : Ex quibus quemcumque vobis magis placuerit, concedere parati sumus, siue velitis nobiscum vnà, siue soli in vno habitare. Nos enim non loca, sed seruorum Dei profectum amare, quantum possumus, instituimus : & pro profectu vestro magnum lucrum existimabimus nos consequutos, si vobis ad solitudinem confugere cupientibus vnum ex locis nostris cum omnibus tam mobilibus, quàm immobilibus rebus, quæ ad illum locum pertinent, accommodare & condonare mereri valebimus. Si verò angusta, & humilia satis loca nostra placere vobis non poterunt, sunt in his partibus, & in totâ Italiâ, & ab omnibus derelicta solitaria loca, vt facile sit, si qualem locum desideratis, intellexero, iuxta cordis vestri desiderium locum vobis solitarium inuenire, & præparare, si iusseritis. Est inter alia quidam in Anconitani Montis vertice amœnus, & satis aptus locus, qui ad Anconitanum RR. Cardinalē pertinebat, sed ipse illum R. cuidam D. Nicolao Maureceno, & sociis eius Eremitis sine professione concesserat, qui locus nunc omni carere videtur habitatore; nā præfatus D. Nicolaus ob quandā corporis infirmitatem ad patriam reuersus est, nec speratur, illum ad præfatū locum esse reuersurum : socij verò eius partim mortui sunt, partim aliam vitæ institutionem susceperunt; qui si vobis placeret, à præfato D. Nicolao, credo, facile impetraretur; præcipuè si pecunia non multa, quam in cellulis, & aliis habitationibus constituendis exposuit, redderetur ei. Id etiam fieri sine vllâ peccati labe posse iuris quidam periti, quos consului, asseruerunt. Quare si hæc animo vestro sedet sententia, & continuò elongare vos à tumultibus, & fugere ad solitudinem, & in ea permanere desideratis, etiam integri anni experimēto didicistis,*

XVII. *vt perfectissimum vitæ genus.*

XVIII. *Offert illi solitaria loca.*

XIX. *& de vno præcipuè consulit.*

didicistis, quàm parum alijs proficiat, & quàm multum vestræ tranquillitati, & perfectioni officiat vrbis commoratio, & propterea ex animo solitudinem optatis, de hac vestrâ intentione, vestris me litteris certiorem facite, obsecro, vt & solidiùs de hac vestrâ intentione gaudere velim, & loca vestra omnia vobis præparare, vel alia, & alia inquirere, quæ vobis magis placeat, omni studio, & diligentiâ valeam: Nunc enim quamuis Religiosus ille frater hoc sine vllâ ambiguitate asserat, quia tamen res magni momenti est, vix credere id possum, nisi de ipsâ sententiâ mentis vestræ vestras litteras legam.

Hæc Paulus, ad quæ III. Nonas Augusti MDXXVI. in hæc verba, quæ bonâ fide Latinè reddam, Carafa rescripsit, (vt quidem videtur:) Inscriptio autem implicatæ Epistolæ sic habet.

Admodum Reuerendo Patri Fratri Paulo Eremitæ Ordinis Camaldulensium Priori honorando, &c.

XX. *Carafa ad Paulum Iustinianum Epistola.*

Reuerende Pater. Post acceptas suauissimas litteras, quibus Vestra Paternitas mihi rescripsit, nulla mihi fuit via certa, & secura litteras mittendi. Et hæc ipsa occasio Fratris Ludouici, quæ mihi se nunc offert, adeo breuis est, vt mihi non possim satisfacere. Dicam tamen, quod potero. Principio Dominum rogo, vt vobis ostendat, quantâ humanitate vtamini erga nos, & quantâ consolatione nos afficiatis, quum nostri memoriam habetis, & quandoque ad nos scribitis. Quanto verò maiori cum libertate, eâque auctoritate, quæ verum nostrum Patrem decet, scribitis, tanto id nobis gratius erit. Circa nostram habitationem rogo Paternitatem vestram, ne cogitare omnino velit, quod nostra voluntas sit viuere atque habitare hoc modo more Cænobitarum (arrige aures Castalde, tua hîc res agitur) *nam omnino contrarium est nostræ voluntati vnanimi,* (ergo etiam Caietani, nisi fallit Carafa) *omnium nostrum, & vocationi nostræ.* (Audin'?) *Verùm quia in alienâ domo habitamus, & in medio Vrbis tumultu, vt inde*

XXI. *Alienum se cum suis à Cænobiticâ vitâ profitetur.*

quàm

quàm primùm migraremus, statim ac Dominus dedit nobis propriam sedem, non quidem ædificandi animo, cuius rei nulla nobis est facultas, sed ne rueret domuncula, quam inuenneramus, & ne pensionem pro habitatione solueremus, aliqua facienda fuit reparatio, vt possemus ibi habitare. Quod ipsum tunc factum est, cùm neque habebamus, neque sperabamus nos habituros ædes has, quas Dominus nobis auxiliatus prouidit, in quibus satis tolerabiliter habitamus. Quod si de hoc per id temporis cogitassemus, eius operis, quod in monte factum est, aut nihil actum esset; aut inceptum aliquid esset pro habitationibus separatis (non enim Cœnobitæ esse volebant) *quod nostrum firmissimum consilium, cùm Dominus auxilium feret.*

XXII. Solitudinē in Soracte anhelat.

Circa tria illa, quæ V.P. in nobis desiderabat; iam duo habet: Professionem trium votorum, & distinctas habitationes, quas tenemus in proposito, etsi nondum in re. De tertiâ etiam vobis satisfacere speramus, hoc est, de solitudine. Et quamquam nobis necessarium videatur, in quemcumque casum locum habere in hac terrâ, in magno nihilominùs desiderio sumus habendi solitudinem aliquam in hac vicinià. Quod si Dominus voto nostro annuet, vt videamus Soracte habitatum ab eius legitimis seruis, speramus & nos ibi angulum aliquem habituros, & omnino credimus adspirante Domino aliquem recessum nobis non defuturum. Itaque, Pater mi carissime, noli nos ob quamcumque caussam deserere; speramus enim vobis obedientes, filios nos præbere etiam in eo, quod ipsi per nos non videmus. (vidésne nihil Carafæ sociisque adhuc deliberatum, sed à Pauli, qui ad Eremum incolendam, vt solitariæ disciplinæ instaurator hortabatur; eos consilio monitisque pendere? Idque biennio post conditum Ordinem?) *Præsertim, cùm ea, quæ P.V. amanter atque prudenter consulit, videatur sine vllâ contradictione ostendere Deus, è re nostrâ esse* (solitudo ergo è re vestrâ tum erat, Carafa teste.) *Quod ad officium pertinet breuitas temporis, quæ sentio scribere non permittit. Attamen in primis inuentionem horarum vnius Capituli quā quasi filiolam osculabar ad primam inspectionem litterarum*

XXIII. & Pauli consiliis pariturū,

XXIV. vt à Deo missis.

XXV. Narrat de Conicis & Psalmodià.

tuarum abieci. Et ne V. P. molestus sim, V. P. in allegatâ huic epistolæ chartâ videbit, quid post multos labores putem me de Psalterio facere posse. Neque enim aliud video, quod mihi nūc placeat. Nam etsi D. Benedicto tribuam plurimum, & fortè in hac ipsâ re plus illi soli, quàm cæteris omnibus, non tamen vsque adeo, vt omnia illius inuenta recipiam. Mihi sufficit, si qualibet hebdomadâ Psalteriū volo recitare, vt Dominicâ die semper à capite repetatur. Ad vigilias. In Regula c. 18. Item de 12. Pater noster ad vigilias. Responsoriorum satis habebimus nobis, & vobis. Cantica, quibus Dominæ nostræ constatum est officium, adhuc in Palimpsesto sunt, itaque nullum mittere cum hac illorum exemplum possem, spero minimè displicitura. P. V. Bernardinum nostrum(de Bernardino Scoto loqui videtur, qui hoc ipso anno nomen dederat)*spero P. V. non indecorum futurum; vsque adhuc ambulat de virtute in virtutem. Et ipse & omnes nos precibus P. V. nosmet ipsos commēdamus, eā rogantes, vt proximo Septembri, iuxta promissum, nos velit inuisere. Commendo P. V. nostrum hunc fratrem Ludouicum, qui quam in suis ærumnis charitatem ei præstitistis, vbique deprædicat. Datarium his diebus minùs frequenter videmus pluribus enim negotijs distinetur. Rogate Deum pro illo, Rogo te Pater mi, & de officio & cæteris omnibus liberè respōde. Ne timeas, Noster enim D. Caietanus non contradicet, imò cum maximâ pace ipse in primis, & reliqui nos omnes per gratiam Dei vnanimes sumus in* IESV *Domino Christo, cuius gratia sit semper tecum, Charissime Pater, & cum omnibus tuis, amen. 3. Augusti* 1526.

P. V. filius Ioannes Petrus Clericus Reg. Episcopus Theatinus.

Vide iam mihi Castalde, Animaduersionem tuam XXVI. XII. planè ab hac Epistola tota conuelli? Historiámque tuam de vitis Patrum tuorum non parum labascere? Quid? Nónne illi Animaduersioni titulum hunc præfigis: *Contemplatiuam, & Actiuam vitam sociare præcipuus nostratum scopus?* An Carafa & vestras & vestratum id temporis Summatum Princeps non fuit? nec de se vno loquitur, verùm omnium sensus consiliúmque exponit. Quid ais? Nónne solitudinis à Paulo admonitus, se illi cum suis ipsôque Caietano pariturum profitetur?

Hac Epistola Castaldi Animaduersio XII. conuellitur.

Nónne

Nónne ait, eam suâ è re esse, ostendere Deum? Nónne Cœnobiticam vitam sui esse instituti negat? Nónne in Monte Soracte locum optat? Quæ igitur de Nigrono tam dolenter querendi tibi caussa fuit. Quæ? Nos, dempto nómine, Eremitis simillimos credi voluit. Hoccine tu reprehendis? Optimè fecit, nascente enim Ordine id esse, vobis erat in votis. Negas? at Carafa disertè affirmat: Concedis? non igitur vestratibus primo illo tempore animorum ardor tantus, qui vos ab adamatâ solitudine dimoueret.

Anim. XIX. p.162.

Et ne Carafam ante fundatum Ordinem solitudinis amore captum dicas, quod in eius vitâ innuis; verùm incalescentem ad lucra animarum, alia omnia deinde cogitâsse; biennio à cóndito Ordine data Epistola est. Vbi illa Cleri reformatio? Vbi bellum, quod Romæ ad nouæ familiæ exortum conflari sibi ab ipsis vsque Saxonicis suis munitionibus trepidauit Lutherus? Annon disturbatis Vrbanorum temporum iniquitate consiliis, quod in monte Soracte non potuerunt, Venetiis exequi perseuerârunt? Id laudati à Caracciolo auctores docent, & ipsa *Eremitarum Sancti Nicolai* appellatio, quâ Venetiis inclaruistis, planè conuincit. Videris ergo Castalde, quomodo vnica illa tua ad Mariam sororem Epistola, duarum, quas ego ex Caracciolo, & Camaldulensi tabulario protuli, fidem possis eleuare, aut aliquid firmum de spiritu illo primæui Ordinis constituere, ne incertâ veluti vocatione fluctuasse videatur. Neque enim satis erit dicere, Clericorum Regularium fuisse, quasi Clerici esse non possint, abdicatâ procuratione, & quæstu animorum, & mysteriorum religiosissimâ celebratione retentâ, quæ est altera, & quidem potior Clericorum laus; nam & sanctos Sacerdotes solitudines vel olim incoluisse, vel etiam nunc colere non ignoramus. Iam verò si testimonia exterorum audienda sunt; nam tu Adrianum laudas, habeo, quæ in medium afferam, à vobis etiam laudata. Legi enim apud Caracciolum Marci Mattesilanij verba, excerpta ex libro,

XXVII. *data enim est biennio à condito Ordine.*

Anim. IX. p.76.

XXVIII. *Venetiis olim Theatini dicebantur Eremitæ.*

Anim. XVII. p.157.

XXIX. *quod Clericatui non officit.*

XXX. *Eorum solitudo probatur ex Mattesiliano.* quem ille de Guelphis & Gibellinis conſcripſit, quem teſtem omnino grauem eſse oportet, quum à Caracciolo in laudem Carafæ, pro cuius famâ tum maximè laborabat, in medium adducatur; ſic habet: *Theatino Epiſcopatu* (Carafa) *ſe abdicauit, atque adſcitis aliquot viris* (ipſe igitur Ordinis princeps) *eiuſdem ſancti propoſiti ſocij, ad contemplationis arborem extendit manum, indéque ſuaues illos decerpſit fructus, qui ſe ſe ingerunt his, qui mundanis ſoluti ſollicitudinibus, cupiunt huiuſmodi delicijs ſaturari. Teſtantur id, perpetuóque teſtabuntur remota à rumoribus loca, ac proinde exercendæ perfectæ contemplationi valde idonea, quæ vir ille Veronæ, ac Venetijs incoluit.* Nihil potuit pro Nigrono ſcribi luculentius: nec dubito, quin ſi ab ipſo hæc dicta eſſent, indignabundus exclamaturus ſis, eum perdendo tuo Ordini, quantus quantus eſt, totum incumbere. Quid enim de hominibus Eremiticam profeſſis ſcribi poſſit amplius, non video. Rem dicit, & veritus, ne quis dictum vellet inficiari, ad primas illas Carafæ ſedes prouocat, teſtimonium apud ſeros etiam nepotes dicturas. Non hic Nigronus eſt, Caſtalde, ſed Marcus Matteſilanius eſt, cui tantum auctoritatis Caracciolus attribuit, vt inter Carafæ laudatores, aſsertoréſque famæ ac dignitatis enumeret; haudquaquam facturus, ſi Ordinis famam his atteri, attenuaríque credidiſset. Verùm Caracciolus Nigrono non reſpondebat, ſed condebat Hiſtoriam, cuius in veritate præcipuæ opes.

In Collectaneis.

In præfat. Pacifici Certam. p. 6.

XXXI. *Et Hieronymo Magio.* Audiatur & Hieronymi Magij de eodem Carafâ teſtimonium, cui etiam plurimum tribuit Caracciolus. *Quo peracto* (abdicato ſcilicet Epiſcopatu, ac patrimonio) *in eâdem ipsâ vrbe Româ, vbi tunc erat, ſe in concluſum, & ſecretum locum contulit, in quo vitam tranquillam cum paucis degebat, Deo verè in pace ſilentióque deſeruiens.* Hæc profectò Apoſtolica vitæ ratio, atque inſtitutio non eſt, quamuis ſanctiſſima ſit, & Monachorum ſimillima. Nam & ſolitariis ſimillimam vitam duxiſse Patres veſtros Venetiis, *Vbi Eremitarum Sancti Nicolai,*

In Collectaneis.

nomen

nomen non Apostolorum inuenerunt, tu ipse scribis. Sed his tanta habeatur fides, quantam æquum censuit habendam esse Caracciolus; ipsimet Caracciolo, tibi ipsi, & Clementi VII. Pontifici quantam me iubes habere? Clemens quidem in illâ Breui Epistolâ, quâ Neapolitanam expeditionem laudat, imperátque; ita cum Carafa, Caietano, cæterísque loquitur, quomodo cum hominibus quæstui animarum ex instituto deuotis, nemo sanus loqueretur. Audi. *Cúmque nos Paulus Apostolus non quæ nostra, sed quæ* IESV *Christi sunt, quærere doceat, quemadmodum ipse, non quod sibi esset vtile, sed quod multis, vt salui fierent, se quæsisse testatur; debetis & vos aliquid laboris assumere, vt iuxta Domini præceptum valeatis proximorum vtilitatibus inseruire.* Non hæc illis erant à Clemente dicenda, si ex susceptæ vitæ rationibus tam ardenter in animarum salutem ferebantur; hortantis enim hæc sunt ad insueta & noua. Tu ipse nónne Caietanum Neapoli per ipsos decem menses otiosum sedisse dicis, quod ego superiùs non de Religionis cultu atque virtutum aliarum exercitatione, sed de curâ & procuratione animorum lenissimè sum interpretatus?

Apud Tusum in Hist. cap. 4

XXXII. *& Clemente VII.*

XXXIII. *& Castaido ipso,*

In Epist. §. 8. Inter 6. §. 15.

Rursum Caracciolus in operis sui Præfatione nónne disertissimè ait, primos illos Patres vestri moris, *Maximam vitæ partem Deo tantùm & Angelis testibus transegisse?* Quid? nónne Paulus Arellus Victoriæ Sanseuerinæ Matris primi Ducis Vitrij arcanas confessiones audire se nolle professus est, quod minùs esset ex instituto? Nónne à maioribus vestris Neapoli Comes Briatici Sanseuerini, quum ad se illos ire vellet arcanæ confessionis causâ, quòd ipsâ valetudine minùs bonâ vtēs, ad templum ire non posset, repulsam tulit ob id potissimū; quòd dicerent, sibi horū ministeriorū causâ pedē efferre domo non licere? Id vobis iam licet; nusquā enim huiusmodi Eremiticæ rationes obtinent; sed hominum saluti, in publicâ ciuitatum luce, collocatis in earum frequentioribus regionibus domiciliis præclarā

XXXIV. *& Caracciolo:*

XXXV. *Ex Epistolisque.*

nam doctrinis tradendis distinemur, quod opus quidem bonum esse vis, sed *distractiuum*. Frustrà igitur ac parùm amicè de Nigrono quereris, quasi verò scripserit, Ignatium olim dixisse defecturos à sua vocatione Carafam, & Thienæum, quod ille nusquam scripsit, sic loqueris Animad. IX. *Quomodo ergo Paulo IV. non multò post Pontificiis infulis ornato, & Caietano Thienæo, cuius sanctitatem omnes venerabantur, dum summæ perfectionis opus aggrediuntur, Euangelicæ legis specimen, & ornamentum, defectionem, de qua nemo vnquam dubitauit, nec experientia eam contingere potuisse docet* (hoc enimuerò falsissimum est, docet quidem non contigisse, quam tu dicis, defectionem) *Sanctum Ignatium prudentia ac pietate conspicuum adscripsisse credendum est?* Aliud opinor, est, Castalde, quod Ignatium præuidisse aiunt, aliud, quod tu quereris. Mutationem aliquam factam vestrâ in Repub. palàm iam factũ est: Defectionem futuram à perfectione, nec ex Ignatio retulit Nigronus, nec quisquam nostrum omnino dixit, & temerè sanè loquutus fuisset, qui hoc dicere ausus fuisset. Nigronus quidem Ignatij dictum afferens, adeò disertè addidit, *Nisi ampliorem animorum procurationem exerceret*, mirari vt satis non possim te, conditione illâ dissimulatâ, vehementiùs in hominem inuehi, pérque illius latus Ignatium ipsum impetere, quasi dixerit Ordinem non duraturum, quod crudum sanè videtur, & ab experientiâ refellitur; Neque adeò infans erat Nigronus, vt etiamsi fingere voluisset, ista nõ videret. Verùm cum dixerit, non duraturum, nisi procurandis animorum cõmodis maiorem operam nauaret, idque sibi faciendũ maiores vestri censuerint; quid est, in quo se quisquam iure dicere possit offensum? Neque hîc dissimulauerim duarum huc pertinentium contradictionum iniuriâ Nigronũ à te accusari. Quasi verò Ignatiũ de vestra Religione, quã nõdum nouerat, vaticinantẽ inducat. Sed nulla est; sat enim ille nouerat, quòd statim se prodebat, Patres tuos ab appellatio ne

XXXVII. *Nec aliud scripsit Nigronus, falso à Castaldo accusatus.*

p. 77.

Anim. VII. p. 63.

ne *Eremitarum sancti Nicolai*, quâ Venetiis inclaruerant, parùm admodum esse diuersos. Nec benè aliarum familiarum, quæ vestrâ, adhuc ab hominum procurandâ salute remotiores, institutum, sartum rectum tenent, exemplo Nigronum vrges; Cur enim reliqua Ignatij dissimulatur sententia? Is eas familias deficere necessarium credidit, quas nec animorum quæstus, nec vitæ commendaret austeritas; nec proprij alerent reditus. Iam mihi vnam aliquam huiusmodi, quæ perennauerit, nomina, & vicisti: sed quæ nuspiam fuit, non reperies, & frustra quæras. Iam verò altera contradictio Nigroniana tibi est; quod Ignatius, si illi credimus, & Ordinem vestrum desiturum dixerit; & coniunctionem Ordinum reiecerit, quòd satiùs duceret vtrumque Ordinem in suo instituto perseuerare. Anim. IX. p. 78. 79.
Quorum dictorum cùm primum vt sine exceptione à te fingitur, falsò Ignatio affingitur; Et cum illâ, nihil à secunda discordat. Cùm enim vtraque familia quæstum animarum, vestrâ ex illius sententiâ aliquid mutante, factura esset, cum suis artibus vtramque facere ad Maiorem Dei Gloriam putauit pertinere vir sapientissimus. Porrò vtrumque dictum verum esse, ego, si per te licet, Ribadeneiræ, quæ oculis ipse viderat quæque ab Ignatio audiuerat, adfirmanti, quàm tibi qui adhuc nobiscum viuis, de antiquis rebus pro tua lubentiâ, vel diuinanti, vel inficianti, magis credam. At non magis testis vnus de visu vt loquuntur quàm centum de auditu æstimantur? An cum de alicuius verbo quæritur is qui se audisse testatur, ei qui coniecturis inficiatur præhabendus non est? Et tibi igitur, Castalde, Ribadeneira. Verùm dic, rogo te Castalde, quo magis animus à contemplatione rerum diuinarum auocari putas, audiendíne in arcana Confessione consceleratis, an disciplinis tradendis? Et profectò res mira est nos *homines ad secularia distractos*, & Ordinis longè quàm vester sit, vt tu loqueris, actuosioris, contemplationis magisterio nobiles haberi, domósque Anim. XIV. p. 141.

que nostras ab illis, qui solitudinem captare animúmque rerum diuinarum meditatione volunt excolere, frequentari, vt anno XL. huius seculi ad D. Andreæ in Quirinali, cùm ibi agerem, ad C. Ignatianis Exercitationibus fuerint exculti, tanta celebritate, vt nec Vaticanæ purpuræ splendor sit desideratus: Ac ne, in alios quidem hæc deriuari, dicas, sed quæ docemus, nos minimè facere; aio nullum ex mixti generis familiis plura nobis in hoc genere præstare. Et de tuo quidem Ordine palàm est. Ede enim, Castalde, legum vestrarum caput, in quo de secessu, de solitudine, de perpetuâ plurium dierum meditatione, atque contemplatione procul à publicis, procul à domesticis curis, ipso etiam litterarum studio seposito, caueatur. Edic mihi, si iis explorantur tyrones mensem integrum, cùm primum Ordini se addicunt? Si eodem sæpiùs probantur; si reliqui omnes singulis annis vtuntur per dies octo? si sexto quoque mense adolescentiores triduo eidem operam dant? Si cùm sacramentum primum exacto probationis biennio, si cùm solemni more dicunt luce palàm profitentes? Si cùm sacris primò debent operari idem repetunt contemplationis otium hebdomadam integram, plurésve dies secedentes, quò sibi tantùm vacent & Deo? vt hoc feceris, quod postulo, aliquid ego ampliùs per otium videro; nam licet non doceatis in Gymnasiis, si perpetuò vos contemplari persuaseris, tunc te Suadæ medullam vorâsse dicam. XXXVIII. *Societas ad contemplationem erudit.* XXXIX. *Et ipsa plurimum incumbit.*


Cùm igitur, & solitudinis admodum amantes maiores vestri fuerint, & quâ nunc, non eâ olim operâ & celebritate, Rempublicam animorum attigerint; reliquum est verisimile nullo modo esse, Ignatium, qui velis remísque ad procuranda proximorum commoda ferebatur, ab eâ sanctæ solitudinis quiete illectum fuisse. Tum illum prudentissimè, quid olim à vobis faciendum esset præuidisse, quod mihi contra Castaldum, & pro Nigrono palàm hac Interrogatione faciendum fuit. XL. *dictorum conclusio.*



INTERROGATIO DECIMA SEXTA, DE PAVPERTATE.

Ignatium excellentiâ Paupertatis, quam Theatini profitentur, allici potuisse, quod Castaldus dixerat in suâ Epistolâ, & Nigronus negauit, minùs verosimile fuisse ostenditur.

I. *Castaldus acerbior in Societatem Iesu.*



VÆRO ex te, Ioannes Baptista Castalde, quùm ad scribendum de tui Ordinis, nostræque Societatis paupertate aggrediebaris, an tibi propositum fuerit Societatem hanc minimam clàm, palàm maledictis proscindere, & quæ Dominus illi contulit Euangelicæ paupertatis ornamenta, quibus demum cumque posses machinis diripere: an quod virum Theologum, atque Historicum decebat, de illâ quæstione, cuius olim Molphesius tuus semina iecerat, minus cautè asserens, *Domos nostras Professas pauperes esse ab extrinseco*; túque tuis coniecturis promoueras, & Nigronus profligauerat, diligentiùs disputare, hominémque erroris arguere? Si enim primum illud voluisti, & sine caritatis iniuriâ fieri potuit, habeo caussas tibi gratulandi, quòd strenuè id conatus fueris; verùm quoniam id tibi vel ab amicorum aliquo temperatioris ingenij admonito, vel ipso temporis tractu, refrigeratum iam animum violatæ charitatis pœnitentiâ subeunte, dolere non dubito, nullus iam gratulationi, sed dolori ac veniæ locus est. Doleo enim ea

Anim. XIII.

In Diss. n. 65 71. 76. 77.

ea te ſcripſiſſe, quorum te in ſinu pœnitere, quippe qui caritatem ames, minimè negabis: veniam verò totius Ordinis mei nomine dare me poſſe cõfido: Hæc quippe noſtra Societas, à ſuo exortu maledictis audiendis aſſueta, valido didicit experimẽto, illa nihil ſibi obfuiſſe, ſed profuiſſe quamplurimùm. An verò maledictis egeris, & conſcientiam tuam, & Lectoris iudicium appello. Ego certè adeo ſtipes non ſum, vt quid palàm dicas, quid clanculum carpas, non videam, non intelligam: Si verò ſecundum ex his duobus, de quibus interrogaui, agere voluiſti; tunc, quod bonâ tuâ veniâ dictum velim, te nihil omnino egiſſe pronuncio. Quod quàm verè à me dicatur, vt intelligas, age, propiùs de paupertatis perfectione tecum congrediar, efficiámque, niſi mea me vehementer fallit opinio, non eam eſſe, quam nobis perſuadere conaris.

II. minùs verè de paupertate ſentit.

Quæro enim ex te, an non mihi concedas, tum rem magis abſolutam, perfectámque cenſeri, quùm magis, vt cum ſcholis loquar, de ſuâ formâ participat, eíque arctiori quodam vinculo alligatur? Non negabis, vt qui ſcias niuem ac lilia alba maximè exiſtimari, quoniam albitudinis nihil, quod illis addi poſſit, ſupereſſe videatur.

III. eſſentia rerum in quo conſiſtat.

Interrogo te vlteriùs, in quo vim, abſolutionem, eſſentiámque Paupertatis ſitam eſſe arbitreris? nam de illâ, ac ſi res aliqua eſſet, quæri oportet. Haud dubito te cum ſapientibus dicturum, in vacuitate abſolutiſſimâ bonorũ omnium, quorũ vani homines arbitram fecère fortunam, quæ hominem circumſtant, & ab illo poſſidentur. Quæ quùm rectiſſimè dixeris, tum ego illud iure conficiam; vbicumque maior ab omnibus bonis temporalibus, externíſve vacuitas fuerit, ibi abſolutiorem paupertatẽ eſſe oportere. Tum illud mihi aſſumã, quod nemo ſapiens negauerit ibi maiorem eſse vacuitatem, quæ numquam, nullóque iure poteſt repleri, quàm vbi libero nulliſque robuſtioribus vinculis adſtricto pendet ab arbitrio; nam illud ipſum, poſse

IV. Paupertatis eſt ipſa vacuitas.

impleri, aliquid eſt, quod adhuc vacuari, & pretio æſtimari poteſt; ideóque abſoluta vacuitas non eſt.

V. *quæ apud Clericos Regulares ſumma non eſt.*

Age nunc, Caſtalde, conferamus tuam cum Minorum, aut etiam noſtrâ Paupertate; quamquam vereor, ne hoc tibi ſtomachum moueat, ſed conferamus tamen. Quod vt facilius fiat víſne Conſtitutionum veſtrarum partis II. cap. I. particulam inſpiciamus? Recitetur. *Etſi neque per Profeſſionem, neque per ſacros Canones prohibeamur annuos redditus in communi poſſidere; per Concilium autem Tridentinum id nobis ſit conceſſum; nihilominus (voluntariè tamen, vt nullo vnquam vinculo adſtringamur) ab illis abſtineamus, quo à ſecularibus negotijs liberiores*, &c. Horum verborum conſequens maniſeſtiſſimè dixit eſſe Nigronus; vos *Poſſidere bona immobilia poſſe, ſi velitis.* Quod tu dictum acriùs reprehendis, quaſi ad *diſtortam conſtitutionis interpretationem, ſed inutiliter confugerit.* Quod valde miraris in homine *inter primarios Grammaticæ Profeſſores enutrito, diúque verſato*, quaſi *ſimplicia conſtitutionum veſtrarum verba non penetrauerit.*

Anm. XIII. p. 116. 117.

Diſſert. num. 71. Anim. XIII. p. 117.

VI. *Vt liquidò ex illorum Conſtitutionibus probatur.*

Sed audi Caſtalde, ne vnius Nigroni admirationi tibi ſit tarditas, ego eorumdem Grammaticorum alumnus, & Grammaticæ olim magiſter, in quo Chriſti cauſsâ glorior vehementer, paratus, cano etiam capite, pueros docere, aut ſi quod adhuc tibi deſpicabilius eſt miniſterium, tradere, Ego, inquam, Nigrono accedo, vt me cum illo irrideas. Tum Orbilios, Gniphones, Nicanores, Opiliones, Catones, Epicadios, Verios, Agellios, Vallas, Clenardos, Emanueles, adde etiam Scioppios omnes hîc appello, & tibi ridendos propono: omnes enim Nigrono accedant neceſſe eſt.

VII. *poſſunt enim, ſi velint poſſidere.*

Negas? at id iam fateberis. Quæro enim, an non ſimplicia ea verba ſint, hoc eſt, ſine fuco, ſine dolo malo ſcripta? ſunt. Aítne Nigronus *Poſſe vos poſſidere, ſi velitis?* ait. Et falsò hoc ait? falsò. Non ergo poteſtis poſſidere, ſi velitis? Nō poſſumus? Ergo vinculo aliquo

quo ligati estis? non sumus. Ergo liberi? sumus. Potestis igitur, in quo alio enim libertas consistit? Aliud longè est, mi Castalde, sponte vinculis esse alligatum, aliud nullo omnino vinculo vos teneri, quod Constitutio docet. Illud primum post dictum votorum sacramentum, Religiosorum omnium mendicantium est, qui te auctore, proximo à vobis gradu distant, quorum secundum est. Annon voluntariè abstinetis, nullo vinculo adstricti? Ergo eâdem voluntate possidere vobis liberum est? Quid ais, Castalde? Audio: Constitutionibus prohibemur. De his ego te rogo: Iniiciúntne vincula necne? Non iniiciunt: Nulla igitur grauior religio eas impedit mutari? Nulla. Ergo mutare potestis? possumus. Et hoc voluntariè? Ita sanè. Si igitur non mutatis, voluntariè facietis? consequens est. Quî ergo negare potes, Castalde, *Vos possidere posse, si velitis*, qui nullâ religione adacti, nullo vinculo constricti, voluntariè non possidetis? Si eadem Collegiorum, ac vnius hominis ratio est, eadem hæc vestra paupertas illi est, quam Io. Auila in Hispaniis, & Io. Baptista Vitellius Fulgini, & Philippus Nerius Romæ coluerunt. Nihil omnino possidetis, nullo iure, nullâ voti religione, nullo vinculo adstricti, sed animi validâ inductione, quàm vt mutare pro libito vnusquisque horum poterat, ita tota vestra Congregatio potest. Quæro hîc præterea, si domus aliquâ ex *Capitularium* voto possidere velit, validéne ac licitè possidebitur. Quidni enim? Quo iure à possessione depellitur? quâ religione prohibetur; si neque per Professionem, neque per sacros Canones prohibemini? At constitutiones? at eas non obstare Panormi, Capuæ, alibi docemur. Sed quid Constitutiones appello? Tu ipse in vitâ Caietani de hac vestrâ paupertate magnificè disputans disertissimè ais, *Nouos paupertatis mundos, antiquis quidem Patribus notos à suis Clericis quæri voluisse Caietanũ, absque vllâ tamen obligatione, quæ illos adstringat*, quæ postrema verba ne quis negligentiùs legeret, parenthesi inclusisti. Quamquam

VIII. *vt poterat Philippus Nerius, aliíque.*

IX. *Et fatetur Castaldus ipse.*

cap. 4.

nouos hos Mundos esse Demetrius Cynicus Senecæ laudatus negabit, cuius sententiâ, si illo recuperatore vteremur, vincere poteras. De Vitâ Beatâ c. 18.

XI. *Tridentinũ frustrà appellans.*

Quæro præterea, quid vobis concesserit Concilium Tridentinum. Vetitúmne vobis tunc erat possidere, an non? Vetitum? arctiorine iure, quàm nunc, an eodem: si eodem, nihil opus concessione, vbi iure licet: si arctiore; aliquid mutatum est. Societas nostra Professa adeò vacua ab omni dominio est, (si domos ac templa, ac vnius fortasse hortuli agellum excipias, cuius quidem olera, & poma esse possumus, sed vinum messémve colligere non possumus nec illis distractis hortulanum pretio alere) adeo, inquam, ab omni dominio aliena est, vt & vi Instituti, magnâque voti religione adacta, eiusdem capax esse non possit; absolutissimè igitur vacua est, quippe quæ à potentiâ etiam capacitatis voto atque instituto arceatur, nec sine scelere id tentare possit Quotquot enim Professi sumus, siue tria, siue quatuor vota solemnia emiserimus, voto insuper adigimur numquam passuros nos, eorum, quæ de Professarum Domorum paupertate sancita sunt, quidquam laxari. Ergo vacuitas cuiuscumque dominij nobis profectò iam libera non est, sed necessaria; nisi violatæ voti religionis rei esse velimus: Vobis bona immobilia possidere per Professionem vetitum non est, quod disertis verbis Constitutionum vestrarum p.2.c.1. asseritur. Nobis per Professionem id non licet, quia eam profitemur paupertatem, quæ in Constitutionibus præscribitur, quæ dominium omne excludit: Vos *voluntariè, & nullo vinculo adstricti*, quod ibidem habent constitutiones bona immobilia non possidetis; nos votorum vinculo ab eâ possessione submouemur: vos quia id voluntate facitis, si in comitiis vestri Ordinis placeat Constitutiones paululum immutare aut abrogare, quod nullo iure facere prohibemini, iam possidere poteritis iure quàm qui optimo; quum Tridentino Priuilegio non renunciaueritis. Neque de hac re dubitat doctissimus Constitutionum

XI. *Societatis Professæ vacuitas.*

XII. *nec iam libera sed voto firmata.*

XIII. *Cuiusmodi Clericorum Regulariũ non est.*

Pereg. in proœmio Const. n. 4.

Constitutionum vestrarũ interpres Alexander Peregrinus; qui cautissimè etiam in Commentario par. 2. c. 1. non dixit *possidere non posse*, sed *non possidere*; quamuis capaces sitis succedendi in annuis redditibus, quod antea ab eodem traditum fuerat in *Priuilegiis Ordinis*; Nos nullo vmquam tempore laxamentum hoc possumus admittere, quippe qui voti sãctitate adstricti, quod ad essentiam instituti pertineat. Domus vestræ succedunt ab intestato in bonis suorum professorum, vt lego in Peregrino: Nostræ non succedunt; imò neque Collegia ipsa vllum in suorum bonis successionis ius habent; eadẽ libertate paupertatis Euangelicæ & Professorum, & non Professorum hæreditatibus renuntiauimus, quæ ad propinquos deuoluuntur. Quis ergo neget maiorem apud nos vacuitatem esse, quàm apud vos, cùm nos de non capacibus capaces fieri nullo nostro iure possimus; vos, si velitis, iure optimo possitis? At si maior hìc est vacuitas, maiorem paupertatem esse ne dubites; Nam paupertas eadem vacuitati est. Si hæc in Auellanarum nobili Syluâ Plateensi in Siciliâ considentes, vel in pascuis campis Lupiensibus in Apuliâ ambulantes, vel in publicis ædibus prope mensas publicanorũ publica vectigalia Catanzarij redimentiũ, vel certè in Latifundio Figarassarũ (locum fac esse in campis Gurgustidoniis Plautinis) desidentes disputaremus, id ego dulcissimè adhuc tibi demonstrarem. Sanè Minores, qui absolutissimam paupertatem profitentur, aut Capucini, qui, vtpotè ostiatim stipem emẽdicantes, ab illo summo paupertatis culmine, quò tuos euasisse gloriaris, te quidem iudice, adhuc absunt, latifundium illud xxx. iam ampliùs annos non possidẽt; ac ne quidẽ hæreditate cepissẽt. Nos ipsos, quos tu præ te, tuísque contẽnis, statim vendere oportuisset; quod statim vt longissimè producas, ad decenniũ nõ extendes. Neq; enim te, qui adeò in iure versatus videri vis, vocẽ *statim*, aut *quamprimùm* ad xxx. vsq; anos extensurũ arbitror; nam hoc certè grãde humani æui spatium est. Sed vereor ne hæc Figarassarum dulcitudo tibi bilem moueat. Quare abstineo de illis vlterius quærere.

In Priuil. lit. F. 2. p. tit. Heredit

XIV. V. experientia patet.

Ex publicis documẽdis.

Anim. XIV. p. 133.

Neque Honofrij de Palmâ, Neapolitani Aduocati ex acerrimâ de vestrâ paupertate disputatione, quidquam decerpo, neque enim omnia eius dicta mihi probantur,& pleraque vehementiùs dicuntur, quàm vt meum sit imitari:Puto te illam vidisse,Castalde, & Neapoli edita in manibus est.

XV. *Capucinorũ paupertas absolutissima.* Verùm quoniam de Capucinis mentio illata est, quos Christianæ Paupertatis Consules in nostris variæ virtutum Historiæ libellis verissimè appellauimus, quæro ex te, Castalde,an illorum tuam paupertatem audeas præhabere?Caue facias; magno enim generis humani conuicio vapulabis. Sed non facturum te scio:Quî ergo dicis, vos in apice Euangelicæ paupertatis consistere? Quid toties repetis, quod Franciscus Panigarola vir humanissimus, atque vrbanissimus dixisse fertur,vos Clericos esse D.Francisci? Suósne ille agnoscat, qui hæreditates capiunt?qui latifundia, etiã vt vendant,possident per VII.iam Olympiadas?qui de illorum iam venditione atque emptione iure experiũntur?Quis credat? Certè non ego, qui sciam illam genuinam Francisci sobolem, nec palmum quidem soli vsquam terrarum possidere, nec hæreditates vllas capere, nec de legitimâ nomen profitentium portione,accuratè pacisci, nec in illorum iura transire: nec ad census perpetuos ius illis esse, quod tibi tuas per Constitutioues licet. Quis iam possit culmen montis ascendisse, ex illôque altissimo iugo cæteros despicere,qui per eius ardua nondum enixus est?Quanto cautiùs,quum de nostrâ, & Minorum paupertate ageret, locutus est Sanctius in eo libro, quem suprà laudaui; docens eas inuicem excederi, atque excedi, ídque probauit, vt apud eum videre potest? Sed res nostras proprias agamus; est enim aliquid aliud, de quo, antequàm de stipe emendicandâ disputem, te interrogatum velim;nam ad paupertatis absolutionem nonnihil conferre magnis viris videtur, & res ipsa demonstrat.

[Margin: Anim. 14.p.141] [Margin: Tom. 1 in Decal. lib 7. cap. 17.]

Quæro

Quæro enim ex te, Castalde, an putes ad aliquam paupertatis absolutionem perfectionémque spectare, non posse homines nostros assumi ad Episcopatum, aliúdve Beneficium curatum, etiam de superiorum suorum licentiâ, nisi supremum accedat illud imperium, quod nullo inferiorum voto potest imminui? Sanè Sanctius eodem in libro id paupertatis interesse verissimè putauit; est enim ea facultas pretio æstimabilis, quod nemo non videt. Vestris autem hominibus id fas esse, magno Reipublicæ bono quotidie videmus; plurimi enim Episcopi fiunt; & Abbates fieri posse, docuit nos Fulgentius Gemma, Abbas Sanctæ Barbaræ Mantuæ vir humanitate atque eloquentiâ nobilis, quem honoris caussâ nomino. XVI. *Dignitatũ repudiatio voto firmata pertinet ad paupertatem.* cap. 27. num. 30.

Quæro rursum, an eleemosynas pro Missarum celebratione accipere paupertatis quidquam interesse putes? At nos accipere prohibemur: quid vobis iuris sit, ego nescire me fateor, accipere enim non modò, sed etiam petere, tam mihi certum est, quàm liquidò constat hîc Mediolani viros ex vestris domo ac Religione nobiles ad D. Fidelis, vbi nos habitamus, sæpius adiisse rogatum sacræ ædis Præfectum Bernardum Ianuarium, quem dum hæc ipsa compono, præsentem habeo; vt quoniam nobis quidquam pro sacris faciendis capere integrum non esset, si qui vltrò eleemosynas eâ de caussâ conferre vellent, illos ad se mitteret, acceptúmve ab illis argentum daret; haud leue domesticis angustiis ex eâ sacrâ stipe leuamentum parari. Quod non ideò ego commemoro, vt te mendacij arguerem; fortè enim aliquid mutatum est. Sanè quidem reliquas tu laudes inter, nouitatésque reponis: *Nihil pro altaris ministerio accipere;* quæ nouitas iam planè exoleuit. Et syngraphas quidem receptæ pecuniæ si fortè inspicere velis, exhibere non dubitabo. Sed vt luce clariùs ostendam, quos adeò despicis, in hac ipsâ Paupertatis contentione non vno nomine antistare; neque abs XVII. *Et multo magis nihil pro ministerio altaris accipere.*

re scripsisse Emmanuelem Rodericum Societatem hanc non solùm in paupertate, sed in extremâ necessitate in Domino tantùm confidentem consistere videri; de communi vsu rerum adhuc quæro; nam memini me Genuæ ad S. Syri cum Præposito eius Domus V. C. familiariùs agentem, quærentemque quî tot capita aleret, quantúmque pecuniæ in vestiarij rationem inferret, ab illo audîsse; exiguum id omnino esse, nam quamuis plurimi domi essent, ac pro modestia religiosa satis honestè induti, eorum tamen plerisque, quippe domi nobilibus, à consanguineis vestes submitti, quibus vterentur; eâque largitate domesticam paupertatem faciliùs tolerari. Hoc ego non accuso; sed apud nos aut per leges licere, aut in morem inductum esse pernego. Verùm vt tandem de ipsâ Mendicatione videamus,

Tom. 1. qq. Reg. q. 2. a. 2. v. Prima Conclus.

XVIII. *Nec à cognatis vestes accipere*

XIX *Mēdicatio Paupertati iam constitutæ accedit.*

Quæro ex te Castalde, quùm Paupertatem in vacuitate diuitiarum ac dominij consistere iam constitutum sit, mendicationem autem ad rerum vsum comparandum referre sit necesse, an ad illius absolutam perfectámque essentiam quidquam eam putes pertinere, an potiùs illius additamentum ornamentúmque esse arbitreris? Hoc ego secundum tibi viro docto & acuto placiturum non dubito. Antequam enim de rerum necessariarum vsu contemplemur, per absolutam vndecunque vacuitatem *incapacitatémque* vt aiunt, dominij ac diuitiarum, pauperem Euangelicum habemus, cui, si ad eam se vacuitatem adegerit, nihil de essētiâ desit Paupertatis. Priùs enim pauperē esse hominem oportet, antequàm siue stipē petēdo, siue à Deo necessaria subsidia expectando, de victu cogitet, atque vestitu: ergo ista cogitatio, quomodo demumcūque suscipiatur, constitutam iam paupertatem, nisi rerum ordinem, naturæque consequentiam perturbare velimus, sequi necesse est. Etenim ista nobis prouideri possunt, vel bonorum dominio, & vsufructu, vel vsu tantùm qui vel stipe corrogatâ, vel vltro

datâ

datâ poteſt aquiri: quæ duo poſtrema, quùm diuitum non ſint, pauperum eſſe neceſſariò conſequitur. Ergo priùs diues non eſſe debet, qui de illis vult cogitare; quod idem eſt, ac dicere, Paupertati iam conſtitutæ hæc accidere, vt ornamenta; Ornamenta dixi, non detrimenta; nam eam vacuitatem bonorum hîc Paupertatem appellamus, quæ ab indigentiâ diſiuncta non eſt, quam Latini mendicitatem dicunt, cuiuſmodi in beatis mentibus ab hac mortali concretione ſeiunctis non reperitur, quas nemo, niſi exornationis cauſsâ, pauperes appellauerit.

XX *Vt ornamentum illius proprium.*

Quærendum igitur mihi ex te eſt, Caſtalde, vndenam maius rebus ornamentum accedere putes, à cognatiſne, & quæ quadam ratione propriæ ſunt; an ab illis, quæ & longiùs abſunt, & aliis multis æquè conueniunt? Rem haud dubiam quæro. Carbunculo enim eximio, quem gemmarij noſtri *Rubinum* eſse plerique contendunt, plus gratiæ additur, ſi aliis gemmis, quæ eius peculiari quadam ratione ardorem excitent, ab aurifice coronetur, etiamſi minoris notæ auro claudatur; quod hoc genus ornamenti gemmis omnibus, vilioris licet indicaturæ, commune ſit. Haud aliter hîc fieri exiſtimandum eſt. Virtutes enim plures Paupertati congeneres mendicando exerceri quis neget? Et humilitas quidem, quam geminã paupertati eſse Chriſti Domini Oraculo quùm primã beatitudinem Paupertatem laudat, ſanctorum magiſtrorum auctoritate docemur, ſtatim ſe prodit; quàm enim ſe alteri ſubmittit, qui ab illo opem, auxiliúmque petit? Quis vnquã ſuperbiæ inſtinctu alterius opem implorauit, vt viuat? ac non poſtulare, ſuperbiæ & contumaciæ imputandum videri, ſi quis ideo malit egere, quàm petere, ne illo, à quo ferri poteſt auxilium, minor eſsę videatur, quis dubitat? Ergo humilitas intrinſecus petendo exercetur; quæ laus non petenti non contingit, quùm id aliquando hominis ſuperbi eſse poſſit, qui malit emori, quàm

XXI *Vt humilitatis plurima.*

XXII. *& toleran tia aliarũ-que virtu-tum ex D. Thoma.* cuiuſquam ope ſubleuari, atque eapropter minorem videri. Adde patientiam validiſſimè probari creberrimis repulſis, quas ferre ſit neceſſe in tantâ ingeniorum diſſimilitudine, quæ ſæpe graues habent contumelias, & probra, niſi patientia Chriſti firmaretur exemplo, non ferenda. Longum eſſet ire per ſingula.

Sed age, Caſtalde, quid tibi venit in mentem, Nigronum, vt falſum accuſare, quaſi per craſſam ignorantiam, aut impudentem dolum Thomam ſui dicti laudauerit auctorem, apud quem tamen, *Neque in Summa, neque in Opuſculis* inueniri, quod aſſeritur, negas? Hoc enimuerò, vel Nigroni flagitium eſt, vel tua oſcitantia. Conferamus teſſeras. Quid ais Nigrone? *Exiſtimabat* (Ignatius) *cum Sancto Thoma, & aliis Chriſtianorum officiorum magiſtris, plures virtutes exerceri mendicando quàm abſtinendo à mendicatione: nimirum humilitatem, patientiam,* &c. Quid tu, Caſtalde? Aio: *Apud ſanctum Thomam, neque in Summa, neque in Opuſculis inueniri, quod aſſeritur.* Dic ergo, quo in Thomæ libro tibi reponatur Articulus 5. Partis 2. 2. q. 186. At ibi Theologiæ Sol exertè ſcribit: *Cauſsâ humilitatis aliquos laudabiliter mendicare.* Si Arabicè Theologus loqueretur, aliqua tibi eſſet excuſatio; verùm in hac tanta luce, quis niſi volens cæcus ſit? Agit, & de aliis virtutibus, eaſque certis notis delineat, quamquam omnes, quas appellat, à Theologo enumerari nuſquam dixerit Nigronus, Sed carpendus, & vellicandus tibi erat.

Anim. XIII. p. 119. Differt. Hiſtoricæ. §. 76. 2. 2. q. 187. a 5.

XXIII. *Cui accedit etiam ſpes.* Vnâ igitur ſpe, Caſtalde, niti videris; ſed huic nihil officit omnino nos vnà adlaborare, vt diuinam beneficentiam eliciamus. Quid enim obſit ſpei circa viliorem ſui *obiecti* partem agitanti, quod in ſupremâ illâ intentæ, tantùm abeſt, vt aliquid ſplendoris detrahât, vt etiam plurimùm iuuet, ne in

Anim. XIII. p. 135. & Anim. XIII. p. 120.

in temeritatem amentiámque degeneret? Quæro enim, Castalde, si quis magnâ, suo quidem iudicio, spe nixus, re autem verâ temeritate præceps, ita sibi beatitatem Dei largitate obuenturam crederet, vt sibi laborandum pro eius consequutione minimè censeret, sed precibus tantùm, ac votis agendum putaret, hunc tu hominem spei alumnum diceres? Rursum minorîne spe præditum arbitraris, qui mendicat, quàm qui vltro oblatâ stipe sustentatur? Ego non vsquequaque rem hanc clarè constare puto, arbitrórque tam auium iam volantium, quàm pullorum coruinorum similitudine nos ad collocandam in Deo spem nostram excitari; aues verò mendicantium esse symbolum, quoniam discurrunt, & satagunt: coruinos pullos non mendicantium, quoniam solis gemitibus, si ita loqui volumus, Deum inuocant. Animantes autem omnes à Deo expectare, *vt det illis escam in tempore opportuno*; magni Dauidis oraculum est. Psalm. 144.

XXIV. *contra quã faciunt qui à Deo expectant prætermissâ propriâ actione.*

Quæ verò cum Christianæ prudentiæ officiis maximè conueniat expectatio, ex Theologo fortè didicerit Ignatius de hac ipsâ re disserente: *Expectare à Deo subsidium, in quibus se aliquis potest per propriam actionem iuuare, prætermissâ propriâ actione, est insipientis, ac Deum tentantis. Hoc enim ad diuinam bonitatem pertinet, vt rebus prouideat, non immediatè omnia faciendo, sed alia mouendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum à Deo, vt omni actione propriâ, quâ sibi potest subuenire, prætermissâ, Deus ei subueniat. Hoc enim diuinæ ordinationi repugnat, & bonitati eius.* Patierísne igitur, Castalde, nos omnes mendicantes diuinæ bonitati, atque ordinationi non repugnare? Quamquam nec vos repugnatis; domesticas enim necessitates exponere nusquam prohibemini, aliíque

lib. 3 cõtra gentes, cap. 134.

 petunt

petunt, quamuis odioso Quæstorum nomine proscripto.

XXV. *Augustini auctoritas defenditur.* Quod si nobilem illam Alphonsi de Castro, quam Nigronus attulit, imò Augustini in Psalmum C V I I I. Mendicitatis definitionem (Necessitatem suam per se, siue per alios aperire,) ea de caussâ reiicis quòd *Quædam quandoque Patres dicunt per similitudinem, non per proprietatem*, satis me apertè doces, quonam pacto Chrysologum interpreter, cuius recitato testimonio triumphum canis in hæc verba: *Contrarium ergo affari quàm tutum sit qui legit intelligat.* Quamquam quid mihi opus sic Chrysologum interpretari, quem alia agentem in caussam trahis? Quid enim Chrysologus? Irascitur hominibus *tot & tantis voluminibus* caueri non credentibus. Rectissimè: verùm dic, sodes, vbi non mendicantibus potiùs, quàm mendicantibus cauerit Deus? Nam quæ ex Diuinis oraculis in medium affers, nouerant opinor & Franciscus, & Dominicus, & Bonauentura & Thomas, qui tamen, nullâ reiectæ in Deum spei iniuriâ, mendicabant. Exempla porrò Beatorum Marinoni, & Caietani ego quidem suspicio atque exosculor, sed secundi factum tuam caussam non firmat. Nam alios, ex mendicantibus viros sanctimoniâ claros duram inediam passos arbitror, non illico indicatâ hominibus quâ vrgebantur necessitate. Rursum Magna Virgo Deipara non alterius nomine, non à sponsis rogata filio suggessit, *vinum non habent*, sed propriæ miserationis instinctu; ob quam illius exemplum quum ad rem non faciat poteras dissimulasse.

D. ssert. § 20. n. 77. Anim. XIII. p. 118.

XXVI. *Et Chrysologi explicatur.* Ibid. p. 117.

Ibid. p. 128.

XXVII. *Locus Climaci falsò à Castaldo allatus.* Quæro ex te Castalde, vbinam legeris in Climaco, quæ Animaduersione X I I I. magnificè recitas? Sunt autem huiusmodi: *Quare sicut maioris est perfectionis non rogatum dare; sic maioris vtique perfectionis est, nequaquam hominibus necessitatem suam aperire; sed diuinam misericordiam expectare.* Narro tibi Castalde. Illustris, exertúsque mihi pro tuâ sententiâ visus est locus & quamquam olim Climacum legerem, & nihil huiusmodi memineram; p. 130.

memineram; fugienti tamen memoriæ fidere nolui. Legi itaque denuò, semel atque iterum, quem in margine appellas Gradum XXV. cui magnus ille Abbas titulum fecit: *De victrice omnium passionum humilitate.* Et aut ego lippientibus oculis sum, qui tamen satis adhuc acutè vident; aut tibi à senio caligant, aut indiligentibus sociis vsus es. Aio nullum verborum illorum eo loco à Climaco scriptum haberi, & codicum fidem appello. Scio quid Gradu XXVI. scriptum reliquerit nobilis ille cælestium scalarum artifex; sed longè aliud est ab eo, quod apud te lego. Audiamus Climacum. *Piorum quidem*, inquit, *est omni petenti dare; magis verò piorum etiam non petenti tribuere; ab eo autem, qui tollit à se aliquid, non exigere, cùm maximè id possint, illorum tantummodo proprium est, quos nulla tangit perturbatio.* Hæc Climacus. Vbinam est tuum illud *quare* in quo tibi triumphare videris? Fac per typorum indiligentiam iisdem, ac Climaci verba characteribus ea ibi legi, quòd vltrò concedam (hanc enim veniam petimúsque damúsque vicissim;) reliquum igitur est, vt tua sint. Quòd si fateris, vide quâ consequutionis lege vsus sis, mihi enim vnum ex alio consequens non est. Age: Sic Enthymema effingamus. Magis pium est dare non petenti, quàm petenti: Ergo magis pium est, non petere. Logici vestram fidem! Sed clamitas me malâ fide agere, aut certè in Climaco minùs esse versatum, qui aliquid ex illis, quibus consequutionem tuam concinnas, eius esse negauerim. Quid enim? Non gradu XVI. in quo de auaritiâ disserit, disertè ait, Nudum Monachum, quem, quia Deo se credidit, totius mundi Dominum vocat, etiamsi egeat, ab homine non petiturum? Fateor; ait enim: *Non dicat homini necessitatem suam, sed quæ offeruntur quasi de manu Domini accipiat.* Hæc ibi Cælestis Scaliger. At vbi aliquando docuit *Maioris*, vt tu loqueris, *perfectionis*, hoc esse, quàm petere? De Climaci porrò sententiâ, ne cui lateat, scire licet, ita scalas illas ab ipso fuisse compactas;

pag. mihi 243. [left margin, beside "cum. Piorum quidem"]

XXVIII. *Nec satis ad rem.* [right margin, beside "Hæc Climacus"]

pag. mihi 181. [left margin, beside "Domini accipiat"]

compactas; vt perfectioribus, absolutioribúsque gradibus continenter attollantur. Itaque dum de Humilitate disputat, quàm de Auaritia differens, sublimiora depromit. Ex eo igitur Gradu XXV. in quo tibi stare videbaris, luculentissimis verbis deiicit te Climacus,

XXIX. *Vera Climaci mens.* quæ operæ pretium sit audire. Sic ait: *Humilitatis nerui, ac viæ sunt non signorum manifestatio, sed nuditas rerum omnium, inuisibilis peregrinatio, sapientiæ cauta occultatio, pronunciatio varietate carens, eleemosynæ quæsitio: Nihil enim, vt paupertatis status, & Mendicorum vitâ viuere, animam humiliare aliquando potest.* Audísne mendicationem semel atque iterum inter præclara Humilitatis vt commemorat, quibus vt corporis coagmentatio neruis, maximè continetur? Quid igitur opus fuit Climacum testem producere, cuius testimonio tua affligitur caussa? Sed vlteriùs

XXX. *Chrysologus extra caussam citatus.* Quæro ex te, Castalde, quid demum grandi illo supercilio tibi velis, quum de Dei fide, quæ neminem vnquam fefellit; adducto Chrysologi testimonio, seuerè pronuncias *Contrarium ergo affari* (hîc etiam habent, quod tecum rixentur Grammatici subtiliores) *quàm tutum sit, qui legit, intelligat?* Quis enim vmquam Nigronus contraria Chrysologo effatus est? Credere nos Deo debere docet aurei sermonis Antistes: Credimus & nos, qui mendicamus. Quare, nisi cum laruis lucteris, aliquid te assumere necesse est huiusmodi: At Deus non mendicantibus pauperibus minimè se defecturum pollicitus est; quod ex diuinis oraculis non exculpes: Nam quæ de diuina in pauperes prouidentiâ densiùs in medium affers ex Psalmo 54. ex 1. Petri Epistolæ cap. 5. ex Ecclesiastici

Anim. XIII. p. 127.

XXXI. *eius mens.* cap. 2. verissima quidem sunt; sed ab his mendicationem explodi, adhuc tibi probandum est (quod facies nunquam,) vt illis ad non mendicantium auxilia peculiari aliquâ ratione Deum teneri conficias. Cur igitur nobis grandibus illis verbis obnuncias: *Qui legit, intelligat?* Interea moneo, collato pede cùm disputamus,

Ibid.

mus, testium verba pressiùs esse examinanda. Quamquam enim quæ concionabundus de tuæ paupertatis laudibus congeris (etsi non pauca alienissimis sensibus afferri video) facilè dissimulem; Chrysologum tamen datæ pauperibus à Deo fidei testem laudare non debueras; qui de eleemosynæ præmio vsu ráqueagis, quod ad rem nostram non facit.

Ibid. p. 137.

XXXII. *Bonauentura testimonium.*

Sed quæro adhuc ex te, quid responsi demum attuleris, vt Bonauenturæ ictum declinares; num eius verba secundùm Nigronum de paupertate ex Francisci sententiâ pronuntiant? Recitentur. *Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus ostiatim quæsitis vtebatur libentiùs, quàm oblatis.* Hæc Bonauentura. Cui acutissimè, vt tibi videris, Thomam obiicis docentem, *Non omnia supererogationis opera à quolibet sancto exerceri præceptum esse.* Mitto inconcinnitatem sermonis, neque enim supererogationis opus præcepto cõprehenditur, quod si fiat, supererogationis iam non est; nec magnus Aquinas tam oscitanter loquitur. Audiatur. *Nullus est, qui omnes supererogationes possit implere; cùm vnus in vna, & alius abundet in alia.* Vbi hîc præcepti mentio? Verùm, vt hoc mittam, aio, te nihil ibi ad rem dicere. Non enim eâ gratiâ Francisci exemplum vrgebatur à Nigrono, vt oblatis tantùm vti ad paupertatem spectare negaret, quod illi numquam venit in mentem facere; sed vt emendicato illam libentiùs victitare conficeret. Quod Franciscum sensisse, si Bonauenturæ vlla est reuerentia, qui Latinè intelligat, ierit inficias nemo. Age? si quis ita loquatur, Titius ob Sanctæ Castitatis amorem maluit Virginitatem colere, quàm matrimonio illigari; hunc tu aliquid interius esse Castitati Virginitatem, quàm Nuptias, sensisse, quî poteris negare?

lib. 1. vitæ cap 7.

XXXIII. *cui Castaldus Thomã falsò obiicit.*

Anim. XIII. p. 125. opusc. 17 c. 16.

XXXIV. *à Nigrono validè allatum fuit.*

Si ergo ob amorem sanctæ Paupertatis reiectæ tantùm in Deum spei, mendicationem, illæsis tamen spei finibus, præhabendam putauit Franciscus; hanc illi, quàm tantopere deperibas, paupertati magis cor-

di esse Francisci sententiam fuisse, velis, nolis, rectè ac ratione conficit Nigronus. An id sublimius aliquid sit atque ad Christi Domini consilia exactum magis, modò non quærimus, sed de Francisci sententiâ disputamus: Quem auctorem, quo potiorem non habuit imitandæ Christi Domini paupertatis tota suspicit, ac veneratur? Ecclesia.

XXXV *Propositio imitandi Christum consequens non est paupertatis nō mendicantis potius quam mendicantis desiderium.*

Quæro insuper ex te, Castalde, quàm legitima illa tua tibi videatur consequutio, quam eâdem Animaduers. XIII. ex constanti Ignatij proposito imitandi Christum Dominum admirabili tuâ elicis Dialecticâ? Ais enim, te de illo proposito non dubitare, tum addis. *Sed hinc quid sequitur? Illud certè propensionem mentis Ignatij ad nostram paupertatem amplexandam.* Ni, vt Grammaticus, à te exibilari metuerem, monendus hîc mihi eras, vt à Tertianis pueris caueres; verùm cum Logicis iam tibi res erit. Quid? Si ex constanti proposito imitandi Christi Domini legitimè sequitur, *Propensio mentis ad vestram paupertatem amplexandam*, an non huic consequens illud etiam est: Quicumque vestram paupertatem non amplexatur ab eo proposito excidere; quod nemo, ne tuorum quidem, qui plerique omnes viri sapientissimi, certè modestissimi sunt, ferendum putabit. Quid enim? Tui soli Christum sequuntur? Quòd si propositum illud latiùs pertinet; quàm vt vestræ tantummodò paupertatis desiderio contineatur; iam nihil omnino dicis. Sed nimius es, Castalde, vt humanissimè loquar, rerum tuarum admirator. Suspicimus quidem omnes tuæ paupertatis rationes, tuósque in primis Christi pauperum subselliis sedere arbitramur; non tamen ante omnes, cuius dicti gratiâ irasci te mihi minùs æquum esset. At Christus ex oblatis vixit.

Anim. XIII. p. 124.

XXXVI. *Nam Christum Dominum mendicâsse fru-*

Quæro igitur quî scias, ex his tantummodo vixisse: laudas quidem in margine Lucæ cap. 8. in quo habetur de mulieribus, *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Audio; sed in rogatam ministrâsse non audio,

Ibid. p. 125.

stra in dubium vocat Castaldus.

audio, & propius est, vt pernegem. Tum Ioannis caput 12. appellas, in quo Iudas dicitur loculos habuisse, & ea, quæ mittebantur, portâsse; quasi verò emendicata non mittantur, ac portentur. Certè Christum non mendicasse probabis nũquam, vt ego mendicâsse demonstrabo. An non hospitium per discipulos petiit, & quæ faciendo Paschati erant necessaria? Non solui iumenta, & dominis edici à suis voluit, sibi ea opus esse? Non à Zachæo prandium? à Samaritanâ aquam ipse non postulauit? Quæro hîc ego iam, si quis tuorum sitiat, poteritne frigidam à quoquam postulare? Negabis, opinor, ne ab illo sublimissimo paupertatis fastigio mendicando deuoluatur. Vt lubet, Castalde; Patere modò nos mendicare cum Christo; qui propter nos, *Egenus factus est, cùm diues esset*, quod valet, mendicauit; nã qui Græcè sciunt, vocẽ ἐπτώχευσε, quã Paulus vsus est, vix à mẽdicatione separant, defluxítq; ad nos Italos vt infimos pauperũ; vulgò *Pitoccos* appellamus non sine contemptu, vt abiectissimæ mendicitatis. Addo vaticinium luculentissimum Dauidis Psalm. 39. quem Psalmum de Christo Domino Paulus interpretatur Epistolæ, quam ad Hebræos scripsit, cap. 9. In eo igitur Psalmo Christus se mendicum appellat his verbis: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Quarum duarum vocum admirabilis coniunctio est. Et primam quidem in alienas intelligentias rapi non posse, Hebraicam vocem אביון testem habeo, quam Deuteronomij cap. 15. eodem sensu à Moyse vsurpari palàm est; quum quolibet septimo anno ita liberales Iudæos esse iubet, vt ob illam liberalitatem nemo mendicare cogatur; ait enim: *Non erit in te* אביון *mendicus.* Eadem Dauidis de Christo vaticinantis sententia Psalmo 108. *Qui persecutus est hominem inopem, & mendicum.* Quod vaticinium ad Christum esse referendum Theologorum vertex ille Petrus docuit. Quoties autem Christum petentis, atque emendicantis speciem (quomodo hæc fiant, luculentissimè Tyræus noster disserit) in-

XXXVII. *Quod ex diuinis oraculis probatur.*

duiſſe legimus? Quoties Angelorum obuia hæc ſunt in Sanctorum hiſtoriâ, vt diutiùs in his immorandum non ſit, quum præſertim de mendicantis Paupertatis excellentiâ orationem ſcribere non inſtituerim, ſed tuum illud dictum cõuellere, probabile nimirum tantummodo eſſe, Chriſtum mendicâſſe. Quod ego vix tutò dici poſſe arbitror. Vide igitur, Caſtalde, quàm ſapienter ab Ignatij propenſione fuerit argumentatus Nigronus, eum ad mendicationem inclinâſſe; cuius tu contrariam conſequutionem nullâ probabilitate colligis. Petiſſe aliquando Chriſtum fides docet. Sponte oblatis plerumque tantummodo vſum, quod tu pro explorato habes, nondum docuiſti, & niſi immaniter fallor, Kalendis ſcilicet Græcis docebis, hoc eſt, nunquam. Quod ſi aliquando vſum euincas, fruſtrà nihilominùs eris; quod enim mendicabulum hominis tam abiectæ conditionis inuenturus demum es, cui à piis hominibus aliqua vltro non dentur? Quis verò ex hoc illum ſtipem non mendicare, niſi ineptiſſimè colligat? Quod vnum ex Auguſtino dicere poſſes; illum, qui neceſſitates ſuas palàm facit, mendicare, tibi leuiùs dictum eſſe video, quàm vt tanti nominis auctoritatem tueatur. Sed non tanti tu mihi es, vt magni Chriſtianæ Theologiæ conditoris dictum clypeo excogitatæ tuo Marte metaphoræ validè repellere te poſſe credam.

XXXVIII. *Et contra negantem Vviclefum demonſtrat Vvaldenſis.*

Porrò de hac Chriſti mendicatione, quam virulentus ille antiqui Draconis Catulus VViclefus ferociter, ſed fruſtra, momordit, iubeo te Thomam VValdenſem legere, qui lib. 4. *dentes peccatoris* validiſſimè conterit, & Patrum teſtimonia recitat, quibus impudentiſſimi erronis os ferreum euerberat. Cuius tamen te longè alium eſſe ſcio, qui eam non improbes, ſed omnino certam exploratámque non eſſe contendas. Si iocorum in re grauiſſimâ eſſet licentia, quæ de Mendicatione per nutus ineptiſſimus nebulo in Chriſto comminiſcitur, materiam ſalibus miniſtrarent. Sed ſancta ſanctè habeamus, & quæ de

Apoſtolis

Apostolis,vt comperta tibi sumis, inspiciamus; vereor enim vt probare satis commodè possis.

Anim. XIV. p.133. & 136. Quæro igitur ex te, quon am magistro dediceris Apostolos nunquam coactâ,sed sponte oblatâ semper stipe vitam tolerâsse? nam nisi vtrumque docueris, tum mihi iure,quàm cui optimo,integrum erit,tibi viro quidem optimo, sed diuinanti non credere? Quid ais?nusquam legimus.Ergo non mendicârunt?Iubeo te hîc tuæ doctrinæ memorem tantisper esse, ac proinde negantem hanc ratiocinandi formulam procul in mare Creticum ventis asportandam dare. Quibus enim legibus Nigronum obnoxium esse voluisti, iisdem teneri te æquum est. Rem quidem hanc alto vbique antiquorum monumentorum silentio obrutam ita esse arbitror, vt nihil admodum certi atque explorati confidenter affirmari posse credam, verùm Apostolicæ mendicationis, quæ minimè obscura vestigia sacris in monumentis obseruare mihi visus sum, relegamus. XXXIX. *Paulum, & reliquos Apostolos à mendicatione non abhorruisse longè probabilius videtur.*

Quid enim? Nónne Paulus Philemonem de hospitio Epist ad Philemone n.22. interpellat,illis verbis *Para mihi hospitium?* Nónne necessitatem suam homini dicit,integrâ tamen in Deum spe, cuius nihil eâ petitione detritum est. Rursus, quum Philippenses summis prosequitur laudibus, cap 4. com.17. quòd *Soli omnium Ecclesiarum cum illo communicassent in ratione dati & accepti*, nónne disertè ait. *Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestrâ?* Quid autem aliud hoc est, quàm cupiditatis suspicionem, quæ ex petitione oriri poterat,ita amoliri, vt huius caussam, non tam in suam, quàm in illorum, qui daturi erant vtilitatem conferret? vt plerique om-1.Cor. cap.16. com.1. & 2. nes interpretantur? Nónne *collectarum* meminit, quibus & ipsum, quum illas Ierusalem perferret, victitasse longè verosimillimum est? Demum Apostoli, & Cephas, quum Paulo, & Barnabæ dexteras societatis dederunt,vt hi in Gentibus,illi autem in Ad Gal. cap.2. com.10. Circuncisione Apostolatu fungerentur, nónne tantùm monuerunt, vt pauperum memores essent, *Quod etiam sol-*

licitus fui hoc ipsum facere, ait Apostolus? Quos enim alios pauperes commendatos intelligas, quàm Ierosolymitanæ Ecclesiæ, in quâ non minùs, quàm alios, ipsos etiam Apostolos, qui & omnia reliquerant, & quæ ad pedes suos ponebant credentes, vel largis absumpserant eleemosynis, vel ab hostium crudelitate per rapinam ablata amiserant, ad inopiam fuisse redactos, manifestum videtur? Porrò quàm ab illâ in Deum tantummodo reiectâ spe, quam tu illorum exemplo, quod nullum habes, persuadere conaris, Paulus abesset, labor ille sutorius, quo manus miraculorum potentes exercitæ non ei solùm, sed & illis, qui cum ipso erant, ministrauerunt, satis loquitur. Quid verò, quod ad spei rationes attinet, inter coactũ è consutis pellibus lucellum, & corrogatam mendicatione stipem differat; quia per me satis non expedio, à te, si docueris, libens audiam. Ac de Paulo satis. Quid de reliquis Apostolis? Sanè veteri Hebræorum more pias mulieres sororum nomine circunducebant, quæ illis ministrarent, quas rogatas fecisse, vt minùs certum, ita verosimile videtur. Porrò quum in longinquas, barbarásque prouincias peregrinati sunt, nisi perpetuo ac minùs necessario miraculo, vltrò, qui exciperent, hospites occurrisse, antiquis fidísque Historiarum monumentis doces, prudentiùs mendicâsse credam. Quid enim aliud facerent, si extrema illos admoneret necessitas? Act. 20. n. 34.

XL. *An in supremá necessitate tutum sit non mendicare.*

Quæro enim ex te, Castalde, quàm demum validè argumentum, quod ab hac duxerat Nigronus, refutaueris? Audio equidem præclara de Virginitate disputantis Ambrosij verba, quasi & tu ex illâ formulâ viuas: *Quam nec natura suis inclusit legibus* (quasi verò voluntaria Christi amore mendicatio intra naturæ pomœrium proueniat) *& è cælo accersiuit, quod imitaretur in terris.* Verissimè, sed non in rem tuam dixit melleus meus Antistes; tanta enim Virginitatis dignitas, is eius est splendor, & amplitudo; vt vitæ ipsi præhaberi possit. Differt. n. 77. Anim. XIII. p. 127.

XLI. *vt mori pro tuenda Virginitate.*

sit.

sit. Ob eamque caussam & Casimirum regium, ac sanctissimum iuuenem & Robertum Nobilium Vaticani Senatus flosculum, quòd repudiatis Venereis medicis, Virginitatis victimæ conciderint, omnis admirabitur posteritas. Vnum verò aliquem hominem, ne mendicatâ stipe supremam depellat necessitatem, labentemque animam retineat, emori velle, an sapientes laude dignum iudicaturi sint, ego vehementer ambigo; & si datâ tabellâ in suffragium mittantur Theologorum tribus, vt ego autumo, sine reprehensione non faciet. Inscribi cuiusquam tumulo cum laude posse *Malo mori, quàm mendicare*, vt addi potest: *Malo mori, quàm fœdari*; quum Christum mendicantem viderim, haud facilè credam. Et potuit quidem de re ipsâ luculentiùs disputari; nisi tu me clanculum irrideres, vt qui ab hoc supremæ necessitatis periculo, & promptâ piorum hominum liberalitate, & mutuo ab amicis ære, si lentior illa fuerit, te noueris vindicare, quod hominis prudentis, sed qui à prærupto illo, si hominum iudicia sequimur, altissimo quidem, & quo altiùs nemo possit eniti, Christianæ paupertatis iugo, in quo Francisci soboles firmis hæret vestigiis, longiùs adhuc absit. Moneo tamen, si Angelorum more modôque (quando quæ de Virginitate scripsit Ambrosius ad Paupertatem pertinere vis) viuere tibi votum est; Tobiæ perductoris exemplum imitari tibi per me solutum esse; qui *cum cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest*, vteretur, videbatur quidem *manducare & bibere*: sed non vltra visionem illa erat manducatio. Nobis tam felicibus esse adhuc non licet. Paupertatē verò non mendicantem, humano ingenio comprehendi non posse tam falsum est; vt eam Demetrius, è Cynico grege nescio quis, palàm fuerit professus. Sed iam mihi te irasci vereor, quasi odiosè atque inutiliter disputanti.

Seneca De V. B. cap. 18.

XLII. *Castaldi luculenta in Societatem iniuria.*

Anim. XIII. p. 131.

Quæro igitur postremò ex te Castalde, Cur *odiosum & inutilem laborem* asseras esse de vtriusque familiæ paupertate disserere? an vt sua cuique constet honestas,


ſtas,ſuíſque bonis,quæ Deus contulit,*ſine Satana & occurſu malo* fruatur?Laudo conſiliũ:Sed non hoc agis;verùm vt quæ in Societatis dedecus effutiiſti,decumano cumules contemptu. Cùm enim, vt non mendicantem mendicanti eſſe præferendum conficeres, Societati exilem ac nullã propemodũ eſſe doceres, nóſque de illo,in quo nos Deus cum aliis plurimis collocauit, deiiceres gradu, totâ illâ Animaduerſione XIII.cõtentioſiſſimè laboraueris,tandem vt indignos,qui comparemur,abiicis, & populi voce, cui Diuinam auctoritatem ineſſe vis, ſeuerè damnas. Hoc enimuerò eſt, contemptim calce appetere,cui infracto colapho iniuriam feceris, quaſi viribus imparem, nec ſatis dignum, quo cum congrediaris. Pro quâ iniuriâ Deum enixiſſimè precor, vt bonis te multis, magníſque auctum,& mactum velit.

Anim. XIII. & XIV.

XLIII. *De Ignatij Paupertate concluſio.* Quare, vt rem in pauca contraham explicatâ Paupertatis naturâ; de quâ fuſiùs adhuc diſputari poſſe non dubito,ſubtili Philoſophorum more ſerram eandem aſſiduè reciprocantium; Ego ſanè non video cur Ignatius, qui ad eam, quam ſummam eſse paupertatem Franciſci,atque Minorum exemplo ſemper arbitratus eſt,deſtinatione animi ferebatur,quámque imitari ſtuduit, ab eâ, quam tui Ordinis ſanctiſſimi viri orſi erant,de quâ etiam nunc, an primas obtineat, diſputari poſse vides; ita allici potuerit, vt quæ tamdiu fuerat meditatus, obliuiſceretur. Adde eam illi placuiſse paupertatem, quæ ſuſcepto vitæ inſtituto maximè congruebat,quam ſi veſtram fuiſse arbitratus eſset, dubio procul imitari eam non piguiſset. Quare cùm eam deſtinatis minimè idoneam crediderit, cur eius ſplendore,quantuſcumque is demum ſit, de quo nihil detractum velim,etſi laudationem eius me iuſseris inſtituere, habeo aliquid, quod declamantium bono his,quæ congeſſiſti,addere poſſim; cur, inquam, à ſuſceptis cogitationibus,quas oppidò nobiliſſimas fuiſſe res ipſa loquitur,potuerit auelli,ego ſanè non video.

Quæ

Quæ quum ita sint, quod tu Castalde vaticinando fieri potuisse dixeras, id validissimis rationibus verosimile non esse demonstrauit Nigronus, quod mihi hac Interrogatione tibi fuerat probandum.



INTERROGATIO DECIMA SEPTIMA,

DE PERFECTIONE INSTITVTI Societatis.

Ignatium perfectißimam Religionis formam sequutum fuisse, atque adeò ab eâ, quam animo destinauerat, aliorum obiectâ sanctitate, desciuisse, minùs probabile esse; quod Nigronus dixit, & Castaldus negauit, verißimum esse demonstratur.

Anim. XIV. p.142.

I. *Excusatio susceptæ disputationis.*



Cogis me, Castalde implacabili tuâ Societatem obterendi acerbitate, ad hanc instituendam Interrogationem; ais enim (& egregiam in nos beneuolentiam non semel profiteris) Societatem nostram, *quoad maximam sui partem, quæ omnino firma non est, & expulsioni obnoxia, nouißimum præ cæteris in Ecclesiâ Dei locum obtinere, inferiorem etiam Equitibus Ierosolymitanis*: aliáque multa ibi congeris, aut alibi spargis, quæ tuum in nos animum manifestant. Vincam te, si non aliâ re, animi certè moderatione. Neque enim ego huiusmodi de vobis dicam, neque anxiè quæram, quid in tuos dicam;

Anim. X. p.86.

quos summis ornare laudibus & cœlo tollere desidero. Arbitror tuum Ordinem illustrissimum esse in Ecclesiâ Dei, ac perfectissimum institutis, legibus, moribus: Patierisne Castalde solum non esse vt in pluribus vincat, in quibusdam etiam vinci? De illo vsurpari posse: *Non est inuentus similis illi?* quæ laus ita singulis sanctorum propria est, vt tamen communis omnibus esse non desinat? Sed Eccl. 44.

II. Quæro ex te, quæ tibi caussa fuerit, tam contemptim de hac familia loquendi, quæ de vobis semper honestissimè sentit, ac loquuta est? Nam si Nigronus aliquid dixit, quod minùs vobis arrideret, abstinuit ille omni verborum acerbitate, nec extra caussam dixit. Diuinaueras tu quidem potuisse Ignatium allici tui Ordinis ornamentis; quid faceret Nigronus qui rem, cuius tu probabiles caussas ex rerum possibilium coniecturis venabaris, quum exploratò falsam haberet quas tu verosimiles eius probationes arbitrabaris, nullâ niti probabilitate demonstrabat? Sed non hîc querelarum tempus est. Age enim,

& Nigroni qui coniectus & ipse dispumauit.

III. Quæro abs te, an rosam vltimum in florum Repub. locum obtinere dicturus sis, quòd magnâ sui parte spinis horreat, illíque Cyclaminum sis præhabiturus, quòd de subito, vix, aut ne vix quidem editis foliolis, floreat. Hoc ideo quæro, ne despuere pergas, qui statim à primo tyrocinio publico ritu non profitentur. Quæro inquam, putésne nobilissimos Equites Ierosolymitanos, quæ illorum humanitas est, accusationi tuæ subscripturos, viros militares, quíque armorum tractatione peregrinos tutari soliti, aut ægros hospitio magnificè excipere, interioris caritatis opera, quibus salus animorum quæritur, ne attingunt quidem? Sacros Regularium Ordines adeò inclementes aut inurbanos fore, vt nos à consortio etiam summæ perfectionis explodant

plodant? Adeóne anguſtum eſt Chriſtianæ virtutis culmen, vt vbi ſui veſtigium poſuère, neminem alium velis conſiſtere? Hanc ego virorum vitute atque ſapientiâ clariſſimorum, qui Ordinis tui lumina ſunt, mentem vt eſſe credam, nunquam adducar. Si qui ſunt, quod nolim, quibus tua iſta probetur acerbitas, eos ego & leuiſſimos eſſe homines, & nullius pretij puto. Sed age interrogo te, an Socios noſtros omnes, etiam nondum ſolemni ritu profeſſos, Religioſos verè, & nunc eſſe, & olim ſemper fuiſſe reris? Quidni? inquis; aliter enim mihi integrum mihi opinari non eſt. Hoc ideo mihi à te dari volo; quia vereor, vt ſatis intelligas, in quo ſita ſint Reipublicæ Religioſæ ornamenta, quæ quaſi verò ex reciprocâ traditione atque ſtabilitate petenda eſſent, (quod falſum eſſe in loco euincam) vbi illa tibi deeſſe videtur, tenuia admodum eſſe pronuncias.

I V. *Honeſtas rerum à fine eſt petenda.*

Dic ergo, Caſtalde, rerum dignitas, atque perfectio, an non tibi ex fine intimo videtur petenda? Negari non poteſt ab homine Philoſopho; ab extraneis enim res conſtitui, dicere, omnino Philophiâ eſſet indignum. Benè. At finis potuítne amplior, ac dignior aliquis excogitari, quàm is, ad quem Chriſtus Dominus omnia ſua retulit, Patris ſcilicet Dei gloriam quàm ampliſſimam, & hominum ſalutem? Minimè gentium. Perge. An ignorabas id vnicè Ignatio propoſitum fuiſſe, quod ipſe in Regulis teſtatur, quod Pontifices ampliſſimis atque honeſtiſſimis ſuis Bullatis Diplomatibus tradiderunt? Hoc enimverò neſciſſe videris. Verumtamen hoc te ſcire decuit; tum meminiſſe, quæcumque Religioſæ familiæ mixto ac propterea contemplatiuo actiuóque vitæ genere agitant, (quod Prædicatoribus, & Minoribus, cæteríſque Mendicantibus ſemper honeſtiſſimum erit,) eas adeò perfectionem deſtinatis ſuis promouiſſe, vt altiora petere non poſſint? Hoc ex Theologo didiciſ-

Vide Suarium tom. 4. de Relig.

V. *non à ſolâ ſtabilitate.*

ſe te, ne credam, facit tua illa ratiocinatio, quâ Perfectionem ex omnimodâ ſtabilitate definis, quæ profectò ratio ab illo afferri non potuit, qui vnamquamque rem tum ex fine, tum ex viis, quibus ad ipſum fertur; quæ duo ab ipsâ, quam tu vrges, ſtabilitate multum abſunt, nouit æſtimare: cuius autem prudentiæ fuerit, Religioſos eos, qui *Profectum animarum in vitâ & doctrinâ Christianâ, & propagationem fidei præcipue intendunt*, vt cum Paulo III. Pontifice loquar (cuiuſmodi eſſe Religioſos noſtros, etiam nondum ſolemnis Profeſſionis ſacramento adactos, nemo inficiabitur, qui res noſtras, & quæ de illis à Pontificibus Iulio & Gregorio ſancita ſunt, vel ſummis labris attigerit) Equitibus Ieroſolymitanis, cæteriſque quibuſcumque minùs nobiles caritatis actiones ex inſtituto profitentibus, contemptim poſthabere? Vide ne eam à te prudentiam ita requirant ſapientes viri, vt illorum reprehenſionem obiectâ, quam ex Leſſio emendicaſti, non omnimodâ ſtabilitate, effugere minimè poſſis. De quo ſanè Leſſio, (vt ſtrictim id regeram) neſcio quid tibi velis illis verbis *Nec mentiri me facit Leſſius*; quem enim vnquam fecit ille mentiri? Sed tu Grammaticos contemnere didiciſti, indignumque arbitraris Animaduerſiones tua ſub Donati regulas mittere. Sed redeo. Huius, inquam, Auctoris placitum tibi opitulari nequaquam poteſt: Etenim, quum ea, quæcumque demum ſit, non omnino profeſſa ſtabilitas, nihil de eſſentia non modò Religioſi ſtatus numquam imminuerit (quod abſque accuſatione temerarij erroris in fide poſt geminum Gregorij XIII. oraculum, nemo poſſit affirmare) verùm etiam ſtatui perfectiſſimo, in quo Societas cōſiſtit nihil detrahat; nā hi omnes, quos tu deſpicis, verè Societatis Religioſi sūt nihilominus, quàm ſint Profeſſi ipſi ſiue noſtri, ſiue cuiuſcūque alterius Ordinis; ego certè, nō rerū noſtrarū affectu, verùm ad temeritatis nōtā vitandā, tecū, Caſtalde, ſentire non auderem. Quid enim? Negabiſne illos,

Anim. X. p. 86. & deinceps.

In primâ Bullâ confirm.

VI. *quæ ad eſſentiam Religioſi ſtatus non pertinet.*

Anim. X p. 87.

In Bullis quanto fructuſius & Aſcendēte.

Ib. p 86.

illos, quos tu eiectioni obnoxios, nescio, honorísne, an contumeliæ caussâ, sæpius appellas, Religiosos esse? Id verò nescire non potes. Idque perfectissimè atque absolutissimè? ne id quidem potes, nisi Pontificum decreta conuellantur. Negabis Religiosos esse Societatis? hoc verò esset insanire. Negabis Religiosos Societatis salutem animarum, quod diuinorum diuinissimum opus appellauit Dionysius Areopagita, sibi procurandam suscepisse, ad eámque rectissimis viis tendere? Ne id quidem integrum est homini, qui Ecclesiæ auctoritatem eo habeat loco, quo apud te esse non dubito. Non igitur inficiaberis eius Ordinis illos verè atque absolutè Religiosos esse, qui & altissimum atque maximè diuinum finem cùm sibi propositum habeat, ad eúmque aptissimâ viâ gradiatur, in summo perfectionis Religiosæ genere versetur. Quî ergo tam animosè (danda est venia veritati, quæ vlteriùs dissimulari non potest) eos Equitibus Ierosolymitanis, viris militaribus, quos ipsa laudatissimi instituti professio ferocior ab altari, & sacris submouet, posthabendos iudicâsti? Nolo grauiùs vrgere, quamquam te possim adhuc accusare; Cæterùm ne illâ tuâ, quam tantopere amas, stabilitate, in hac tuâ falsissimâ opinatione amplius obdures,

Ibid.

VII.
Perfecta seruitus mutuam obligationem nō postulat.

Quæro ex te, Castalde, an seruitutem nullam perfectam esse arbitreris, in quâ dominus tradenti se perpetuam in seruitutem seruo, vicissim fidem non obliget, nunquàm se illum manumissurum? Quis vnquam ita opinatus est? Ergóne nulla seruitus perfecta est, nisi, quæ ita perpetua est, vt neque à domino solui possit? Quid censes, Castalde? nullam esse? Non ergo perfecta seruitus in populo Dei, in quo serui omnes ante perforatam auriculam, certis quibusdam temporibus necessariò manumittebantur ex lege; neque quisquam ostendet, illos ipsos iam stigmaticos manumitti à dominis non potuisse; sed ad manumissionem iure repetendam post ritus illos, nullam illis actionem, ius nul-

lum ſuperfuiſſe. Quod ſanè quàm ſimillimum eſt noſtris in hominibus; qui vouent ſe vitam acturos, mortémque obituros in Societate; quæ abſoluta & perfecta ſui traditio eſt, poſtquam nullo iure libertatem repetere poſſunt, nullámque ad illam ampliùs actionem habent. At verò, inquis, reciproca traditio iſta non eſt? Quamuis ea non eſſet, non ideò Religioſæ ſeruitutis ſtatum conuelli eſt neceſſe; illa tamen aliqua eſt, donec Societas id ſibi è re ſuâ eſſe iudicabit. Sed quæro ex te, Caſtalde, an vinculum aliquod tam arctũ Religioſæ ſeruitutis fabricaturus ſis, quo homines ſolui nõ poſſint ab illo, penès quem rei Chriſtianæ arbitrium eſſe voluit Chriſtus; cuique olim dixit: *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis?* Quidquid olim opinati fuerint viri magni, poſtquam ſolemnitatem ab Eccleſiâ ſuperadditam eſſe Pontificum oraculis palàm factum eſt, nullũ tale vinculum necti poſſe, res eſt adeò clara, vt non niſi diſputandi cauſsâ in dubiũ poſſit reuocari: Cuius ego veritatis conſequens eſſe confirmo, nullam, cuiuſmodi tu optas, ſtabilitatem firmari poſſe. Si enim votorum quorumcumque non ſolemniũ vincula ſoluere poſſe Pontificẽ certũ eſt; & ſolẽnitas omnis ab illius arbitrio pendet, poterit profectò etiam ſolemnia Profeſſorum vota relaxare, ſi è Republicâ, aut hominis alicuius ſalute, id eſſe iudicabit. Nõ igitur illa omnimodam habent ſtabilitatem. Negas? Atqui eam ob cauſſam ſimplicia noſtrorum Scholaſticorum ab eâ tibi laudatâ ſtabilitate arcebas, quod ſolui vincula eorum poſſint; à quo verò poſſint, ſtabilitatis parum intereſt. Satis ſtabilia sũt, Caſtalde, quæ ſemel homini iniecta, ita totum complectuntur, & continent, vt nullã, aut quóquam progrediendi, aut ſe commouendi facultatem illi reliquam faciant, cuiuſmodi hæc ſcholarium noſtrorum eſſe cùm verbis ipſis, quibus Sacramentũ hoc dicunt, tũ Pontificũ decretis palàm fit, porrò cũ de rerũ perfectione agitur, eã ab extimis, quæque externo illi accidũt nutu, arceſſere, an hominis philoſophi ſit, tu pro tuâ prudentiâ videris. Verũ hæc te, aut

VIII. *Vinculum quodcunque ſolenne ſolui poteſt ab Eccleſia.*

Matth. 16. cap. ...

Anim. X. p. 87.

per otium docere, si nescis, aut fateri cogere, si dissimulas, longioris otij res est. Et verò téque à turpi lapsu, méque ab hoc qualicumque labore liberasses, si tom 4. de Relig. Suarium argumentum hoc totum diligentissimè absoluentem legere non piguisset. Quare abeamus hinc, & de singulis votis agamus.

IX. *Votum castitatis perfectissimum in Societate Iesu.* Interrogo te enim Castalde, quidnam tandem in voto Castitatis quo ante solemnem professionem obstringimur, ad perfectionem desideres? Audio, vt matrimonium ratum non consummatum dissoluat; nam nisi hoc faciat, iam tibi euiluit. At quid hoc ad absolutam Religionis perfectionem addat, ego sanè, quâ sum tarditate, non intelligo, & à te velim edoceri, quod antequam facias, quæ mihi, alia omnia sentiendi sint caussæ, tibi exponam. (Ibid. & Anim. XIII. p. 123.) Mihi enim aliqua exploratissima sũt, quæ tuam hanc sententiam funditus eradicant. Primùm vim illam soluendi matrimonij voto non inesse, & Religiosum statum per votum perpetuum emissum in alicuius manus, & acceptatum constitui; quod tu nõ negabis: Tum vim illam Ecclesiæ auctoritate votis solemnibus Religiosis esse superadditam; nam eam posse voluit Christus; cuius etiam in ipsum naturæ ius, quo matrimonij vinculũ adstringitur, imperium est, quod tu quoque non diffiteris. Demũ votũ simplex pari modo apud Deũ obligare, ac solẽne, quod tradidit Cælestinus III. (c. Rursus.) Cùm igitur solutio illa matrimonij rati, nec voto, nec, qui ab eo constituitur, Religioso statui intrinsecus quidquã afferat, perfectionis, nam & voto, & Religioso statui extranea, extimáq; res est; quid caussæ tibi fuit, vt votũ, quod solẽnitatẽ sibi omnino intimã nõ habet, vltimo loco collocares, ac veluti in ordinẽ redigeres, cẽsor votorum ac Religionũ nouus? Si te interrogem, quis te constituit iudicem? quid responsurus es? Cæterùm quid illi desit voto, quod totam sui *obiecti*, quantùm quidem vouẽti iã integrũ est, amplitudinẽ complectitur, quódque homines ad supremam absoluti operis perfectionem perducit? Faciam, quod facere potest, Ecclesiam

nouâ

X *Solemnitas voto externa est.* nouâ ſanctione vim illam ſoluendi huiuſmodi voto indere,& de non ſolemni reddere ſolemne; credéſne aut maiore eos,qui ſuſcipiant , obligatione teneri, aut amplioris veluti operis arbitria relaturos à Deo ? Ais? non puto te hoc dicturum;quid enim difficultatis operi accreuit ? Et quis vnquam meritum dignitatémque operis ab alienâ voluntate ſuſpendit?Negas?Idem igitur hoc modo ſimpliciter vouens , ac ſolemniter vouens facit. An tu , Caſtalde,equo generoſiſſimo ex regiis phaleris roboris , & generoſitatis aliquid accedere dicturus es?Additur quidem ac circumponitur dignitas aliqua extima , quæ non tam reapſe , quàm vanâ hominum opinione celebratur;quâ ſi careat,non ideo minus aut curſu,aut ſaltu, aut robore animi membrorúmque equus valebit.Vt verbo dicam:vbi votum caſtitatis,& ampliſſimum , & religioſâ ſtabilitate perpetuum ex ſe eſt;tum illi addi ad perfectionem nihil poteſt omnino : quam ob rem vide , an quæ de noſtro ſimplici , ſed Religioſo caſtitatis voto à te dicta ſunt, ſatis tutò,atque exploratò dicta ſint.

XI. *Paupertatis votum perfectũ in Societate Iesu.* Quæro iam ex te de voto paupertatis quid ſentias? Anim. 13 p.123. Diſertè , inquis , ſcripſi exile videri. Vellem , non feciſses, quia vt dictum diceres , his erroribus captus es , quorum & nulla tibi ſuperſit excuſatio , & verò, niſi integrum tibi à ſcelere atque calumniâ animum integrum eſse ſcirem, mendacia appellare non dubitarem ; ais enim , cogi non poſse ad deponendum Ibid. dominium rerum ſuarumReligioſos noſtros non profeſſos , cuius tui dicti contrarium legibus noſtris , vt Interrogatione ſecundâ demonſtrauimus , non vno earum capite cauetur. Sed de hac tuâ exilitate iam videamus , quæ inde à te ducitur , quòd vouentes retinere poſſint rerum ſuarum dominium ; (nam cogi non poſse, quod alterum tibi erat caput exilitatis , ampliùs dicturus non es) quam rem tu cum perfectione Religioſæ paupertatis ita demm credis conſiſtere poſse , vt illam tamen atterat, ac valdè reddat exilem,

exilem; nam exilis paupertatis votum esse ego intelligo posse, sed votum exile, quod Religiosum constituat, quî esse possit nō intelligo. Neque enim puto votum illud, quod suâ vi reliqua inter, Societatis scholasticos verè ac propriè, ac nihil minùs quàm Professi cuiuscunque Ordinis, Religiosos facit quod de hoc sine temeritate negari non potest, exile dici debere; Nam si nostrorum Scholasticorum Paupertatem eâ, quam nos professi colimus, aliquanto inferiorem esse diceres, non ego tecum de re manifestâ disputarem. Verùm quia exile illius votum tibi videtur, non exilis mihi tecum, vt potè falsitatis hac in re compertissimo suscepta est disputatio. Aio enim te falsò hæc iactare; non enim exile illius est votum Paupertatis, sed amplum, & Religiosis hominibus nullâ ex parte indignum; quamquam perfici deinde non negem. Aio, inquam, exile non esse. Quid enim? an minùs ligat? an minùs constanter, quantum ad vouentem pertinet, validè, diuturnôque tempore coërcet? At hoc, quidquid est rei suprà profligatum est. Exilem autem esse paupertatem non abdicato illo dominio tam verum est quàm exilem esse castitatem in Religiosis coniugibus post consummatum matrimonium solemni ritu professis, quos dominium inuicem suorum corporum retinere certissimum est; quid? abnuis Castalde? Fac ergo solui vtrumque voto, liberámque vtrique fieri ab Ecclesiâ coniugalia iura repetendi facultatem; liberíne erunt vt iterum nubant, ac maritentur? In hoc certè non dices, quia si diceres, & primus, & pessimè diceres. Dic, rogo te Castalde in Virgine Deiparâ exiléne castitatis ac virginitatis votum fuisse credis, an verò quàm amplissimum? hoc secundum placet; nam illud prius homini pio ac Virgini maximè addicto, quem te esse credo, placere non potest. At Virgo corporis Ioseph potestatem ac dominium habuit; erat enim verissimè coniux. Non igitur dominium alterius corporis, cuius vsus omnino sit interdictus, castitatem exilem reddit;

XII. *Cui dominium nudum non repugnare exemplo B. Virginis probatur.*

quùm tamen etiam illa traditio quædam sit quæ Deo fit per votum, eorum omnium quæ ad Veneream pertinent voluptatem.

XIII. *& r tione*

Age rursum: Illúdne tibi votum exile videtur, quod ad perfectionis acquisitionem perfectè conducit? Nequaquam inquis, neque enim à te docendus sũ Theologiæ rudimenta, paupertatem scilicet non perfectionem, sed viam ad illam censeri, neque propter se appeti posse, sed vt instrumentum alterius. Gratias ago, quod me de his interrogandi onere liberâsti: iá enim interrogo, si dominium, quod retinere possunt nõ professi scholastici Societatis, nec perpetuum est (nam id ad aliquod tempus illis permittitur) nec proprij arbitrij; (nam ad alterius nutum se abdicaturos voueut) nec sollicitudinem affert (nam vsus & administratio alienæ itidem subiacet potestati) quid demum caussæ fuit Castalde, vt tam contemptim de huiusmodi nostro voto loquereris? quid si antiquos & sãctissimos Monachos, quos vt magistros omnis Religiosa posteritas suspexit, ac reliquos inter Hieronymum, dominium *Seminitarum villularum quæ barbarorum effugerant manus, & parentum communium census* cum Pauliniano fratre retinuisse doceo? Sed hæc enucleare loci huius nõ est præsertim quùm præter nostri Ordinis viros longè doctissimos, præclarâ cum laude id fecerit Basilius de Põte. Pergamus igitur, sed prius obsignemus locum istum Theodorici Coloniensis cancellarij aureâ planè sententiâ, *Magis nocere Religiosis vsum peculij sine proprietate, quàm proprietatem sine vsu.*

XIV. *rursúmque veterum Monachorũ exemplo.*

Epist ad Pammachium

Carth. opusc. de reformat. Claustralium.

XV. *Obedientia Societatis absolutissima omnino.*

Quæro ex te Castalde, cur de obedientiâ, quam absolutissimam suis omnibus numeris profitemur, quæ est gloria nostra, & honorificentia, ita enim loqui iuuat, populi nostri, negotium nobis facessere voluerint, exilitatem eiusdem obijciendo? Mitto errore te lapsum turpissimo, quasi verò cogi non possint non professi ad rerum abdicationem. Fac ita esse, ex vnône hoc capite, si exciperetur, adeò tibi statim

Anim. XII. p. 113.

Ibid.

attenua

attenuatur obedientia, vt illam exilem dicere non verearis? Ergo Religiosissimos Monachorum Ordines, qui obedientiam iuxta regulam vouent, cùm multa profectò sint, quæ illis à maioribus non possunt imperari, continuò exile obedientiæ votum habere definis? Non ego hîc disseram; de obedientiæ, quam profitetur Societas, amplitudine, ac dignitate; Res est adeò illustris, vt quamquam te rerum nostrarum valde incuriosum fuisse videam, tamen vel ex inimicorum incommodis sermonibus, quæ de cæcâ obedientiâ nobis inculcantur, cuius tuendæ caussâ iusta sæpè doctrinæ arma fuerunt induenda, auditione aliquâ te accepisse non dubito; sed eam hîc non vrgeo. Illud vnum quæro ex te, Castalde, an exile putes votum illud, quo obligamur ad ea omnia, quæ siue ad propriam perfectionem, siue ad proximorum salutem spectantia imperare nobis possunt Superiores, eo imperio, cui qui non paruerit, grauissimo se scelere obstringat? Audi quid Constit. part. 9. cap. 3. §. 20. habeat lex: *Generatim loquendo, in rebus omnibus, quæ ad propositum Societatis finem perfectionis, & auxilium proximorum, ad Gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in virtute sanctæ obedientiæ possit.* Hæccine exilia sunt Castalde? Si iubear ire ad Turcas, ad Arabes, in Iaponiam, in Paraquariam, in Canadam, in Marilandiam, voto teneor. Et tu hoc exile putas? Ieiunare, & quidquid austeritatis est, subire si iubear, voto teneor; & hoc exile putas? Chartis impallescere, Confessionibus audiendis, concionibus habendis, Christianæ fidei rudimentis tradendis immori si iubeor, voto teneor; & tibi hoc exile videtur. Si Oratorio modo hîc agerem, facile mihi erat de amplissimis obedientiæ nostræ finibus disputare; sed non hoc agimus, Castalde; Teneo enim te manifestò; nam ex eo, quod per errorem tibi persuaseras, exilem illam obedientiam dixisti,

quâ nulla, opinor, potest latiùs pertinere. An tua tuorúmque eadem huic nostræ sit; & me fateor ignorare, & si asseris, credam libentissimè, & verò etiam gratulabor. Neque enim ex aliorum dignitate quidquam nobis decrescere arbitror, quod angusti ac pusilli animi est. Non possum tamen hîc admirabilē valdè tuam Philosophiam dissimulare. Dic Castalde, *Assumpsitne Ignatius vota secundùm illum gradum, quem ad præscriptum sibi finem magis appositum existimauit?* His ipsis verbis hoc vltro concedis Animad. XIII. Rogo iam te, negatarúsne sis, Ignatium rectè putâsse, atque instrumenta opportunissima suum ad finem elegisse? Non arbitror te, quam ei laudem Pontifices tribuerunt, negaturum. Rursum quæro: An præter propriam salutem ac perfectionem, aliorum salutem per doctrinam & prædicationem, ac fidei defensionem, propagationémque, comparandam ad finem amplissimum, & quo nullus dignior possit excogitari, pertinere putes? Nulla dubitatio. Quum igitur & castitas, & paupertas ipsa per se bona non sint, sed vt instrumenta ad perfectionem expetantur; omnis verò instrumentorum laus ex habilitate ad opera peragenda desumenda sit; profectò quæ nobilissimi operis aptissima erunt instrumenta, ea quoque perfectissima censeri erit necessarium. Quæ quum ita sint, vides eorum, quæ tibi assumis, contrariam destinationi tuæ consequentiam esse. Quî enim potuit non altissimum votorum gradum assumere, qui quum altissimum finem haberet ante oculos, ea instrumenta (quæ vota profectò sunt) elegit, quæ destinatis conficiendis essent aptissima? Rogo te Castalde, an Horologium aureis compactum rotis (si non materiæ, sed artis certamen committatur) chalybeis coagmentato antelaturus sis? Cur non facies? nisi quia ex Chalybe ductæ rotæ aptiores longè sunt ad munia compactilis illius machinæ, quam ex auro forent, & perfectior illa rota est, quæ viliori quantumuis è materia, destinationi artificis magis inseruit.

XVI. *Nam Ignatius ad sublimissimum finem aptissima elegit media.*

p. 124.

XVII. *Explicatur similitudine Horologij rotati.*

seruit. Profligatis, quæ de votorum exilitate obieceras; iam reliquum est, vt acceptis de medio vulgi accusationibus respondeam.

Anim. XIII. p.124. Quæro igitur ex te, cur toties de ieiuniis nobis accusationem intendas? Nam Societatis ratio toties à magnis ingeniis defensa est, vt otio abuti, actumque agere nolim. Videre tu quidem poteris, si hæc scire tom.4. deRelig. tua interest, quæ locupletissimè disputat Suarius. Et, si ante has Interrogationes nostri de virtutibus libelli prodierint, videbis plusculos ex nostris hominibus durissimo vitæ cultu fuisse nobilitatos; neque tamen ibi animus fuit omnes recensere. Interim, neque tu, mi Castalde, neque vllus vmquam Theologicis assuetus, dignitatem, perfectionémque Religiosorum Ordinum, ieiuniis ac reliquâ vitæ duritie dicet contineri. XVIII. *Societas nō caret austeritatibus.*

Anim. XII. p.103. 104. Quæro ex te, quæ pagina obiectas; sed dissimulemus calumnias & maledicta de triuio, vt spreta obsolescant. XIX. *Dissimulātur calumniæ.*

An m. XIII. p.121. 122. p.186. Quæro tamen, cur vt probrum obiicias definito numero Professorum à Paulo III. fuisse probatam Societatem; id enim facis Animad. X. addísque: *De cuius*(Societatis)*prouentu anceps summus Pontifex Paulus III. haud omnibus quibuscumque* (*sicut cæteris indultum est*) *sed paucis tantummodo præscriptis Sodalibus ad probationem*, &c. Hoc enimverò mihi in laude ponendum videbatur. Nam quum eximium, & ad id temporis planè nouum, vtpote ex antiquissimorum Monachorum, & ipsorum Apostolorum imitatione conflatum, viuendi genus attulisset in medium Ignatius; & maximè formidolosa Ecclesiæ essent tempora, visum est ob rei dignitatem paulo diutiùs probandum. Vis, verbo dicam, Castalde? Societas hæc nostra ita condita fuit, hodiéque perdurat, vt per aduersa atque obstantia semper illi fuerit eluctandum; vt contradictores, obloculoresque experta, docendo, ferendóque peruicerit, atque ad hanc demum amplitudinem dignitatémque, cu- XX. *Diu probatam fuisse Societatem probrum nō est. vt nec de votis eius ab aliquibus dubitatum.*

ius illis auctor Deus, non ingloria peruenerit. Cæterùm Ecclesiam suam simili à Christo Domino experimento probatam fuisse poteras recordari. Quis vmquam vile plumbum Lydio lapide, aut igne probauit? Quis vitrum diutius veluti examini subiecit? Auri hoc est primæ notæ, atque gemmarum optimæ indicaturæ. Tuus ipse Ordo statímne probatus est? Laboratum fuisse à IV. viris, ac præcipuè à Caietano, vt suscepta noui-Instituti consilia, quæ plerisque non satis consistere posse videbantur, Romanæ aulæ probarentur, antequam votis annuerit Clemens VII. legi apud Caracciolum in vita eiusdem Caietani. p.194.

XXI. *Laus ei ex aliqua ex opera fructu.*

Quæro iam, an ad probrum putes, & contumeliam pertinere, dubitatum olim ab aliquibus fuisse, an qui nondum erant professi, habendi essent Religiosi? Magna enimverò accusatio, & quæ multum detrahat dignitatis ac splendoris. Dic Castalde, de ipsâ Christianâ fide, nemóne vmquam dubitauit. Anim. X. p.86.

XXII. *Consequentia disputatorum.*

Sed operæ pretium facturum me arbitror, si nouissimum, & quem infra omnes Ordines etiam Ierosolymitanorum Equitum, tu Censor Maximus sedere Ordinem iussisti, ad Christi Domini amussim per contentionem comparationémque fructuum exegero. Agamus inter nos, Castalde, & litem nostram ab aliorum Ordinum dignitate separemus. Vísne nouissimum hunc, meúmque Ordinem cum tuo paululum contendamus, atque à fructibus, quos vterque edidit in Ecclesiâ Dei agnoscamus. Vis comparemus Regiones Christianâ fide imbutas? Componamus populos ab hæreticâ insaniâ reuocatos? Videamus quàm verus vates olim fuerit Lutherus, quum vobis nascentibus magnum sibi parari bellum dixit? Edamus inuicem Regum Capita sacro fonte abluta? Proferamus vtrimque Imperia à diro schismate Ecclesiæ Anim. XII. p.114. Ibid.

Eccleſiæ reddita ? Enumeremus vtrinque Academias grauiſſimarum diſciplinarum ? Ineamus numerum eorum, ac non ſemel centuriemus; quos ferro, flammis, vndis, laqueo, veneno, ærumnis in pulcherrimo, aut fidei ſerendæ ac defendendæ, aut morum caſtigandorum opere abſumptos Ordo vterque deſiderauit ? Luſtremus Academias, ſacrarum litterarum publica emporia (nam de humanarum litterarum Gymnaſiis, quæ deſpuis, nulla mentio habenda mihi eſt) ſiue ad Orientem, ſiue ad Occaſum ſolem excitatas, apertáſque adire, atque ſine argento ſapientiam emere volentibus ? Exhibeamus veluti in Theatro viros ſanctimoniâ, atque omnigenâ litteraturâ, infulis, purpurâ, ſummâque tiarâ claros, qui ex illis prodiêre, quorum ex vno tantùm Romano Collegio nobiliſſimum ſpectaculum, plaudente Vrbe, ſuperiore anno vidimus, quíque progreſſi, Religioſis omnibus Ordinibus nouam quotidie ſobolem ſufficiunt ? Inſtruamus multis noſtrorum vtrinque hominum voluminibus in omni diſciplinarum genere bibliothecam longè celeberrimam ? Experiamur Principum ac Regum iudicia, ad animi atque conſcientiæ arbitria ex vtroque viros lectiſſimos adhibentium : Laudemus Ciuitatum, Prouinciarúmque maximarum certatim euocantium honeſtiſſimas contentiones ? Non diſſimulemus hoſtium Eccleſiæ implacabiles iras, & odia pluſquam Caluiniana ? Quid ais Caſtaldo ? placétne in his aliquid otij ponere ? Quaſi verò, inquis, hac tua contentione facturus ſis, vt *nouiſſimum locum in Eccleſiâ Dei Ordo tuus non obtineat, inferiorem etiam Equitibus Ieroſolymitanis.* Ego dixi. Domanus, Caſtalde, ſed vide Dei mirabilia; *Vult de locuſtis iſtis*, vt cum Origene loquar, vincere gigantes.

Hom.7. in Numer. cap.12.

Quum

XXII. *Conclusio.* Quùm igitur Ignatius altissimam perfectionem, cùm in ipso fine, tum in ipsis opportunissimis instrumentis sequutus fuerit, quod hactenus demonstraui; non erat, cur quacumque aliorum obiectâ sanctimoniâ, ab eâ condendâ Societate, quam animo conceperat, cuiuscunque ineundæ familiæ causâ, desisteret, quod Nigronus dixit, & Castaldus negauit, mihíque hac fuerat Interrogatione conficiendum.



INTERRO

INTERROGATIO DECIMA OCTAVA,

DE SPIRITVALIBVS EXERCITIIS.

Ignatium spiritualium exercitiorum magisterio à Deo amplissimâ cum animorum fruge nobilitatum, alienum ab eo tractando armorum genere Ordinem expetîsse, minùs verosimile videri, quod à Sacchino & Nigrono dictum, nequidquam impugnat Castaldus.



Væro ex te, Castalde, an probato solitudinis amore in Carafâ, & Thienæo, reliquisque sodalibus, vt supra Interrogatione XV. vidimus, satis exinde validam Sacchini, & Nigroni, quam ab exercitiis spiritualibus ducunt, coniecturam esse arbitreris? Ego quidem, te ita sensurum non dubito, qui eam petitionem Animad. VII. exuere te putas quùm dicas: *Nec deserere oportuisset illud armorum genus ad animas Deo subdendas aptissimum; cùm hoc nostræ Religionis munus præcipuum semper extiterit.* Quare si hoc tunc non fuit, consequens est, ea illi arma fuisse deponenda. At quàm latere vellent Patres illi, vt ne mundus quidem eos vixisse sciret, docuit nos Carafæ gemina Epistola; vt proinde Ignatio, quemadmodum olim ad Montis Serrati arma terrestris militiæ suspendit, nouum vitæ genus auspicaturus; ita, si vestrum illum

I. *Non benè conueniebat cum priscâ Theatinorũ vitâ tradẽdorũ Exercitiorum Ignatiana consuetudo.*

p. 59. Allata num. XIV.

 Ordinem

Ordinem suscipere voluisset, ad D. Nicolai postes Exercitiorum libellus fuisset suspendendus. Quî enim illo vti potuissent, si ex Carafæ voto ita victurus erat, vt *eum mundus viuere nesciret?* Teste Carac. p 121.

11. Quæro rursum, cur Animad. eâdem passis velis in Nigronum incurras, quòd dixerit Exercitiorum tractationem magistri esse, non discipuli? Quid hîc peccatum est? Immaniter, dices: Nam Christus Dominus omnium Magister, ac dux *subditus erat illis. Nam Theodosius Cœnobiarcha futuræ prolis, quam spiritualiter Dominus pariturus erat, accepto oraculo, mox ab alio se illico instituendum curauit. Nam Romualdus Marini discipulus fuit. Nam Paulus Apostolus Ananiæ subesse voluit.* Recitas deinde non exiguam Hieronymianæ Epistolæ partem de Platonis, & Pythagoræ peregrinationibus sapientiæ caussâ. Quæ omnia quid tandem tibi conficiant, non video, quùm nihil simile cum hac nostrâ caussâ, nihil habeant commune. Quis enim vnquam negauit, posse nos discere, dum viuimus? Et neminem tantum esse magistrum, qui alterius adhuc non possit ope iuuari? Plenæ sunt exemplorum veterum, ac recentiorum Historiæ, & poteras illis aliquot adhuc paginas exornare. Quamquam Romualdus, nec Theodosius adhuc erant magistri, quùm se in aliorum disciplinam tradiderunt. Et Paulus iussus à Deo erat Ananiam audire, & de Christo Domino subditum quidem fuisse legimus, didicisse autem à Mariâ & Iosepho non legimus, quod tu tamen videris velle. Quid enim disceret Sapientia Dei? Porrò sententiolam peracutam, quam ex Ambrosio in medium affers, intelligísne in Carafam, Caietanum, & quoscunque interioris Philosophiæ magisterio nobiles posse torqueri? Cæterùm sumamus nobis noui armorum generis, & quidem validissimorum inuentorem aliquem esse, qui illis tractandis plurimos exercuerit, ac secum sub signis habeat, progressurus in expeditionem, quis

[Margin notes: p. 59. & p. 60. — Loc. cit. p. 60. — p. 61.]

quis tibi persuadere possit, eum sub alieno signo merere velle, vbi illorum armorum nomen ipsum adeò esset suspectum, vt quasi Reipub. noxium accusaretur?

III. *Fabulosus error Ardinghelli & Caietani.*

Hæc ad confirmandam Sacchini, & Nigroni coniecturam, & ea, quæ Animaduersione VII. affers, refutanda, satis mihi equidem videntur, superest iam, vt de Grauinâ, & Caietano te interrogem.

Quæro igitur, an nescio cui Ardinghello, quem tu Grauinam fuisse opinaris, ex Antonij Scipionis Elogiis scribenti, Ignatium in monte Cassinate, vnius alteriúsve Monachi à Præside assignati ope adiutum, Regulas Societatis scripsisse credas? Tum eidem ex Constantini Caietani M. S. opusculis tradenti, Ignatium nomen dedisse S. Benedicto, & Oblatorum, *Roanam* siue *Tané* vestem nuncupatam assumpsisse, & in Monte Serrato tria vota simplicia ex illorum more edidisse, eáque postea in suam Societatem induxisse? Quæro, inquam, an Ardinghello hæc temerè chartis illinenti fidem habeas? Si bene de te sentiens non fallor, non habes. Quâ enim probabilitate primùm dicitur, quùm Ignatius per dies tantùm XI. tradendis exercitiis Ortizio Cæsaris procuratori in Cassinatem montem secesserit? quùm in Constitutionibus condendis totum decennium posuerit? quùm apud nos habeamus libellos eius autographos, in quos diuinas, dies per singulos, illustrationes dum Constitutiones conderet, referebat? At pleraque ex Benedicti placitis, aut illis simillima in eius Constitutionibus leguntur. Quasi verò Benedicti Regulæ, & Constitutiones non omnium manibus terantur, & illarum cognoscẽdarum caussâ in montẽ Cassinatẽ illi abeundum, & monachorum doctrinâ animus esset informandus. Rursũ, quæ de veste, & de votis dicuntur, ea procul ab omni verosimilitudine dicuntur. Sed iã dato veluti signo in sanctissimũ virum Ignatium incurritur,

IV. *Confutatur.*

vt etiam ab Henrico Vanderzype id sit audiendum; quasi verò lapidi ad æternam rei memoriam in Monte serrato commendatum legeretur, cuius ego viri prudentiam in eo laudo, quòd fabulam narratã sibi recitans, suboli isse sibi falsitatem non dissimulat, addens *si tamen ex vero*; & mira profectò est in hominibus quibusdam fingendi atque asseuerandi licentia, quum lapis ille Montis serrati fuisse quidem ibi Ignatium, & arma deposuisse, expiatâque conscientiâ rebus humanis nuncium remisisse dicat, de *Roana* autem aliisque ineptiis sileat, quamuis enim lapidea illi frons sit & litterata, non adeo tamen depuduit, vt tam luculenter mentiatur. quare nisi Ardingellus siue quis alius, antiquarum narrationum legitimos auctores laudauerit, nisi bonæ fidei tabulas codicésque antiquos protulerit; eum ego nunc fabulatorem esse maximum aio, & somnia narrare proclamo; atque apud præsentes, & futuros olim, vel leuitatis, & fabulositatis; vel calumniæ, atque sycophantiæ, vt illi magis adlibuerit, reum perago. Quod ideo me facere oportuit ne silentio modestiâque nostrâ mendacissimis libellis aliquid accedat auctoritatis.

In Examine de vitâ Religiosâ.

V. *Admoneturque seculum*

Quùm igitur Ignatius illud armorum genus à Deo accepisset quod eum primâ illâ clericorum Regularium disciplinâ minùs bellè conueniret prudenter à Sacchino, & Nigrono ductâ ab illis coniecturâ quæ de Ignatianâ petitione scripserat Castaldus, oppugnata fuerunt; quod mihi hac erat Interrogatione conficiendum.

INTERRO



INTERROGATIO DECIMA NONA.

DE FALLACIIS NIGRONIANIS.

Nihil à Nigrono dictum confictúmque per fallaciam, aut imposturam fuisse in Historica Dissertatione, aut eius synopsi, ideóque earum iniquissimè à Castaldo postulari.

MOnitum hîc ego velim lectorem meum earum, quas Castaldus congessit, fallaciarum plerasque tam ab omni eius Logicæ labis contagione abesse, vt eos recitasse, diluisse sit; quod à me factum est, ne morosè ac putidè Logicum agerem. Consulat æquus lector Castaldum ipsum & à me nihil vlteriùs desiderabit.

Logicam argumentantis Augustini vsque adeo extimuisse olim Catholicos, vt solemni precum formulâ se ab illa liberari, Deum poscerent, detrita fabella est. Sed ego eandem precem necessariæ defensionis caussâ, disputante Castaldo, vsurpare cogor; adeò enim non quidem sua probantis, sed aduersarij argumenta eludentis, & fallacias abditissimas deprehendentis acuta & perspicax eius Logica est, vt miser Nigronus, eo flante, totus abierit in fallacias & contradictiones; quod & mihi ne fiat, iam vereor, quanquam mihi nullius fallaciæ conscius sim. Eas autem Nigroniano ex agro tam abũdè legit Castaldus vt IV. in *Recollectiones*, veluti in manipulos compegerit, totidem extremis Animaduersionibus. Quare optimum factu fore censui

I. *Castaldus minus logicè Nigronum fallaciarum accusat*

ſi erudiendorum adoleſcentulorum gratiâ, eas dilucidè hîc proponerem; quum enim pleraſque omnes tum in Ariſtotele, tum in Petris Ramo, & Hiſpano, cæteríſque Dialecticorum rudimẽtorum antiſtitibus deſiderari ſciam; magnam me gratiam à Logicorum Republicâ initurum ſpero, ſi illorum in ærarium tam diuites manubias, quas ex debellato Nigrono Caſtaldus retulit, ac præ ſe in triumphum tulit, ego intulero.

II. *non ſine iactantiâ*

Accedit emolumentum ingens, quod ſibi eius exhauriendæ moleſtiæ cauſſam fuiſſe Caſtaldus ait; ne qui ex hac noſtrâ Societate cum fidei atque Eccleſiæ perduellibus gladio verbi Dei coram diſputando, ſcribendóve depugnant, *huiuſmodi verſutiis nunquam profuturis aſſueſcant. Quod ad maiorem Dei gloriam ex caritate ſit dictum.* Quàm meliores veſtros libros, Bellarmine, Gretſere, aliíque viri magni haberemus, ſi Caſtaldum audiſſetis! nam vehementer vereor, ne fallaciis ab illo detectis, quos nunc habemus, ſcateant. Quare dic tandem aliquid, vt profiteris, *Veritatis magis expreſſiuum, ad ipſius maiorem euidentiam, & diſciplinam illorum qui talia ſunt.* excidit, opinor, calamo, *quia regnum Dei non poſſidebunt*, eâdem nimirum elegantiâ dici potuiſſet.
Anim. XXI p. 170. 171.
p. 170. 171.
Ibid. p. 170.
1. Cor. 6.

III. *Fallaciarum obiectarum vanitas oſtenditur.*

Quæro igitur, Caſtalde, quas in Nigrono obſeruaſti fallacias: edicito; nam ego, quidni enim ruditatem meam fatear? nullam inuenio. Tardus enimuerò, inquis, es; ego iam docebo. Diſcam libenter, ne ſi aliàs mihi erit diſputandum, fallacioſus euadam.

IV. *Prima de potentiâ ad actum*

Prima, eáque ingens, & capitalis. Ait me argumentari à potentia ad actum; qui tamen numquam hoc dixi, ſed probaturus Caietanum Venetiis fuiſſe, validiſſimâ tunc ratione (neque enim id tẽporis Traditionum moles excogitaueram) comprobaui; quia Caietanus excurrere ſolitus erat huc illuc; ergo potuit & Venetias excurriſſe: cui ſecundum conſequens per fallaciſſimam fallaciam ipſe attexit. Ergo excurrit, quaſi verò id neceſſarium eſſet homini illam Venetam excurſionem per hanc potentiam probaturo,
Anim. XXII. p. 171. 172.

quæ

quæ certè iniusta vexatio est: immo ad quoslibet hac fallaci opinione imbuendos nouâ & maiori versutiâ in Indice apposuit illam, vt omnibus innotesceret. Audi Aristoteles nouum elenchum.

p.173. Secunda fallacia: dixit Caietanum à suâ Ecclesiâ diebus Natalis Domini absfuisse, & hoc inconueniens reputari. Proh fallaciam! quantum hîc fucum lectoribus facit homo nigerrimus! V. *Secunda,&*

p.174. Tertia & immanis. *Tempus scrutatur & moras Venetæ perfectionis & commorationis.* Quandoquidem ego neque præfiniti temporis neque moræ fecerim mentionem. VI. *tertia,&*

174. Quarta ait: è *Theologo nouus nauta* Adriaticum hyeme commodè traiici non potuisse à Caietano, *qui imperabat ventis & mari; silere faciens fluctus eius.* Hic enimvero vapulare debet versipellis hic homo. VII. *quarta &*

174. Quinta docet, anno XXXVI. deprehensum à Caietano Ochinum, quod ipse excogitauit, vt illum Neapoli affixum habeat, laudátque Caracciolum, quasi id dicentem & Tufum, quum tamen hic sileat, ille verò manifestè doceat à trigesimo sexto ad trigesimũ nonum elapsum tempus ab obseruatione ad deprehensionem Ochini. Hîc vnum bonâ Castaldi cum veniâ adnoto, Caracciolum sic loqui: *Initium detegendæ impietatis à nobis factum anno scilicet XXXVI.* quod satis liberat fidem Nigroni, si in Synop. n.8. anno eodem dixit deprehensum: (Nam detegere impietatem, ac deprehendere, homini illi semigrammatico idem fuit.) VIII. *quinta,&*

175. Sexta, quùm ego *distributiuè* dixerim potuisse initio anni Venetias migrasse Caietanum, quasi X. menses Neapoli abfuerit, sic per euidentissimam fallaciam argumentatur. *Aut abfuit X. menses, & hæc breuis excursio dici non potest; aut si vult esse aliquod breue tempus, assignet, & tunc ostendam nec in eo quidem colloquium esse potuisse.* Disce lector immanem nigri hominis versutiam. VIIII. *sexta, &* Nigr. in Synopsi.

Septima

X. *Septima, ut omnes Chronotaxim spectant, &* Septima *partitur, immò perdit menses*, vt exclusis partibus, totum excludat, quæ est fallacia maxima. Anim. XXII. p. 176. 177.

Octaua, Quærit de negotiis paruæ familiæ, de quibus ab Angelo ipse nequaquam edoctus est.

XI. *Octaua de negotiis, &* Nona ait nostrorum famam in Gallias, Hispaniásque tunc non peruenisse; qui tamen Romæ professi fuerant. Probat, quia Neapoli in ipsâ incogniti erant. 178.

XII. *Nona de famâ, &* Laudátque testem Caracciolum, allatis verbis: *Plerique omnes vix de nomine, aut ne vix quidem Patres nostros, nedum Ordinis institutum nouerant.* Et hæc quidem fallacia est, Historicum pergrauem Ordinis allegare, quasi seriò hæc dicentem; qui *modo quodam dicendi* illa scripsit; qui modus nobis familiaris est; nam & ego paulo ante dixi Caietanum per eos menses *Neapoli in nullo fuisse occupatum.* Quod scio te secus interpretari. p. 123. Anim. XXII. p. 176.

XIII. *Decima de ingenuis Ignatij moribus.* Decima ait pugnare cum bonis moribus Ignatij, vt ignotus hospes in hospitium incognitum, non inuitatus se se intruderet, quæ fallacia est: Nam *Ignatius olim dormiuit in Porticis* (sic enim in vtrâque editione habetur) *S. Marci.* Quare iure queri possum, qui non modo coniecturis & opinationibus, verùm etiam *fictionibus adinuentionibúsque insidiose infestor*, quasi verò dicendum sit. p. 179. Nigr. in Synop. n. 15.

Ferte arma viri, date tela, scandite muros.

XIV. *Vndecima de aduentu, & morâ.* Vndecima, nimis subtiliter distinguit moram ab aduentu; quasi verò aliquid interesset inter hæc duo: *Quum venisset Venetias*, & *quum moraretur*; quod accuratè scribentes insuper habent: Satis enim constat, qui hospes moratur, aliquando venisse, & hæc fallacia impietatis viciniâ laborat; nam Matthæus docet Centurionem iuisse, Lucas pueros ad Christum misisse, quod componit Augustinus, & huiusmodi plura ego affero exempla, quibus docti Historici has temporum minutias, & loquendi formas putidas minùs obseruent in posterum. p. 180. Matth. 8. Luc. 7. l. b. 2. De concord. Euang. c. 20.

XV. *Ambrosius minùs ad rem appellatur.* Et recordari illum oportuit Ambrosij verba: *Nec discordant Euangelistæ, quando concordat mysterium:* Anim. XXII. p. 185.

Lib. 10. in Luc. *mysterium.* Quibus tu addis: *Et hinc impugnandi sumere occasionem, lubricam tantummodo mentem indicat oppugnantis.* Quasi verò, Castalde, quùm de veritate non constat, à diuersitate narrantium argumentum eruere falsitatis, perfidiosum sit. Si conuenientia testimonia non sunt, an non perfidia proditur testium, vt habemus in Euangelio? an tuam hanc fabulam mysterium dices, ne Ambrosium laudans, extra chorum saltare videaris? Nusquam discordia est sacros inter Historicos, quæ si esset, alter eorum mendacij manifestus haberetur; nam veritas vna est. Quid igitur ad rem facit obuiam omnibus eruditionem ostentare? Probandum fuerat non discordare, quas contrarietatis Nigronus arguerat, narrationes, quod ille verè, & acutè fecit. Sed perge:

XVI. *Duodecima de partitione anni.*

Ibid. Duodecima fallacia est. *Me allegat, quem semper ablegat* (iam rasis ludis in antithetis) *Caracciolum laudat, cuius dicta eius ratiocinationem explodunt.* Verùm, Castalde, neque hîc fallacia est, neque tu argumentum Nigroni eludis. An non dixisti ab initio anni Venetias excurrisse Caietanum? An non dixit Caracciolus anno eodem obseruatum Ochinum? Ergo si à reliquo anni excursionem, Caraccioli testimonio, remouet; necesse est, vt si fuit, initio fuerit suscepta; nam initio tu suscipi potuisse dicis, quare initium anni tibi, medium Caracciolo rectè tribuit Nigronus.

(In Epistolâ §. 15. p. 242.)

XVII. *Decimatertia de iudicio & absolutione Ignatij.*

Anim. XXII. p. 186. Decimatertia fallacia. *Protulit iudicium Patris sui.* Non tamen vltra verum; nam iudicium ante latam sententiam absolutum non dicitur; sententia autem lata fuit post sacerdotium Ignatij anno 37. Non igitur protrahit Nigronus, sed rem candidè narrat. Addis; Castalde, ex eo, quia Ignatius toto eo tempore, quo Carafa Venetiis fuit, anno scilicet 36. ad Octobrem vsque mensem, *Velit nolit Nigronus*, potuit cum Caietano colloqui. Egregiam verò Logicam, quâ Nigronus *velit nolit*, scilicet euidenti argumentatione cogitur assentiri. Audiamus. Ignatius fuit ad Octobrem vsque

Venetiis cum Carafâ; Ergo euidenter potuit colloqui cum Caietano. Plaudite: At cur dissimulas ibi fuisse Caietanum? Primò quidem non dicis. At intelligere debueras, nisi me iniustâ vexatione stipitem velis esse. Egóne in tuo Enthymemate id pro concesso, & inter nos constanti accipiam, cuius contrarium à me ad conuellendum tuum dictum, vt argumentum validissimum assumitur? Non faciam. Ais Caietanum cum Ignatio Venetiis collocutum; nego; quia Venetiis id temporis fuisse Caietanum mihi longè ab omni verosimilitudine videtur. Tu probas potuisse colloqui. quomodo? quia Ignatius cum Carafâ colloqui potuit. Si valet ista ratiocinatio, iam tibi conficiam, colloqui potuisse cum Magno Cham Tartarorum. At traditio rem probat. Nondum ea concepta erat, quùm scriberet Nigronus.

XVIII. *Quarta decima de Carafâ fundatore*

Quartadecima fallacia, quot & quàm immanes continet! Viginti auctores dedit Nigronus de Carafâ fundatore agens, ego plures attuli. Ergo fallaciter ab auctoritate arguit. Ait me principatum Carafæ tribuere & legislationem: quod quidem fateor; neque enim inficiari possum, quod cap. XVII. eius vitæ scripsi: sed senior factus principaliùs ac magis propriè de Caietano enunciaui. Igitur fallax Nigronus. Laudat Caracciolum, & tamen non semper sequitur. Fallax ergo, quùm testem laudat. Ait consultum oportuisse Carafam; quod ego factum scio, nec prodo: ergo fallacia est: O quantum est offuciarũ! Sed pergendum est ad secundam Recollectionem XXIII. Animaduersionis, in quâ Orbiliano flagello adhuc grauiùs vapulet infelix Nigronus, qui totus ex fallaciis, offuciisque tibi conflatus est. Vertendus stylus, & satietati occurrendum, ne tot fallaciæ fastidio sint. Agamus rem eandem diuerso modo. Anim. XXII. p. 186.

XIX. *Animaduersionis 23. fallaciarũ vanitas ostenditur.*

XX. Quæro ex te Castalde, An fallacia sit, dixisse, Indecorum futurum fuisse Ignatio, qui se ad alia diuinitus desti- Anim. XXIII. p. 183.

destinatum acceperat, alienum Ordinem petere? *Prima de mutato consilio, &*
Dubitas? Gloriosum fuit Dominico ex Canonico Oxoniensi fieri Ordinis Fundatorem? Quidni etiam Ignatio, ex Fundatore designato amplissimæ familiæ, fieri alterius vix natæ, & adhuc in cunis vagientis alumnum & tyronem? Ergo fallacia est.

p. 188. Quæro, an mollia promittere, & acriùs agere, fallacia sit? Euidentissimè. Nam *quod blandè promittitur, seriò non impletur*; Præterea, an, qui sibi iniuriam factam arbitratur, si irascatur, eámque repellere conetur, fallaciæ reus sit? Planè; neque *enim quempiam læsimus*, licet primi litem hanc intentauerimus, Ignatiúmque vobis præripere conati simus. Sed *ille rem per nebulam suspexit. Quod est hæreticorum calumnijs viam sternere*, quæ fallaciarum omnium maxima est. XXI. *Secunda de stylo acriori, &*

cap. 4. A nim. XXIII. p. 189. Quæro Castalde, quâ se fallaciâ obstringat Nigronus, ponderans dictum à te in vitâ ex Caietani ore, Ignatium à Spiritu sancto non vocari. Mox in Epistolâ illi à Thienæo interdictam hanc militiam fuisse; quod tibi diuersum nihil sonat, & multis frustra obuoluis quærens: *An non Spiritus sanctus Deus est?* Vis scire quantum distant? Si quis dicat Abrahamum ad immolationem filij à Deo non vocatum fuisse & ab eâdem à Deo fuisse prohibitum; idémne tibi dicere videtur? Primum falsum & impium. Secundum verissimum. Fac primum illud enunciari. Statim oritur quæstio: A quonam spiritu vocatus fuerit; quæ ex secundo dicto oriri non potest. Nam Deus aliquid iubet ad explorandum hominum virtutem, quod fieri non vult: Ideóque explicatissimè Gen. 22. dicitur *Tentauit Deus Abraham.* Cui dicto ea notio subest, explorauit Deus Abraham. XXII. *Tertia de Spiritu euocante, &*

Anim. XXIII. p. 190. Quæro, an fallacia sit à domesticis testibus argumentari ex Aristotelis disciplinâ? Admodum. Nam & ego meis vtor pro me; quod tamen, quando Nigronus scripsit, latente adhuc traditione, non feceram. XXIII. *Quarta de testibus domesticis, &*

XXIV. *Quinta de potentiâ excursionis, &* Quæro an dixerit aliquando Nigronus Caietanum non potuisse absolutè Venetias excurrere? Non ille quidem dixit, sed non esse verosimilem illam excursionem; quam, quia ego fieri potuisse aliis eiusdem allatis itineribus euiceram, fallaciâ intolerabili vsus est. Noli Castalde cum Nigrono disputans de illius Dissertatione traditionem obtrudere, quæ tardâ abortione tibi tandem aliquando in lucem protrusa est. Ibid.

XXV. *Sexta de ancipiti vocis vsurpatione, &* Quæro, an *Æquiuocum* putes dicere: A vestris Historicis Neapolitana Caietani commoratio biennij fuisse traditur, nullâ Venetæ excursionis, quæ secum tam illustris vaticinij memoriam traheret, factâ mentione. Haud igitur verosimilis ea videtur? Admodum, respondes, non enim aliàs notassem. p.191.

XXVI. *Septima de postulatione probationis &* Quæro, quodnam genus fallaciæ sit facti probationem poscere? Turpissimum; nam *notorium* illud fuisse, ego me luculenter post petitionem illam probâsse contendo. Quare per fallaciam à me probationem exposcebat, quam aliquot annis pòst excogitaui; Hæc enim traditio mea est. p.192.

XXVII. *Octaua de gubernatione Ordinis, &* Quæro, in quo fallacia argumenti huius sit, *Carafa Ordinem gubernabat, & Bonifacius domum Venetam. Ergo Caietanus non erat Ordinis præses*? Magna inest, inquis. Nam licèt Præposito domus Venetæ suprema in Ordinem esset potestas, tamen IV. viri Fundatores omnia gubernabant, & licet hi omnia moderarentur, penès Carafam tamen, & Caietanum summa rerum, quod quamuis verissimum sit, *Neque Carafa tamen, neque Caietanus gubernabant*. Quis hæc explicet? Quis me seruabit Apollo? Anim. XXIII. p. 194.

XXVIII. *Nona de silentio Historicorum.* Quæro an fraudulenter argumentari putes hominem, qui à recenti memoriâ, à scriptoribus eiusdem Ordinis rerum aliarum diligentissimis, huius tam illustris itineris nullam factã mentionem esse cùm videat, illam gratis fictã suspicetur? Omnino inquis; Nã Suarez vester profectionẽ Hispaniẽsem Apostoli Iacobi, nihil 195.

tam

tam magnum ac prodigiosum habuisse censet, vt in vniuersum orbem illius fama exierit, quâ possent excitari Historici ad id memoriæ prodendum. Egregia enimuero contentio. In illâ Iacobi profectione nullum prodigium: in hac Vaticinium, quo nihil illustrius in vitâ Caietani collucet. Ibi de Historicis externis; hîc de domesticis sermo. Et profectò illa maximarum Ecclesiarum traditione constanti & sacris firmata ceremoniis: Hæc incerto vnius familiæ rumore vulgata, & post Castaldi, nescio quo nomine appellem; dicam leuissimè, nouitatem euentilata est. Quæ demum culpa Nigroni, si in corruptos à typographis Caraccioli codices incidit? Sed

De Festis sanctorum cap. IX n. xv.

XXIX. *quod vbi nullus idoneus rei auctor, validum est argumentum*

Anim. XXIII. p. 198.

XXX. *Castaldi admirabilis postulatio.*

Quæro ex te Castalde, an satis vigilans, post com miserationem infelicis Nigroni, atque excusationem, *quem oppugnandi libido vincebat* (dixisses saltem *repugnandi*, nam reus Nigronus in hac totâ controuersiâ, & tu actor) scripseris, quæ ex me ipsissima tua verba nunc te audire necesse est. *Hæc autem si non aduertit* (diuersam à te, & à Caracciolo profectionem Veronensem scribi) *firmiorem præ oculis habebat probationem; illam vtique, quam plenam probatissimam faciunt manuscripta Archiuij S. Pauli, quæ alteram ab alterâ distingunt, vt nihil magis,* &c. Nigronus illa Tabularij vestri Manuscripta habebat ante oculos? illa manuscripta, quæ abdita latent? quæ nemo in lucem dedit? quorum tu verba nunquam attulisti, quamuis ex illis, vt olim Antonius ex Cæsarianis Chirographis, omnia probes? Illâne probationem habebat ante oculos Nigronus iis confectam ex tabulis &c. quæ nunquam prodierunt? Quæro, quid ad rem nostram faciat profectio Venetiis Romam iussu F. Io. Baptistæ suscepta, cùm ea ante conditum Ordinem contigerit? Quin, si aliarum tam diligens enumeratio, huius, quæ nobilissima fuit, cur tam pertinax silentium, vel apud ipsum te?

Nouus iam mihi ex *Recollectione* tertiâ fallaciarum nascitur ordo; maius opus mouet Castaldus: & initio XXXI.

Animaduersionis XXIV. fallacia vanissima

suâ hac traditione Nigronum præclarè docet, sed serò nimis; antea docendus fuerat, ne scriberet; nam omnia illius argumenta fallaciarum à traditione, quam ipsa te excogitare subegerũt, argui nõ possunt: *quamuis enim multa dixerit, ea tamen infirma apud se, & refrixa manserũt*, quæ à te excuti par est, atque è folliculis fallaciarum educi. Sed dabísne mihi veniam, Castalde, vt ea, de quibus iam interrogaui, ad temporis compendium faciendum, nam eo non admodum abundo moriturus, & lectoris fastidium leuandum dissimulem, & meras putas fallacias hîc recenseam? Dabis profectò, quâ es humanitate. Igitur

Anim. XXIV. p. 199 & 200.

XXXII. *De somno in porticibus capto.*

Quæ tandem fallacia est dicere Ignatium de Hospitio & domunculâ conducendâ cogitare debuisse, quùm socios expectaret in hac secundâ Venetâ commoratione? Quia inquis, ante annos aliquos, quùm solus in ipso æstu conuersionis Ierosolymam peregrinaretur, eum nulllo vsum hospitio, sed noctu in plateâ dormisse ex Ribadeneirâ ego noui. Cur autem post vndecim ampliùs annos diuersissimis suis temporibus idem non faciat? Fallacia est hoc dicere.

Anim. XXIV. p. 100.

XXXIII. *De affictâ Ribadeneira sententiâ*

Quisnam captiosus elenchus est mirari, *quod Ribadeneira affigatur* (fortè vtriusque editionis operæ *affingatur* apponere omiserunt) *eum Ignatij negâsse miracula? quia ego dixi Ribadeneiram excusare Ignatium, quòd non patrârit miracula*; Iste per fallaciam me accusat, quasi dixissem Ribadeneiram negâsse miracula: Acutè semper aliquid disco. Etenim ad hanc diem putaueram eum, qui excusat aliquid non factum, negare; sed video me iam malis in Logicâ magistris vsum.

p. 101.

Quæ tandem fallacia est, falsam vocare opinationem illam, cuius nulla est probatio, & ingens incredibilitas. Quia ego traditione post decem circiter annos probaturus eram. Vapula fallax Nigrone; quia non diuinasti; nam cum Castaldo non nisi Vatem certare decuit.

Ibid.

Quæ fallacia est asserere Ignatiũ noluisse vestri Ordinis

Anim. XXIV.

202. dinis cõiunctionem *ob odium solitudinis*? hoc tam triste verbum prudentissimo Nigrono vbinam excidit? & si nũquam dixit, quâ fide illi affingitur? quia Ierosolymis ante xx. circiter annos hærere voluit. Egregiè: sed quis tibi dixit ibi eum solitariam vitam degere voluisse? Imò fidelibus, & infidelibus operam nauare voluisse constat, quod minùs fideliter dissimulatur. XXXIV. *De falsa opinatione & odio solitudinis*

Ibid. p. 202. Quæ fallacia est, te prudentem vocare? Maxima, nam *me dicit diuinare*. Audite vates.

Ibid. Quæ fallacia est, dicere Ignatium, quam animo dudum conceperat, & iam inchoauerat Societatem, vehementissime amâsse? Ingentissima planè; nam operum rudimenta sæpe, si meliora excogitauerint, lacerant artifices. XXXV. *De amore Ignatij in Societatem*

Ibid. Quæ est fallacia, dicere Ignatium amore sui operis captum minùs verosimiliter dici, ad vestra animum conuertisse? Multò maxima; nam teste Maffeio, quem laudat Nigronus, diù perplexus hæsit Ignatius. *Poterit ergo in illâ diuturnâ perplexitate in hanc deuenire sententiam, vt suis postpositis cogitationibus à Caietano vero Dei seruo, Dei vellet intelligere voluntatem*. Hîc verò Castalde, Chrysippos & Dialecticos omnes iam nihili ducere præ te potes, iure quàm qui optimo plumbei illi sunt, si cum hoc tuo fallaciarum indagandarum acumine contendantur. Quis illorum vmquam vidisset in eâ deliberatione, quæ XII. ante annos, scilicet eius seculi 24. Barcinone susceptâ, vt disertè Maffeius, id quod tu vides, potuisse Ignatium de vestro Ordine ineundo, qui nondum constitutus erat, Caietanũ Venetiis cõsulere? Scio & senes, quamuis difficulter, erubescere tamen; quare non vlterius vrgeo, moneo tantùm aliud esse pueris fabulas narrare, aliud responsuris scribere. Offendis iterum ad hãc Ignatij *perplexitatem*. XXXVI. *De diuinatione pulcherrimus Castaldi Anachronismus.*

lib. 1. c. 16. Anim. XXIV. p. 203.

loc. cit.

p. 208.

Anim. XXIV. p. 203. Quæ fallacia est, scribere splendorem vestri ordinis in Gallias, Hispaniásque vsque non videri tunc se explicâsse? Hoc tu quæris? Benedicti sãctitas vicinis è pagis ad cũ monachos adduxit: & nostra fama, vt omnes XXXVII. *De splendore ordinis nulla fallacia.*

Histori

Historici nostri testantur, Neapolim vsque peruasit. Ergo fallacia est.

XXXVIII *De splendore Ordinis nulla fallacia, cui parum decora scribit Castaldus.* Interrumpo fallaciarum Ordinem, vt te, Castalde, amicè moneam, relegas diligentiùs, quæ p.205. §.*quia Clericorum Monachorum Ordinem*, à te scribuntur; nam ea sine sanctissimorum tui Ordinis Fundatorum, si diligenter animaduerteris, iniuriâ grauissimâ non dicuntur, quam ego ob reuerentiam, quæ viris longè clarissimis à me debetur, luculentiùs non explico. Sed Ibid.

XXXIX. *Cautè scribit Castaldus.* Quæ fallacia est, conqueri de tuo dicto? nostros scilicet homines vestræ familiæ habitum imitatos, quum de vobis Parisiis nihil audire potuissent. Non parua, & manifesta; nam scribit Ribadeneira Parisiis in eâdem domo non habitâsse Ignatij socios, neque eodem vestitu vsos. P.205.

X L. *Ignatij socij omnes magistri.* De solitudine, de paupertate abundè disputauimus, sed quæ fallacia est, dicere Ignatium splendore litterarum allici non potuisse? Maxima. *Numquid vos omnes Doctores? omnes litteris eruditi? omnes magistri?* De quibus me rogas? de illis primis, opinor, de quibus agitur. Respondeo igitur omnes litteris eruditos & *magistros in artibus* fuisse omnes ad vnum, vt patet ex Pontificio confirmationis diplomate Pauli III. vbi enumeratis X. primis Patribus ait: *In artibus Magistri, in Vniuersitate Parisiensi graduati, & in Theologicis studijs per plures annos eruditi.* Omnes ergo illi magistri, quod interrogando negabas. Nam si de nobis, qui post illos aut fuimus, aut sumus, rogas, ne tibi ægritudinem faciã, quum ad caussam non faciat, patere, quæso te, me non respondere. P 206. p.207.

XLI. *Legitima argumentatio à Constantiâ.* Quæ fallacia est, ab Ignatij constantiâ argumentari? Maxima; quia Machabæi, *quum quidquam facere non poterant, quod prodesset, se abscondebant*, quod illis laudi vertit Chrysostomus. Sed probandum fuerat, Castalde, nihil agere potuisse Ignatium, quod prodesset; nam alioqui nugaris. Et quidem strenuè; nam si te sequimur auctorem, nec cogitationem quidem rerum difficilium agendarum susceperat. Anim. XXIV. p.208.

Quæ

p.109. Quæ fallacia eſt, dicere: Hominem emendicatâ ſtipe viuere aſſuetum, quod & Chriſti Domini & maximorum ſanctorum exemplo facere ſe credidit, ideóque in illo perſeuerauit, aliam huic contrariam viuendi rationem initurum minimè veroſimile eſſe? Eſt omnino; nam propoſitum mutare poſſumus: at Caſtalde viri ſancti in id, quod melius non putant, non mutant: an meliorem Ignatius veſtram illam rationem putauerit, palàm eſt; nam vos imitatus non eſt, ſed Franciſcum. XLII. *& à mendicatione.*

XLIII. *Caſtaldus eadem moroſiſſimè repetit.* Arbitrabar fore, vt poſt tantum laboris exhauſtum ex iſto fallacium vndarum pelago me poſſem emergere. Sed quaſi tranſmiſſo freto, nouus excipit Oceanus. Fallaciarum nomine Animad. XXV. & XXVI. pene totâ Controuerſiam de Conſtantiâ, & de ſociis repetis, Caſtalde, ideóque eadem repetis, vt mihi in mentem venerit cogitare à duobus confutatam fuiſſe Nigroni diſſertationem, quorum labores in tuum Certamen pacificè coierint: ſed nolo ſuſpicioni meæ fidem haberi; dicatur potiùs eadem te repetere, nec tamen Tautologum eſſe, quod Nigrono, qui Synopſim opuſculo ſuo præmiſit, tu obiicis, Quaſi verò Anim. XXII. p.170. Synopſim vnam præfigere crimini dari poſſit; *Recollectiones* omnino quatuor iiſdem oneratas dictis adiicere laus ſit. Sed durandum eſt, & quod ſupereſt, adhuc fallaciarum enauigandum.

Anim. XXV. p.210. 211. 212. 213. Quæro, in quo ſit captioſum argumentum: Ignatius vel ſocios erat deſerturus, vel non? Si primum; hoc eſt hominis maximè inofficioſi; ſi alterum, quî potuit ſibi prudenter de illorum commutandâ voluntate promittere, quam illi longiſſimâ deliberatione ſuſceptam dicto etiam ſacramento firmauerant? In eo, inquis, quòd, vocante Deo (quod nec Nigrono probare tentaueras, & mihi nondum probaſti) ſocios contemnere debuit: Quàm aptus hic ad excurrendum campus! In eo præterea, quod Ignatium reuerebantur vt patrem. Ergo importunâ inconſtantiâ, XLIV. *Agitur de fide erga ſocios.*

quæ ante ſancta eſſe voluerant, turbantem ſecuti fuiſſent.

XLV. *Nulla Nigroni Catachreſes.* Quæro ex te, Caſtalde, quænam ſunt amplificationes, quæ Catachreſes, quibus præter omnium morem vtitur Nigronus? quæ? Ait, Societatem adumbratam fuiſſe, quod anno XXXVI. verum erat, neque ego nego. Hæc eſt amplificatio? Hæc Catachreſis? p. 214.

XLVI. *Ingens prodigium à Caſtaldo innuitur* Quæro, quæ fallacia eſt dicere: Ordinem veſtrum Hiſpanis Galliſque ignotum fuiſſe? Magna. Nam mũdus totus deſiderabat, quod nos fecimus & *ex Oratorio diuini Amoris* noſtri prodierunt & Thienæus vir nobilis, & Carafa olim tantus, & ex Ambroſ. *ſuâ ipſâ luce ſe ſignat.* Sol, opinor; *Quod ſi per impoßibile ſcitũ vbique non fuiſſet, prodigioſum vtique cenſeretur, & incredibile.* Præclarè dictũ; nam & hoc, ſi alia deſint, inter conditæ veſtræ familiæ miracula & prodigia enumerari poteſt vbiq; agnitã nõ fuiſſe. Quod ego patratũ fuiſſe prodigiũ cõfirmo, aut tu contrariũ doce; præſertim quùm de claritate famæ, quã tu dicis ad vltimas terrarũ oras fuiſſe portatam, Hiſtorici veſtri, vt doceant, quàm longè latéque pertinuerit, Neapolim vſque perueniſſe ſcribãt; non diſſimulaturi, ſi quid de Hiſpanis Galliſque audiſſent, niſi tu fortè ex arcanâ traditione aliquid eruiſti, quod illis latuit. Verùm ſi tantus erat rerum geſtarum ſplendor, & veſtra noua viuendi ratio deſiderata cunctis gentibus, qualenam prodigium fuit à ſola tantùm Neapoli, quæ Carafæ patria erat, per annos viginti accerſitos fuiſſe? 161. p. 216.

XLVII *A Carafæ moribus nulla fallacia.* Quæro, annon veroſimile admodum eſt, Carafam hominem, qui diuina maximè reuereretur, cognito Ignatium diuinitatis inſtinctu nouam à ſtirpe familiam condidiſse, perſuaſurum ſibi eodem quoque numine, ab eo temperaturum, ac proinde nihil in illâ mutaturum? Nequaquam, inquis: fallaciarum in grege hoc argumentum eſt reponendum. Ibid.

Quæro, an eiuſdem rei delineatio, quùm in abſolutã euadit figuram, in aliã trãſmutetur? Negas? Cur ergo Anim. XXV.

reprehen

p.116. vsque ad 220. reprehendis Nigronum, quòd initam Parisiis ab Ignatio cum præclarissimis iuuenibus Societatem, & quorumdam votorum firmatã sacramento, eius delineationẽ, quã demũ Romæ absoluerũt esse dixerit: quare? 217. quia illa *Piæ Societatis simulacrũ est*; *hæc Religiosi cætus vera effigies* (redundat hæc vox, nam res effigies sui non est) *atque adeo diuersa ad inuicem, vt sicut supra pronũciatũ est, formaliter distinguantur.* Acutissimè enimuerò; quasi res abdita sit, prima lineamenta rei *formaliter* à re distingui vt inchoatum à perfecto. Sed doce me Castalde: Ordo vester extititne repentè, vt fungus, an aliquâ consultatione inter IV. viros fundatores præmissâ, & consulto per dies aliquamplurimos precibus Deo, maturè ac prudenter de illo condendo deliberatũ est? Quis dubitet ibi multa consilia fuisse, ne illos pœniteret? Age, si quæ de cogitatâ & adũbratâ ab Ignatio familiâ dicis, de tuâ mutato nomine narrentur, patierísne dici, quùm vestri Platonem fingere voluissent, aberrante arte Aristotelem efformâsse? Vt vis, inquies: argumentum Nigroni mera fallacia est. XLVIII. *Neque à delineatione, & formâ.*

p.120. Quæro ex te, Castalde: Annõ dixisti occultatã fuisse vitã Ignatij à Ribadeneirâ scriptam? Non scripsi: & quasi à te scriptum hoc tibi obiectat Nigronus? & quidem dolenter, ac multis n. suo 99. quo particulam epistolæ meæ XXVII. examinat, & calumniatur, *in me calamum acuens, & matrem necans.* Proh facinus! Nigrono matricidæ Culleus. Dic sodes, non scripsisti? Age Nigrone, Recitetur epistolæ particula: *Nec mihi Nigronus obiiciat Ribadeneiram hoc affirmare in Ignatÿ vitâ quàm Latinè edidit, cum de dono ageret prophetiæ. Frustra eum librum iactat, quem perpetuâ occultatione latere multis abhinc annis accurata diligénsque multorum conquisitio comprobauit.* Hæccine scripsisti? Omnino, sed occultatum à vobis non dixi. Et hæc viris dicuntur? Quis enim occultauit? sed quàm infeliciter huius Nigronianæ respõsionis meministi? Cur non reponis aliquid ne victus iudiceris? nimirum librum tibi tam acri quæsitũ XLIX. *Nigronus per calumniam icitur matricida* L. *Negat Castaldus quæ scripsit.*

inda-

indagine sæpius redditum, typis prostare venalem, demonstrauit Nigronus. Ergóne Matricida Nigronus?

De Ribadeneiræ testimonio, & Orlandini dictis abundè disputatum est. Sed

L. *Defenditur Orlandinus.* Quæro, cuius criminis vindex, in nos contorqueas quæ tibi Nigronus obiecit? An de Ignatianis excursionibus? Quamquam eandem semper tundas incudem, respondendum est; quia Orlandinus eas ex antiquissimis manuscriptis Tabularij Romani eruit: Tu Venetam Caietani nescio quo ex rumore, à tuis aut neglecto, aut irriso coagmentasti? quoties eadem dicenda sunt? Ibid. p.222.

LII. *Nouus fallaciarum ordo.* *Extremum hunc* (non Arethusa, sed) *Pie Christe mihi concede laborem.* Superest adhuc fallaciarum agmen postremum, quas XXVI. Animaduersione difflauit Castaldus. Proh quàm immanes! quàm contra omnium argumentationum fidem audaces! audiamus. Vísne opponendi partes, Castalde, tibi assumere, vt tuas, & perhonorificas, nam de reuelationibus agitur? Ego qui hactenus interrogaui, respondentis personam sustinebo: sic fiat; leuior erit tuúsque, meúsque & legentium labor. Incipe Castalde.

LIII. *De silentio diuinarum illustrationum.* Aio, inquis, *tempus tacendi, & tempus loquendi esse, & Sacramentum Regis abscondere bonum esse, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum esse.* Quid tu? Firmâ id ego fide teneo. Ergo potuit Ignatius tacere hanc præclaram Caietano factam reuelationem. Quid tu? Potuit. Ergo verosimile esse, eum proditurum fuisse, quod per fallaciam Nigronus obiicit, minùs verum est. Quid ais? Pernego. At Christus dixit Petro: *Confirma fratres tuos*; hoc est Bedâ interprete, *Sicut ego tuam fidem, ne deficiat, orando protexi; ita tu infirmiores fratres, ne de veniâ desperent, confortare memento.* Quid subrides ad hæc sacra? Quia non sunt ad rem, ideo ridendi mihi ius. Anim. XXVI. p.223.

LIV. Agnosce aliam fallaciam. Dic Magister. Nigronus Ibid.

reuelationem

reuelationem Caietano factam, sociis ideo ait Ignatium non aperuisse, quia non videbantur credituri, mox visum illud percelebre, in quo pollicitus est Christus Dominus se illis Romæ propitium fore, retulisse, quia ad imminentes ærumnas tolerandas facere plurimum videbatur. An hæc tibi homini minimè malo fallacia non videtur? Nequaquam. Nam Ignatium nouerant socij déque illius fide dubitare non poterant. De Caietano nihil audiuerant, neque sciebant, ater, an albus esset; nam antequam Venetias appellerent, ille Neapolim inde discesserat, quamquam non discesserat, qui id temporis ibi omnino non fuerat. Quamquam hîc ego tibi magnam, sed minimè voluntariam fallaciam impingo, quam enim tacitæ prænotionis caussam §.32. num. 3. Nigronus attulit, ea tuam istam, de quâ num. 92. egit postea, nequaquam spectat, sed Minoressanæ silentium honestissimum fuisse demonstrat. Quod tibi in tanto fallaciarum æstu sus déque habitum est. *Præsertim vnius, & de alterius, manifestatione.*

p. 116. Anim. XXVI. Sed agnosce fallaciis aptum Nigroni ingenium: laudat testem Ribadeneiram lib. 1. cap. 16. quasi Ignatius, dum animarum salutem meditatur, Societatis quædam duceret lineamēta; quùm tamen ibi Ribadeneira, statuisse illum dicat, operam suam nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere. An non agnoscis fallacissimam fallaciam? Abnuo; nam nouam familiam ex animi sui sententiâ condere, aliud longè est, quàm quod noluisse Ignatium Ribadeneira tradit. De Hierosolymitanâ commoratione satis superque dictum. Perge *De Ribadeneira Testimonio.*

eâdem p. 115. Sed ego dixi, Ignatium ad acuendum gustum rerum diuinarum litteris operam sedulam nauare decreuisse: quod Nigronus negauit: tu quid dicis? Pernego & ipse. Nam huiusmodi deliciis ne à studio litterarum auocaretur, acriter illi fuit laborandum, vt tradit Maffeius. LVI. *De importunis litterarum studio consolationibus.*

Ibid. p. 117. At quæ est ista argumentatio? Ignatius silentio LVII.

Tt 3 assuetus,

Iterum de taciturnitate. assuetus, diuinos huiusmodi fauores prodere non solebat? Illéne, qui celebrem illum Romani itineris statim sociis aperuit, & plurimos in libello adnotauit? Annon hoc dicere fallacis hominis tibi videtur? Mihi verò minimè; nam vnam semel aperuit; reliquas memoriæ caussâ, & certâ quadam opportunitate in aduersaria retulit, ex quo nihil contra eius taciturnitatem, quam verbo laudas, & re impugnas, confici potest. Perge.

LVIII. *De consulto Caietano.* Si Ignatius diuinitus doctus de condendâ familiâ more tamen dubitat humano; cur non de eâdem consulat Caietanum virum Spiritum sancto plenum? *Hoc non est pondus sanctuarij, sed regula Lesbia*, fallaciarium architecta. Numquid dicta non probas? Si per te licet, improbo. Nam cur Caietanum consuleret, cum quo nihil illi erat in commune deliberandum? Cum sociis dissimulat; quia illorum sententia, & consensus ad id, quod faciendum diuinitus acceperat, requirebatur; quem vt quàm lenissimè exprimeret, vir longè prudentissimus, rem illorum permisit arbitrio. Anim. XXVI. p. 128.

LIX. *De prædicto socijs nomine Societatis.* Quæ est ineptia, de reuelato nomine Societatis? aut quid ad rem pertinuit eius prænotionem sociis ingerere? Fallaciæ aliquid hîc latet. Nihil omnino, mi Castalde, neque imprudenter arcanum nominis aperuit Ignatius; nam superbum quibusdam videbatur, & diu deinde, multúmque nobis contra perduelles Ecclesiæ, aliósque pugnandum fuit, vt illud tueremur. Ibid.

LX. *De spiritualibus exercitijs.* De spiritualibus exercitiis nihil addo. Si vos his externos passim excolitis, te audiam; si ignotum vobis hoc exercitationum genus est, quod Ignatius tanti faciebat, quibúsque plurimos Deo lucrabatur, quódque eius posteri tam felici vbique celebritate continuant; tum tu nihil omnino dicis. Nam quod Grauinam, & Caietanum tibi succidaneos reponis non cum illis mihi modò res: quare cùm extra caussam sint & superius aliquid disputatum à nobis sit, seponantur in aliud tempus. p. 129.


Igitur

Igitur vt tandem aliquando ab his tuarum fallaciarum ſpinoſiſſimis *Recollectionibus* Lectorem dimittam; quùm omnia argumenta Nigroni ex maximâ rerum veriſimilitudine & probi viri officio ducta ſint; quúmque illis Traditio, neſcio quæ fabularis tantùm opponatur, de quâ mirum in eâ, quam Nigronus confutat, Epiſtolâ ſilentium ſit; & fœdiſſimo anachroniſmo Caſtaldus laboret, aliiſque inutilibus argumentationum formulis vtatur, Fallaciarum per quatuor Animaduerſiones Nigronus poſtulandus non fuit; quod mihi erat probandum.

LXI. *Nigronum ab omni fallaciâ immunē fuiſſe concluditur.*



INTERRO



INTERROGATIO VIGESIMA.

DE PVGNANTIBVS, ET CONTRADICENTIBVS,

Quæ à Nigrono dicta, vt pugnantia Castaldus impugnat, sibi constare: & de acutissimâ Castaldi Dialecticâ.

I. *Castaldus Nigrono diras imprecatur*



Agnificentissimè certare orsus, Castalde, operi Nigroniano, *quasi abortiuo, dignôque quod non subsistat requisitum* (& me deinde ad caritatem hortaberis?) diras imprecatus es; quarum ego obnunciatione neglectâ nihil de te sinistrum dicam. Distuli hucusque de Pugnantibus, quæ congeris *Memorialis* nomine, in primam Animaduersionem; quia non fuit operæpretium ab his ordiri. Sed interim responde, Castalde, pro tuo incomparabili acumine. Anim. 1. Pag. 8.

II. *Eiusdem admirabilis Mathematici.*

Quæro ex te, cur Animad. XXII. clarissimos Historiarum scriptores Lucenam, & Orlandinum committere volueris, tanquam pugnantia scripserint? Cedo, quænam ista sint? Eccilla. Primus per autumni tempus; vergente ad exitum anno Ignatij Venetiis discessum alter consignauit. Pudor est, Castalde, ista dicere virum qui Mathematicas vel à limine salutauerit; quid enim dici potuit obtusius? An non annus extremo autumno ad exitum vergit? An Nouember penultimus anni mensis Autumno non contribuitur? Quid canis triumphum? *Oppositio certè & contradictio vera & realis.* p 180.

Tollat

Tollat ergo quod ſuum eſt, & vadat. Paruit Nigronus, ſuorum hiſtoricorum veritatem tollit; tibi quid reliquùm hîc ſit, tu videris; audio, te ſenem admodum eſſe, iam ſi quis hæc me ſcribere, Caſtaldi vitâ ad exitum vergente; alter ſenectâ iam Caſtaldi ætate dicat, contradicentia hi duo tibi loqui videbuntur?

Quamquam quid magnæ rei fuiſſet auctores duos in temporum ratione conſignandâ vno inuicem menſe diuerſos abire, quùm videamus magnos magiſtros in ſuorum dictorum explicatione ſibi planiſſimè eſſe cõtrarios? Age Caſtalde, ſcripſeras in illâ tuâ Epiſtolâ §. XVII. in hæc verba: *Quid potuerit Ignatij animum inclinare ad noſtri Ordinis inſtitutum ſuſcipiendum & ſuſcipiendum omnino non conſtat, Fortaſſe tamen hæc, quæ ſubdam prudentiſſimũ virum commoda mouerunt.* Ad quæ Nigronus, poſtquam oſtendiſſet idem valere, ac ſi dixiſſes: *planè incognitum eſt*, monuiſſétque erroris fortè operarum voculam tranſponentium adeóque legendum, *non omnino conſtat* laudauit deinde modeſtiam tuam quod dubitantis voce vſus fueris *Fortaſſe*, nimirum vt qui eorum, quæ ſcriberes, imbecillitatem prudentiſſimè agnoſceres. Tu Grammaticus, ac Logicus planè incomparabilis paratragœdias atque homini nigro iraſceris, quòd voculam *fortaſſe* dubitantis eſſe dixerit, ſpiſſâque eruditione probare contendis eam valere *profectò*, atque adfirmantis eſſe. Non ego ſummo hîc iure agam: ſit duarum vocum *fortaſſe*, ac *profectò* eadem notio. Quæ igitur erit ſui ſermonis inconſtantia ſic loquentis. *Quæ cauſſa fuerit Ignatio omnino non conſtat. Sed profectò fuit?* Hæc conuenientiáne ſunt an pugnantia? fortè correctio eſt, ſed corrigenda magiſtro, in quem ſi quod ipſe Societatem acerbè perſtringens Nigrono obiectat *ſciat quòd non cum pueris quos primus imbuat elementis agat*, ego reiecero, iure tuis te verbis alloquar Caſtalde *Tolle igitur, & vade*, hoc totum tuum eſt.

III. *& inconſtantia ſermonis*

Anim. VI. p. 47.

Quæro, quæ ſit argumentatio à potentiâ ad actum IV.

IV. *Ribadeneira & Orlandini consensus.* in Nigrono. scribit Orlandinus tribus annis iuisse Ignatium in Belgium, semel progressum esse in Angliam: Obiicis Ribadeneiram, qui primo & altero anno iuisse in Belgium, tertio in Angliam, quasi pugnantia scribat. Soluit Nigronus docens nihil repugnare, nam potuit per Belgium ire in Angliam quod solens est; factum constat, potentiam prodit Nigronus; Hoc est à potentia ad actum? An actu probato, potentiam explicare? Anim. 1. p. 9. & Anim. VI. p. 46.

V. *Nusquam Nigronus non caussâ pro caussa attulit* Quæro vbi caussam pro non caussâ adducat? quia Caietanus superior Ordinis non erat. Ergo ab eo Ordinem petiisse Ignatium impossibile est: verissima ratio, & negandi caussa; Consuli quicumque potest, admitti in Ordinē nisi ab eo, qui facultatem habeat vir prudens non petat: verissima igitur caussa non petendi; nec Logicæ cuius precepta in Academiis olim tradiderat, Nigronus immemor. Anim. 1. pag. 9.

VI. *Nec à parte argumentatus est ad totum,* Quæro, an qui à destructione vnius *particularis* genus impugnat vniuersum, à parte argumentetur ad totum? Petrus non est rationalis: ergo non omnis homo est rationalis. Huiusmodi est Nigroni argumentum. Non vbique vita duci potest non petitâ stipe. Nō igitur is modus viuendi diuturnitatem habiturus videtur: addere potuit voculam *vbique*, ne tibi occasionem daret reprehendendi: sed vir prudens putauit Ordinem Religiosum huiusmodi esse debuisse; vt ex vario rerum euentu non penderet. Vbi disparatio? Ibidem

VII. *Nec à disparatis* Per Natalitia, Epiphania, & Cineralia Caietanus Neapoli attinebatur, non ergo Venetiis fuit. Hoccine est disparatum? Rursum, Caietanus breuissimo tempore Venetiis fuit per te, si fuit. Ergo Ignatius è Galliâ in Hispaniam adueniens quibus in regionibus Caietani nomen auditum nunquam fuerat, non videtur tam citò in eius, vtpote hominis, & sibi ignoti, & Venetiis hospitis se familiaritatem insinuare potuisse. Hoccine disparatum cuius causâ, vt Logicæ immemor vapularet Nigronus?

&

& tibi de antiquitate disputanti credam, qui vbi libri sunt in manibus ista scribis?

Anim. 1. p. 10. Quæro, quid repugnantiæ sit in hoc argumento Nigroni quod reprehendis: Ignatius non fuit vocatus à Spiritu sancto. Igitur ab alio. Non ab humano, neque ab Angelico bono. Ergo à Diabolico: quid ais, Castalde? excita aliquando te ipsum. Quid repugnantiæ hîc? Multum. Ostende. Falsâ vtitur inductione. Itane Logicam didicisti? Vbi hîc inductionis vestigium? An partium remotio inductio tibi videtur? *At omnes à Spiritu sancto vocatum sentiunt.* Omnes? qui? non Nigronus, non ego; qui tamen extra omnis vniuersitatis fines non sumus; non quibus cor sapit, & emunctis naribus Historiarum fallacias odorantur: quid ego hos nomino? Non Caietanus tuus si tibi credimus: Nam fingis dixisse illum Ignatio, *eum à Spiritu sancto non vocari.* Negas? Reuoco ad caput illud quod totius controuersiæ fons fuit II. eiusdem vitæ. VIII. *Astra Castaldi inductionis ratio* In vitâ Caiet. c. 3.

Anim. 1. p. 10. Quæro quæ contradictio sit errore amanuensis, aut typographi laudatum Iasonis locum vnum pro alio fuisse quùm de dicti veritate nulla nisi apud eos, qui fraude agunt, sit dubitatio? Sed quid ais de *Præsumptione*? Illa, ex tuo iuris lexico *ex verisimilibus coniecturis & argumentis* conflatur, si harum nullam protulisti, quam præsumptionem feceras? Ergo si sine argumentis præsumptio non est, ac rursum sine illâ facta non præsumuntur, consequens vtriusque est facta non credi sine argumentis, quod idem est ac dicere, nisi probentur: quod dictum tu Nigrono pro tuo incomparabili acumine ac iuris prudentiâ penitissimâ, vt contradicens obiectabas. IX. *Et præsumptionibus doctrina*

Anim. 1. p. 10. Anim. VI. p. 49. a. Quæro ex te, Iurisconsultissime Castalde; an satis intelligas, de quâ determinatione loquaris, dum de dãno infecto disputans (nã ob errorẽ characterũ, quibus tria verba Nigroni, legẽ *quia fieri potuit* interpretãtis, ac X. *& de Dãno infecto solemnis iuris prudentia.*

ſi legis ipſius eſsent, exprimuntur, eum vehemẽtiùs accuſare, animi minùs amici eſt) ais, determinatum damnũ eſse? Planè non aduertiſse videri potes, nã neſcîſse te non dicam celebratam in Philoſophorũ ſcholis determinationis diuiſionẽ; aliã enim eſse docẽt quod ad ſpeciẽ, aliam quod ad exercitium. Quis enim neſciat ſuffoſſo aggere, domum nõ ardere; ſed fruges alluuione vaſtari? corruente pariete nõn campis calamitatem inferri, ſed vicina impelli, atque opprimi? An Nigronum tam ſtolidum fuiſse putas, vt crederet de hac loqui legiſlatorẽ? At agger cõuelli potuit & non cõuelli: ruere domus & non ruere; quare damnum, quod inde imminet quia inferri poteſt & non inferri, ideo dicitur dãnum infectum. Habeo ego hîc viciſſim de quo

XI. *einſdem cõtradictio.* te interrogem; vereor enim vt quæ Anim. v I. ſcribis, p. 49. ſatis intellexerim. Age, tua met verba recitabo: *Potentia, quam adducit Nigronus vel eſt determinata ad tale* p. 50. *damnum, vel non. Si eſt determinata ad tale damnum, nihil pro ſe probat vt dictum eſt quia non eſt anceps ad eſſe, & non eſſe, ſed ad tale eſſe* Oracula loqueris, & ænigmata. Adeſte Logici & contradicentia hæc componite, ſi poteſtis. *Si eſt determinatum ad tale damnum, eſt anceps ad tale damnum.* Idem enim valet *ad tale eſſe.*

XII. *Et chronotaxis neglectus,* Sed recognoſce mecum Caſtalde, quam contradictionem agnoſcas Nigronianis his in verbis: *Theatinorum non is erat ſplendor, qui nunc eſt magis in receſſu quàm in fronte:* Et *quia plerique nos Theatinos vocabant. ſanctus Ignatius, vt Theatini Romæ domicilium haberent, optauit & valde egit.* Quando hoc actum Caſtalde? puto aliquot annos poſt id temporis de quo loquitur Nigronus: ſed tu iam chronotaxi vt Hiſtoriæ impedimento nuntium ſtrenuè remiſiſti; imò palàm bellum indixiſti, eámque profligaſti: ſed fac de eodẽ tempore dictum. Quid magni nominis erat ſi in vrbe Carafâ iã Cardinali, ac tãtùm non Pontifice quùm ab eo Anim. 1. p. 11.

inſtitu

institutam sciret homines Clericorum familiam, quæ Venetiis, & Neapoli se contineret, eósque à Cardinali Theatinos dicerent, viderén tque Societatem nostram Clericorum itidem familiam esse, facili vulgi errore nos etiam Theatinos nuncuparent? Quis vnquam hinc famam, celebritatémque nominis, quæ in ore omnium esset, quâve totus insonaret orbis, possit colligere?

Anim.I. Fateri hîc cogor, quod sæpius feci, tarditatem meam; nam quid dicas p.12. quamuis non semel legerim assequi non potui; ignosce mihi Castalde, *Dauus*, inquit ille, *sum, non Oedipus*, sed conemur. Non desituras persecutiones dicit primò Nigronus, imò pro domiciliorum incremento aliquo, augendas tunc fuisse videri, si in exiguam L. capitum familiam Societas CIↃ. esset intrusa. Rursum ait, si alienum in nomen transmigrâsset, desituram fuisse Societatem. Hæc verissima Nigroni dicta. Verùm quo modo molestiarum cessationem in hoc secundo dicto agnoscat, si quis acutiùs videt, doceat; quasi verò nominis appellatio, & non indictum vitiis bellum, eas turbas excitaret. XIII. *& Nigroniani dicti aliena interpretatio.*

p.4. & 11. Quæro & te Castalde, an verè te *Mendacem* Nigronus appellauerit? Si hoc fecit, viro probo maledixit, & quanquam caussam dicendi haberet, facere omnino non debuit. Ego etiam quamuis sæpiùs te falsa dixisse demonstrauerim, præsertim quum de iure Societatis nostræ ageremus, huiusmodi vocem, quæ vix abesse solet à maledicto, vsus nunquam sum: sat scio, aliud longè esse falli, aliud scientem, volentém fallere, illud ab officiorum magistris falsitatem, hoc dici mendacium. Quare quùm grauis hæc sit Nigroni accusatio; probanda fuerat, ne calumniator audires. Eâ enim Epistolæ particulâ 12. num. 39. nusquam te mendacem dictum reperies, & quî poterat, qui cornuto ibi vtitur dilemmate? Legat Lector, si otium est. Ego hoc à Nigrono dictum vspiam pernego, XIV. *& eiusdem falsa accusatio.*

Inter.2.

& ab eodem Castaldum validissimè sæpiùs reuinctum affirmo.

XV. *Non idem probandi onus Nigrono, quod Castaldo incumbebat.*

Quæro ex te, Castalde, an eamdem tuam, & Nigroni in probationibus caussam esse putes? Tu rem fabulosissimam primus in medium attulisti, nullâ additâ probatione ad fidem faciendam. Refellit Nigronus validis vsus coniecturis. Tu futiles opponis, & probabilibus tantùm vteris, illud perpetuò occinens: *Potuit, potuit.* Nondum enim elaboratus stramineus traditionis aries fuerat. Nigronus rem probari, non eius possibilitatem postulat: Ipse factam esse, haud verisimile videri, quàm quod maximè demonstrat, nam incredibilitas rerum coniecturis optimè probatur. Párne igitur vtriusque caussa? Sed iam video me ineluctabilibus vrgeri. Tenemur Nigrone, enimverò tenemur. An non tu contradicentia, & pugnantia loqueris, qui demonstrare debes, nec demonstras? qui probationes requiris à Castaldo, cuius dictis non credere flagitium est? nam in te, qui non credis, probandi onus translatum est; qui lectâ Carafæ Epistolâ se Caietanum mittere scribentis, ab eo missum putasti? quàm hîc triumphat Castaldus, qui ex Actis Capitulorum generalium à Capitulo id factum docere se putat? Sed Carafæ Epistola, in quâ tanquam præses loquitur, in quâ se facere, ac deliberare dicit, singulari etiam numero vsus, ne inter plures elaberetur Castaldus, in manibus est; acta latent in tabulario, quæ si prodierint, cum Carafæ Epistolâ committentur, fortè, vt ex collisis elementis, aliquid plurimum habens admirabilitatis procreabitur. Interim nulla in Nigroni dictis contradicentia sunt.

Anim. I. p. 12. 13.

Anim. I. p. 13. & Anim. III. p. 19.

XVI. *Falsò iterũ accusatur Nigronus.*

At Caietanum fundatorem negat. quis? Nigronus. Ergo qui Carafam præcipuas in condendâ familiâ partes egisse tot testibus probat, Fundatorem & Caietanum fuisse negat? Omnino, inquis. Te igitur, qui olim scripta egregiè reuocas, & Caietani primas partes fuisse contendis, Carafam Fundatorem negare dicam.

Anim. I. p. 13.

dicam. Eadem quippe consequentium vtrobique lex, & dic, sodes, vbi Pontifex Præcipuum FVNDATOREM Caietanum appellet? Sed fortè præcipuus est, quia tu maiusculis characteribus scripsisti.

Ibid. Adhuc Nigronus pugnantia, & contradicentia loquitur; audiatur. Castaldus: *S. Ignatium nemini subesse vult, qui omnibus subesse voluit*: Video, quid dicere velis, sed quia non dicis, dic rogo, quo modo pugnantia loquitur? nam terminus alter Ignatij voluntatem appellat: alter Nigroni. Saltem dixisses: Contraria Ignatianæ docet voluntati. Rursum quæ contradictio, sollicitum facere pro sociis, qui sui viuebat incuriosus? XVII. *Castaldi loquendi forma mirabilis.*

Anim. VII. p. 65. Quæro ex te, cur Nigronum ex Quintiliano docentem, *argumenta si non valent; quia magna sunt, valere quia multa sunt*; & dicta ex Modestini Doctrina comprobantem tam acriter reprehēdas? Quia, inquis, contraria Modestinus docet, atque Nigrono refragatur. Sed memineris duas à Modestino sententias referri; alteram nonnullorum censentium excusari eum: *Qui iura multa poterit dicere, quorum vnumquodque per se ipsum satis validum non est*: Alteram aliorum secus autumantium. In illam primam cum Speculatore, aliisque in tit. de instit. ædi. §. 7. iuit Nigronus, quod illum ab omni tua accusatione absoluit. XVIII. *Modestinus perperam Nigrono obiectus.*

Abiungo, quamuis aliqua supersint, sed quia satis, opinor, superiori Interrogatione iam confutata sunt, libens omitto, &

Quæro ex te Castalde, an non iure tautologiæ à me sis accusandus, quum pleraque omnia, quæ in Animad. primâ in *Memoriale* coëgisti, Pugnantium, & Contradicentium nomine; eadem in postremis Animaduersionibus fallaciarum appellatione, in scenam producens, repetitâ crambe, quæ mors est, ex veteri prouerbio, Lectorem enecaueris. XIX. *Nigronus absoluitur.*

INTERRO



INTERROGATIO VIGESIMA PRIMA, ADAVCTA, ET MISCELLA.

Pluſcula vel perperàm, vel per iniuriam à Caſtaldo dicta, quæ ſuperioribus præterita Interrogationibus & recèns enata; ſiciliuntur.



AM largus reprehenſionum, dictorúmque in Nigronum, & eos omnes, quos illi cauſſa coniunxit, fuiſti Caſtalde, vt quamuis diligenti meſſori, ſpicilegium aliquod relinqui fuerit neceſſe. Ergo qui perpetratis legitimis veluti Interrogationibus, opus me abſoluiſſe credebam, animaduerti plurima tuis in Animaduerſionibus animaduerſione digniſſima, ſupereſſe, aliaque ſe aliunde obtulerunt, quæ tranſmiſſo iam ad Typographos libro, ſuis locis commodè adnecti quum non poſſent, viſum eſt in hanc Interrogationem nulla proſâ aut verſu, ſed, vt locum ceperint, Capreolatino coniicere, nec omnia quidem; quis enim hoc audeat polliceri? ſed paucula modò, ne vniuerſa funditus diſperirent. Quare patere, obſecro, de his more, ritûque noſtro te interrogari.

I. *Nigrono contradictio falsò impingitur à Castaldo.*

Quæro igitur I. ex te Ioannes Baptiſta Caſtalde, vbinam ſuæ diſſertationis ſcripſerit Nigronus Caietanum Neapoli peccata confitentibus aures dediſſe? Quod tu ideò illi impingis, vt hominem veluti immemorem, & contradicentia ſcribentem traducas, nam in Diſſertationis *Anim 1. p. 1.*

tationis

rationis num. 59. Ribadeneiræ accedere videtur, qui suâ illâ in Epistolâ, *Vestros à principio confessiones non auscultásse*, ad eundem Nigronum scripserat. Si bonâ fide agis Castalde, Nigronum inconstantiæ habes manifestum. Verùm vide, ne te contradicentia vndique irrito conatu conquirentem oculus fefellerit, nam fidem sublestam fuisse cogitare non ausim. Certè loco à te indicato, Synopsis nimirum num. 6. nihil de Confessionibus Nigronũ habere, oculorum iudicium esto. *Curam* quidem *extranearum ouicularum* tanquam Patri spirituali, tribuit; de confessionibus ne mutit quidem. Omnesne igitur, qui Ordinis sui clientibus consilio ac piis monitis adsunt, illósque in viâ Domini iuuant, hi tibi aures confitentibus dare videntur? Quo igitur loco habes Capucinos, quos ab eo ministerio in terrâ Italiâ abstinere quidem, sed plurimis vt Patres spirituales adesse non ignoramus? Quo veteres Monachorum Patres, quorum plerique sacris abstinebant initiis, & sibi commissis gregibus nihilominus moderabantur?

Anim. XII. p. 129. Quæro II. quî ex Animaduersione XIII. sine Francisci, ac Dominici iniuriâ dicere potueris; ex hoc non mendicandi instituto, quod ego laudo & suspicio, homines *admirari cælestem hominum vitam ab omni prorsus terrenarum rerum affectu disiunctam*? An illorum vita, qui stipem emendicant, terrenarum affectu concreta est? Hoc profectò sine conuicio non dices: at nisi hoc dicis, nihil singulare dicis. Quis autem credat Franciscum, Mendicantium Patrem, minùs *à terrenarum rerum cupiditate disiunctam vitam* duxisse, quàm tuorum quemlibet? Non ego, nec quisquam, cui cor in pectore saliat. II. *Qui vanè gloriatur.*

Anim. XIV. p. 142. Quæro III. Quinam sint illi Religiosorum cœtus, quibus Nigronus per intolerandam iactantiam, homo scilicet gloriosus, Societatem hanc minimam antetulit? Omnes, inquis, sic enim scribis Animaduersione XIV. *Hic equidem non pro nostris tantùm, verùm pro* III. *Et Nigrono immane sed falsum crimẽ affingit arrogan.*

X x. *vniuersis*

vniuersis Religiosis cœtibus lacessitus respōdere debes, quomodo se omnibus præferat, qui Clericorum munera minùs omnibus tractat? Hæc enimuerò, Castalde, non impudens Nigroni arrogantia, sed tua parum beneuoli animi acerbitas est. Nigronus Societatem omnibus Religiosis Ordinibus anteposuit? Insolentissimè fecit, hominémque ob hanc rem detestor, si fecit, sed tantum arrogantiæ crimen homini modestissimo impingendum, eíque ex arrogantissimâ sententiâ non erat inuidia concilianda non allatis recitatísque illius verbis. Huiusmodi quidquam dixisse aliquando Nigronum constantissimè abnuo: tu ne calumniator audias, quî probas? At inquis, *Ignatio res noua non erat, qui delineauerat Ordinem, qui clericatum cum statu regulari coniūgens, & claustrali, plura Clericorum officia & munia complexus, quàm Ordo Theatinorum;* Hæc apud te Nigronus. De re iam disputauimus, de tuâ interpretatione nunc videamus. Quibus hîc verbis vniuersos Religiosos cœtus læsit Nigronus? At ne tuum quidem læsit: nam qui vera dicit, neminem lacessit, nisi eum, cui veritas dolet. An Tui veluti genus quoddam amplissimum, vniuersos Religiosos cœtus ita continent, vt qui illis ægrè faciat, omnes continuò lædat? Quæ hîc Monachis, qui suopte instituto à Clericorum muneribus longissimè recedunt, infertur iniuria? Intelligo, quid moliaris: vt Ordinem nostrum in inuidiam adducas, quasi cum omnium aduersario agis; vt contra illum, ac si manus eius contra omnes essent, omnium ibidem manus sint, ac veluti ferum & pilosum oppugnent. Sed cassabunda hæc sunt consilia, Castalde; Nos Religiosas omnes familias reuereri, de illis quàm honorificentissimè loqui, ab ipsis huius disciplinæ nostræ incunabilis docemur, nobísque honestissimum ducemus, nos illis esse succentiuos, ídque palàm profitemur. Tuum ipsum Ordinem colimus, etsi absque iniuriâ æmulari charismata meliora connitimur,

Anim. XIV. p.141.

nitimur,

nitimur, quod cuique lege licet, separanda igitur Ordinum sanctissimorum caussa est, neque dicta Nigrono affingenda, vt amicos à nobis abalienes. Quod cùm hîc à te factum videam, Castalde, humanitatem fidémque tuam requiro. Sed aperiendus tibi aditus erat erumpenti stomacho, vt in Societatem, quàm contumeliosissimè illum effunderes, quod indignis vsque modis à te hîc factum, abundè docui, sed leuiora iam videamus.

Inter. I.

Anim. IX. p.75.

IV. *S. Petri dictum minus ad rem affertur*

Quæro IV. ex te Castalde, quid tandem caussam tuam iuuet illa Petri positio: *Bonum est nos hîc esse*, cuius magnificâ explicatione duabus paginis libellum tuum factum fuisse habitiorem tibi gratulor? Resignatus Ecclesiæ Pastor, illâ nihilominus lucis dulcissimæ iucunditate illectus, oblitúsque demandati sibi muneris, tabernacula in illo fugitiuæ beatitatis diuersorio iam fabricaturiebat; quidni ergo Ignatius, quamtumuis Societatem olim à se condendam diuinitus edoctus, visâ Caietani, ac nostratum sanctimoniâ exclamauerit; *Bonum est nos hîc esse*! Vt de animosiore comparatione nihil dicam; aio Petrum cùm illa loqueretur, *Nesciisse quid diceret*; quod vmbratilem nescio quam visionis illius iucunditatem solidæ expressæque Christi anteferret imitationi. Hoc idem de Ignatio Ordinis tui quietem illustrem improuidè adamante, ac laboriosissimæ, quam meditabatur, Societati anteferente, si dixero, *Nesciuisse* scilicet *illum, quid ageret*, tu qui Petri factum in medium attulisti, indignè ferre non debes. Verùm non ego hoc dicam; nam ille non fecit.

Anim. VI p.47.

V. *Et de caussa libera incassum disputatur*

Quæro V. quid tibi in mentem venerit, Castalde, cùm Animaduersione VI. Nigrono dicam scriberes de caussa liberâ, quasi homo Philosophiæ ignarus, Stagiritæ ac Suessani auctoritatibus abuteretur. Grande enimverò pandis Philosophiæ arcanum, quum doces, operantem caussam, quandiu in

Xx 2 opere

opere est, ex connexo illius, necessariò operari, nec liberam id temporis dici. Quæ verò sit tuæ inficiationis vis, quo Nigroni dicta reuellere te credis, non satis intelligo. Sic enim loqueris: *Quare frustra docet, caussam non necessariam, etiam positis omnibus incitamentis ad ambulandum, aliquando non ambulaturam, quia libera est.* Hæccine tibi falsò dicuntur Castalde? Quidni? inquis. *Posito enim actu, non ampliùs libera dici potest, sed pro illo tunc necessaria.* Acutè sanè, ambulationem nimirum inuoluit caussa ambulans, dum ambulat, à quâ nulla eam eximat libertas. Nigronus videlicet hoc ignorabat. At non de actu secundo, vt loqui amant, sed de primo ille disputabat: quàm verò ad rem id faceret contra hominem, qui in argumentatione de potentiâ ad actum caussæ suæ firmamenta conlocauerat, quam ea de re confecimus, Interrogatione demonstrauimus.

VI. *Propositio affirmans vniuersalis vnico in contrarium allato exẽplo eliditur.*

Quæro VI. cur de reuelationibus clam habendis, vulgandísve cum Nigrono tricari volueris Animaduersione prima? Audio? Quia is §.cx. vnâ reuelatione de custode Archangelo non apertâ, ream propositionem à se infirmatam fuisse gloriatur, quasi verò vna Hirundo faciat ver. Hæc tu verè dicis, sed ille petitionem tuam validissimè repulit. Quid? Nonne ad falsitatem propositionis vniuersalis aientis conuincendam, vel vnum aduersum exemplum virium satis habere Dialecticorum tyrocinium est? Quum igitur opere maximo pertenderes reuelationes omnes ab Ignatio fuisse patefactas, vnico illo exemplo te de statione deiicere satis habuit Nigronus. At verò ad veritatem eiusdem propositionis affirmantis sanciendam, neque vnus flos, neque vna hirundo, neque dies, neque actus vnus sufficit. Quod si tu nihil diuidi inter vtrumque contubernij habes, quid de te sentiendum sit viderint Dialectici. Nigronus certè iure non accusatur. Anim. I. p. 14.

V II. Quæro VII. ex te Castalde, quod tibi nouum humilitatis

litatis

Anim. VII p. 63. & 64. litatis genus domi repentè prodierit, quæ charitati ancillari non didicerit, atque, vt illius iubar aduersum fulserit, iuri suo cedere? Quid enim caussæ tibi fuit, vt ex caussis omnibus, quas plurimas Caietano fuisse ais clam Carafam habendi reuelationes, vnicam vrgeas modestiam? Eáne docet Præsidibus suis Dei dona non manifestare? Quo id auctore doces? Etiamne cùm de alterius damno, bonôque agitur? Quæ est ista Christianæ Philosophiæ ignorata huc vsque modestia? Sed hoc ipsum, inquis, docet Nigronus. Hoc ille? At, inquis, ille ait: *Solemne est Sanctis viris visiones, reuelationes, miracula, & alia Dei dona occultare.* Planissimè. Sed non animarum, & conscientiæ arbitris, quibus aperienda hæc esse luculentissimè docuerat; vt inepta, ne quid grauius dicam, tua illa sit admiratio, quam sic effundis. *Quare non parum miror hominem sic facilè ac libenter à te diuersificari.* O latinitatis medullam! Sed quid ille à te diuersus sit, qui sacra vasa non esse distrahenda docet, quamuis ea redimendis captiuis paulò ante distrahenda esse dixerit? Quis tam stipes est, vt hæc non intelligat? Rursum quo modo ille de Carafæ cum Ignatio simultatibus agens se *diuersificauit*? At modò fuisse ait, modò negat. Vbi? Vbinam? nisi doces, & de tempore quidem, per calumniam accusas. At Orlandino contradicit. Quî? Nam Paulus IV. ante Pontificatum familiariter B. Ignatio vtitur; teste Orlandino. Ergo simultates nunquam exortæ fuerũt? Cur ex Orlandino, quæ in rem Nigroni erant, non attulisti? Scilicet Indicis, verbo *Pauli IV.* expilatione contento, Historiam ipsam legere tibi tanti non fuit, aut si legisti, malâ fide, quæ in illâ lib. 15. num. 4. leguntur, dissimulasti. Sic enim loquitur Orlandinus: *Curam à principio nonnullam Societati iniecit hic nuntius.* (Carafam scilicet Pontificem factum.) *Erat enim opinio, Carafam & olim offensum, quod cùm is peroptaret vnum eundémque ex hoc nostro, ac Theatinorum conflari Ordinem, noluisset Ignatius, ac nuper quòd Ignatio eodem monente, in caussâ Neapolitani Adolescentis*

Reuelationes aperiendum superioribus esse humilitas docet.

Differ. num. 110.

VIII. *Castaldus ex Indice Orlandini minus solidè disserit.*

p. 65.

lib. 1. num. 122.

centis de quo ſupra narrauimus, acta eius Pontifex Iulius reſcidiſſet. Verùm B. Pater cùm in ſacellum ſe tacitus receptſſet, totámque rem commendaſſet ſapientiæ bonitatíque Numinis ſempiternæ; mox placido vultu, & animo perquàm ſedato egreſſus, ſperare ſe dixit fore, vt qui metuebatur infenſus, eum Societas experiretur propitium, nec diuina deſideraret præſidia, ſi deſtitueretur humanis. Hæc Orlandinus libro decimoquinto, & libro primo, numero centeſimo vigeſimoſecundo: *Cæterùm Ioannes Petrus, priuſquam vſu aliquo conſuetudinéque mores calleret Ignatij, falſis criminationibus adductus, vt erat in his, quæ ad Orthodoxam fidem pertinent, ſeuerus, & acer in primis cenſor, minùs eius fauere cauſſæ in eâ, quam diximus ſuſpicionis procellâ viſus eſt.* Hæc ibi Orlandinus, ex quibus diſcere potes Caſtalde, neque illi Nigronum contraria ſcribere, neque hiſtoriarum cognitionem ex Indicum breuiariis comparari, ac illa deleri ex tuo libello poſſe.. *Non ergo mirum quod ab Orlandino diſcrepet, qui ſibi non conſtat, ſibique perſuadeat, vel potius alijs perſuadere intentet* (homo nimirum profligatæ fidei, qui per ſycophantiam Lectoribus imponere velit, quæ tua in illum humanitas eſt) *nullum eius odorem ad poſteros perueniſſe, quod omnibus notum fuit, vt probatum eſt.* Non arbitror te iam ſic loquuturum. Itaque p. 65.

IX. *Opera quæ Dei ope à nobis fiunt, ſine eiuſdem Dei iniuria amantur à nobis.*

Quæro VIII. Quâ lege tibi contraria ſint (quod Animaduerſione IX. doces,) Ideam condendæ olim familiæ diuinitus accepiſſe, illámque vt proprij ingenij partum amanter amplecti; quorum dictorum gratiâ Nigronum, vt ſibi pugnantem traducis? quàm malâ ſcæuâ hæc læuorſum interpretaris? quàm extra cauſſam Gregorij verba in medium affers? *Qui enim accepta bona ſibi arrogat, ſuis contra Deum bonis pugnat?* quàm nullâ cauſsâ ibi pluribus paratragœdias? an adhuc poſt tantum litterarum ignoratum tibi eſt, non magis illa inter ſe pugnare, quàm ſi opera noſtra præclara, *Quæ Deus operatur* Mor. lib 9. cap. 1.

ratur in nobis diligamus ? An ea noſtra non ſunt, quamuis dona Dei ſint ? Vix arbitror hæc à mulierculis ignorari, & tibi notiſſima eſſe ſcio ; ſed vellendus nimirum fuerat Nigronus, vt mortuo leoni ne pilus quidem ſupereſſet, cui volſellam non admoueres, depilator egregius. Sed viuunt, qui fieri non patiantur, aut certè doleant. Verùm hîc tibi aurem vello, & memorem eſſe iubeo, ſcribere te in vitâ Pauli IV. (locum non adnoto, quòd liber ad manum non eſt, ſed nulla hîc memoriæ mihi labes) eum Ordinem à ſe conditum (nondum enim exciderat loco) vt partum ſuum amaſſe, & promouere deſideraſſe, quod per temporum iniquitatem præſtare non potuit ; An ille ſine diuina ope fundauerat ? Vide Caſtalde, ne iura fingas, atque refingas, & verſatilis mihi Mercurius ſis.

Anim. XXV. p.220. Quæro IX. quodnam peccatum ſit, cuius tibi reus eſt Nigronus, Animaduerſione vigeſimâ-quinta, dum Diſſertationis ſuæ §. CVI. ſcribit ; Si Franciſciſcus Ribera ſuperſtes fuiſſet, reuelationes alias, & hanc præcipuè controuerſam referre potuiſſet ? Quæris ? In eodem luto, quo me oblitum voluit, hæret imprudens. Quî ? A potentiâ, inquis, ad actum argumentationem conficit ſuam. Falleris, Caſtalde, & fallaciam tuam plus quàm decumanam Nigroni integra euincit ſententia, quam detruncatam protuliſti : ſic enim Nigronus ſcribit : *Si Franciſcus Ribera ſuperſtes fuiſſet editioni hiſtoriarum Orlandini, ſcriptioni breuioris vitæ Ribadeneiræ, & proceſſui ſaltem inchoato Sancti Ignatij, reuelationes alias, & hanc præcipuè controuerſam referre potuiſſet : ſed ante hæc omnia deceſſerat.* Quâ in re hîc tibi peccauit Nigronus ? Tu à Riberæ ſilentio veritatem reuelationis conuellere niteris : ille Riberæ, aut ignotam, aut

X. *Nigronus iniuria velliatur à Caſtaldo ſemel.*

non

nō satis exploratam fuisse dicit, caussásque dicti affert; Quod si eius firmamenta Riberæ, viro veritatis religiosissimo, cognita fuissent, non vtique omissurum verosimile esse tradit, quod & illustre sit vaticinium; & iam satis exploratæ, compertæque veritatis. Quare nihil hîc erat, in quo Nigronum vellicares.

XI *Iterumque.* Quæro X. ex te Castalde, An qui semel in publicâ porticu, (sic nos miseri Grammatici scribimus; tibi, qui vt Magnus Latinitatis Prætor de minimis non curas, solutum est, *Publico* constanter scribere) aliquando cubauit Ignatius, is id facere consueuisse dicendus sit? Sic enim ais: *Domos habitationis inquirere, qui noctu in publico S. Marci porticu iacere consueuerat.* Consueuerat? quia nimirum hoc aliquando in summâ rerum omnium solitudine fecit. Hæccine tua ratiocinandi ratio? Video illam non semel placuisse; nam quia Caietani precibus venti aliquando posuêre, illi curandas maris tempestates non fuisse colligis, quia ventis & & mari imperabat. Eiusdē notæ est, quod in Nigrono eâdem Animaduersione carpis; Ignatium nimirū *nimis sollicitum* induci in conquirendis hominum patrociniis differt. n. 48. qui sequenti, eidē Nigrono *Solius Dei protectioni fidebat.* Adhucne Castalde ignoras, quid rectæ, ac Deo subnixæ fiduciæ temeritas dictet? Neque enim finitimæ sunt; quum vna humanam omnem sollicitudinem, non sine tentati Dei accusatione, cæco ableget impetu: altera rectè ac ratione progrediens *omnem* vt Petrus loquitur, *subinferat sollicitudinem.* Anim. 1. p. 14. Ibid. p. 13. 2. Petr. 1.

XII. *Castaldi dictum errori VViclefi & Anabaptistarum Trinitariorum simillimum.* Quæro XI. ex te, Ioannes Baptista Castalde, quonam loco habeas VViclefum illum, qui superioris seculi hæreticis omnibus olim labefactandam fidei veritatem, & sacrorum hominum Ordinem conuellendum signum quoddam videtur sustulisse? Non dubito, quin vt anteambulonem Antichristi hominémque corruptissimæ Doctrinæ atque proiectissimæ audaciæ detesteris: quod quum ita sit, quæro an memineris illius

Gualterius in Tabula seculi XIV.

illius articulum X. ex his, quibus Ecclesia Nigrum præfixit Theta, in hæc verba conceptum legi, *Viros Ecclesiasticos* (hos ego Clericos esse puto) *possessiones habere contra scripturas esse?* Memini, inquis. Rursum Interrogo, vtrùm Anabaptistarum Trinitariorum libellum Antitheseon veri ac falsi Christi vnquam vel ipse legeris, aut certè apud alios inueneris, illósque Antithesi III. sic loqui: *Falsus Christus, sicut ipse est verus Deus, æternus, ditissimus; sic dedit suis sacerdotibus decimas, & multa bona temporalia. Christus autem verus, qui homo temporalis, & pauper fuit, pauperes esse voluit ministros suos.* Hæc illi, quos homines impios fuisse iam te audio clamantem. Sed adesto parumper, Castalde, & quæ Animaduersione tuâ XIV. scribis, mecum recognosce; sic enim post allatam Hieronymi sententiam scribis, opinor. *Hæc*, aurum scilicet, argentúmque, *copiosè qui possident, parum Clericorum munia adaptare sibi posse ex ipso nomine declarant.* Quæ si tua sunt, vt profectò sunt, vigila, Castalde, ne eadem VViclefo, & Anabaptistis dicas. Quid? Argumentationem totam sic euoluamus. *Qui parùm ex ipso nomine Clericorum sibi munia adaptare possunt*, hi parum Clerici sunt; verùm qui *aurum & argentum copiosè possident, hi Clericorum munia ex ipso nomine parum adaptare sibi posse declarant.* Qui aurum igitur, & argentum copiosè possident, parum Clerici sunt. Porrò hanc consequutionem, ne vt illegitimam respuas, Logicorum; ne vt veram admittas, Ecclesiæ legibus cautum est. Quod verò tua sit, Assumptio, in quâ tota vis, quæque tua ipsissima est, profectò euincit; nam de Propositione nisi omnem eieres Philosophiã, nulla mecum tibi esse discordia potest. Quo igitur loco Ambrosium, quo Carolum habes, quos aurum & argentum copiosè possedisse legimus? An hi tibi parum Clerici fuisse videntur? An non satiùs fuerat cum claris auctoribus, quæ ab Heronymo aliquorum auaritiam, cupiditatémque validè, suo scilicet more, arietante paulò duriùs dicta sunt, emollire;

p. 143.

clarissimum Bonauenturam Daualum Augustiniani Ordinis ornamentum, & suæ Congregationis Vicarium Generalem in Palponem, an Peponem ausus fuerit transmutare? Parumne fuerat Ximenio illusisse, nisi etiam clarissimo Daualorum nomine abuteretur! Sed qui semel fidei fines transilierat, hunc nauiter oportuit esse fallacem, ne exiguâ mercede depuduisse videretur. XIII. laudatorum tuorum tuo in libello est Bonauentura Daualos, cui hoc affictum est testimonium ampullarum plenissimum.


Sycophantiâ luculentâ Bonauẽtura Daualos affictum est falsum testimoniũ.

Magister frater Bonauentura Daualos Ordinis S. Augustini.

En alter Dauid inuictus Castaldus Gigantem deiecit Goliam: suos ideò omnes Religiosi cœtus debent decantare triumphos, laudare virtutem, magnificare modestiam. Modestiam, quâ certauit; virtutem, quâ vicit; triumphos, quos meruit. Meritum profectò excedit Triumphos; nulla prorsus laus suppar est illi, qui nunquam satis laudatur, quousque ad cæleste Capitolium prouehatur. Hæc ibi Bonauenturæ nomine. Verùm ego sycophantiam Ximenianâ nihilo minorem iam tibi aperio, Castalde. Aio enim nihil huiusmodo à Bonauenturâ aliquando scriptum: & si hoc parum est, aio secundò, te Bonauẽturæ hominẽ ignotum esse: quod si hoc adhuc satis non est, aio tertiò, tuum ab illo libellum visum nunquam. Quid hæres Castalde? Veritati litamus; obfirmandus contra deliquium animus est, vera enim narro, Quid narro? Ipse veritatem tuetur Bonauentura litteris ad Desiderium Pallottum Cardinalem Eminentissimum Neapoli hoc ipso animo datis. Recitentur.

XV. *Quod eius Epistola confutatur.*

Eminentissime Domine, ac Here mi colendissime. Non ante diem hanc reddita mihi per tabellarium, & quidem casu ab Eminentia V. litteræ sunt scriptæ 25. Maij, quibus dignatur me certiorem facere de quodam libro edito in lucem à Patre Castaldo Theatino: Hunc ego hominem ne noui qui-



INTERROGATIO VIGESIMASECVNDA.

DE CHARITATE.

In fine Pacifici certaminis pag. 236.



Aucis hîc te interrogabo Castalde, nam Charitatem, quam das, lubens accipio; sed moneo separandam esse tui, atque Ordinis caussam, illum enim magnorum virorũ qui in illo degunt reputatione venerari, debeo; tibi nullâ reuerentiâ obstringor; ignouisse, & pro te preces fundere, quod dum hæc scriberem, penè quotidie feci; ac si se dabit occasio, beneficia conferre, quacũque à mea tenuitate proficisci poterunt, paratum esse sat habeo, vt Euangelio faciam satis: non enim ex animo excidit oraculum illud, mandatumque nouum, *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, benefacite his, qui oderunt vos:* quæ postrema oraculi verba tibi ego nolim conuenire; prima ne quadrare quis vnquam dubitaret, toto tuo in Certamine diligentissimè laborasti: Quod enim Societatis nostræ ornamentum non diripere, & proculcare tentasti? Ignatio præscitum fuit, Societatis se parentem olim futurum? Nugæ sunt, & Ribadeneiræ atque Orlandini figmentum. Academias habemus? Hoc Apostolicum non est. Proximorum caussâ laboramus in Nosocomiis, in carceribus, in triremibus, in foris, in triuiis? Ad secularia hoc est distrahi. Quos è Repub. fuerit è Societate dimittimus? Infra Equites Ierosolymitanos estis. Longissimâ plurium annorum in probatione dominium rerum suarum nondum probatis permittimus? Exile habetis paupertatis votum. Ministeriis pro salute animarum longè laboriosissimis

I. *Alia Clarissimi Clericorum Regularium Ordinis, alia Castaldi caussa.*

Matth. V.

II. *qui acerbissime in Societatem scripsit*

riosissimis addicti ad Psalmodiam in Odæum nõ conuenimus? Clerici de sorte Domini non estis. Mendicamus? hoc Clericorũ nõ est. Bona in Collegiis possidemus? neque hoc est. Quid ego singula persequor? Totum tuum libellum huc nolo congerere.

III. *quasi caritatem contumeliis cõciliaturus* Quæro potiùs, an caritatem contumeliis ac maledictis accendi putes? Rectè tu quidem putas, sed malè facis. Eam enim qui fouere velit, beneficiis eum id facere oportet: quod si non fecerit, nihilominus caritas crescet; nam ea est illi ingenita vis, vt colubris, dirisque serpentibus pasta melior atque habitior euadat.

IV. *in ipsâ ad caritatem adhortatione contumeliosus* Sed quis tibi animus, quùm ad caritatem hortaris tam inclementer agere, vt nos tunc maximè *fædus cum morte* iniisse diceres, vt *vobis cedere debere*, quippe *fratribus maioribus*, affirmares? vt parœmiã veterẽ in nos torqueres. *Cede maiori*; *Parce minori* addens: *non fecistis quod vestrum erat; facimus, quod & nostrum, & vestrum est?* Minores nos esse dicis, non repugno, sit vt lubet: nouimus, si iubes, recumbere in nouissimo loco, sed quia minores sumus, prodere veritatem, quis vnquam coget? Quandiu Spiritus hos reget artus, pro eâ stabo. An p. 136.

V. *in eos, qui prouocati arma induerunt.* ideo reprehendis? Quid à nobis peccatum est, si eam defendimus? si iusta induimus arma? si quæ tibi non placuerunt, diximus? An dissimulare debuimus? Non ea erant à te obiicienda, quæ refutare nobis esset necesse, si tam delicatus eras vt vera nolles audire. Nam

VI. *Eiusdem Iuramentũ.* quod tibi scripsisse displiceat, bonâ tuâ veniâ, vix credo; nisi fortè flere didicisti post damna. Iurare te autem tam solemni contestatione de auditione publicâ & traditione antiquissimâ Ignatianæ petitionis, eius hominis non erat, qui eam se obrutam temporum ruinâ in lucem protulisse testatur; quæ tua gloriatio est Epistolæ ad Thianæum cap. XVII.

VII. *Pax non sciungenda à veritate.* Postremo Deum pacis & *dilectionis* propitium nobis precaris, pro quâ beneuolentiâ gratias ago, habeóque maximas, meôque, & totius Societatis nomine spondeo caritatem nos tuo cũ Ordine, singulísque, teque

ipso,

ipſo,quamuis hoc nolle videaris, inuicem habituros, quod eſt vinculum perfectionis; ſed memento Deum pacis,ac *dilectionis*, Deum pariter, ac primò quidem eſſe

VERITATIS.

Porrò quàm magno veritatis Deo huius falſitatis ac Fabulæ obfirmata placeat defenſio, ex infelici Hieronymi Dentici,qui picturæ fucum,&quidem audacioris, illi publicè circumponere non dubitauit, abruptæ vitæ exitu, nec tibi, opinor, ignoto diſcere potuiſti; cuius ego longè tibi diſſimilem precor, vt citò nimirum agnitâ veritate, exin quàm tardiſſimè placidâ in quiete compoſtus quieſcas. Imò, niſi aſpernaris, tecum ita conuenio, vt qui noſtrûm, altero hinc abeunte, ſuperfuerit, is tribus, ob ſummæ Triadis reuerentiam, Sacris piacularibus ſocij animæ leues flammas, expeditúmque iter ad Deum precetur. Quam conditionem te accipere non dubito pro tuâ caritate, atque ſapientiâ; vt potè longè ſeniorem: ſed omnes ſicut aqua dilabimur, atque vt incertæ, ac timidæ ſunt prouidentiæ noſtræ; ita timidiſſimus, maximéque incertus vitæ curſus, qui ſæpe abrumpitur, antequam te abiuncturum putes. Quæ ob eam gratiam tibi proponuntur, vt neminem clam ſit, mihi tecum, vt iuratiſſima ſententiarum in hiſtoriâ ſit diſcordia, nihilo tamen minùs integerrimam ſupereſſe charitatem.

Placétne igitur,ponente in ambobus manus veritate, ſine qua charitas non eſt,vt finiamus?Sic peto.

Igitur:

Quùm actori, quouſque intentionem ſuam validè fundauerit;probandi onus incumbat,& negatâ probatione facti, ſatis probetur *negatiua*. Eáque propter nullum *demonſtratiuè* probandi onus Nigrono, non fundatam aduerſarij intentionem neganti ſit imponendum:Quùm Caſtaldus traditionem, nec ſatis pro- VIII. *Totius Operis concluſio.*

 bauerit

bauerit suo ipsius improbatam testimonio, nec ea qualicumque, res vllo modo sit probata: cùm temporum diligenti ratione subductâ probabilissimum sit, Caietanum, quo tempore Venetiis Ignatius fuit, ibi non fuisse; Nec illius profectionis mentio vlla apud veteres sit, nec ratio vlla vel oacasio probabilis fingi possit. Contrà verò Ignatius suam Societatem Parisiis iam inchoatam, & de condendo Religioso Ordine diuinam haberet prænotionem; neque à Deo aliud facere fuerit iussus: & à Caietano, qui tunc Ordini non præerat, in eum admitti postulare hominis minùs prudentis futurum esset: Neque quidquam admodum, aut noui moris, aut paupertatis exactioris, aut perfectionis sublimioris eo in Ordine esset, quod Ignatium suorum obliuisci cogeret, contrà verò plurimum solitudinis, à quâ ille animarum quæstui addictissimus, abhorrebat; qùúmque hæc omnia Nigronus candidissimâ, & solidissimâ agendi ratione, nullisque fallaciis vsus, & sibi perpetuò constans probauerit olim, & nos hisce Interrogationibus aduersùs ea, quæ Pacifico in Certamine hostiliter obiecit Castaldus, defenderimus:

Reliquum est,

vt Ignatiana illa Ordinis Theatinorum Petitio, quam Castaldus, fallacissimum rumorem, si tamen fuit, sequutus, iam tertiò euulgauit, vanissimum hominis minimè quidem mali, sed in historiâ parum accurati commentum sit, atque, vt verbo dicam,

FABVLA.

L. D. B. V. S. I. A C.



INDEX
ANIMADVERSIONVM Castaldianarum in his Interrogationibus confutatarum.

Amicus Lectori.

EIDEM, quam in ipso operis vestibulo auctor oppigneraruit in præsentiâ cumulatè præsto. Vide, humanissime lector, quidquid impressionis in caussam, de qua contentio est, à Castaldo suo in Pacifico certamine tentatum est, quanto animi candore, rationúmque vi ab Auctore hîc exceptum, ac refutatum sit. Quod vt faciliùs præstare possis, quum alium in suis Interrogationibus Auctor, ac in suis Animaduersionibus Castaldus Ordinem disputandi fuerit sequutus, recensitis hîc Animaduersionibus earumque particulis, Refutationum indicem adnecto. Vale.

Animaduersionis II.

Animaduersionis III.

Animad

Animaduersionis IV.

Animaduersionis V.

Animaduersionis VI.

Animaduersionis VII.

§.Quarto	Interrog.vi.à n.17.& Adauct.n. 8.
§.Quinto	Interrog. viii.
§.Sexto	Interrog.x.& xi.
§.Septimo	Interrog.ix.
§.Octauo	Interrog.xv.
§.Nono	Interrog.III.& xv.
§.Decimo	Interrog.xv.
§.Vndecimo	Interrog.viii.& x.
§.Duodecimo	Interrog.xv.& xviii.
§. Tertiodecimo	Interrog.x.
§.Quartodecimò.	Interrog.xv.n.37.
§.Decimo quinto	Interrog. vi.à n.17.
§.Decimosexto	Interrog.Adauctâ
§.Cæterùm	Totis Interrogationibus.
§.Textum	Interrog.xx.num.28.

Animaduersio VIII.

Tota expungitur	Interrog.xi.

Animaduersionis IX.

§.Nigronus	Interrog. iii.iv.& vi.
Et quod ibi de Petro loqueris	Interrog.Adauctâ.
§.Cæterùm	Interrog.x. à n.12.
§.Præterea	Interrog.adauctâ.
§.Denique	Interrog.viii.& x.
§.Argumentetur	Interrog. xv.& xvi.
§.Ampliùs	Interrog.xv.
§.Tandem	Interrog. xv.n.37.

Animaduersio X.

Tota passim	Interrog.iv.viii.& x.
Et §,satis quidem	Interrog.viii.n.3. 11.12.
§.Fuitne firmius	Interrog.viii.n.11.Inter.ix.n.3.
§.Addam postremò	Interrog.viii.n.13.

§.Attollat

§.Attollat Interrog.VIII.n.11.
§.Vt quid ergo Interrog.VIII.n.14.&c.
§.Ex his disce Interrog.VIII.n.17.
§.Non ergo Inanis consequutio ex inanibus antecedentibus.
§.Adde Interrog.VIII.n.7.8.&9.
§.Adhuc Interrog.VIII.n.15. & 17. Interrog.XVII. num.19.&c Interrog.IX.num.9.
§.Expulsioni obnoxia Interrog.VIII.n.9.
§.Nouissimum Interrog. VIII.à n.1.
§.Lessius Interrog. XVII.n.5.
§.Item Interrog.XVII.n.5.&c.
§.Sicut exaltantur Interrog.IV.n.51.
§.Item quia Interrog. II.n.8.
§.Adde quod dum Interrog.II.n.4.
§.Quamobrem Interrog.IX.
§.Verùm his Interrog. VIII.n 1.
§.Hîc igitur Interrog.X. totâ sed præcipuè n. 12.15.17.
§.Quod si leuis Interrog.VIII.n.7.

Animaduersio XI.

Tota Interrog.XII.
§.Cogitauit Nigronus Interrog.XII.n.7.
§.Non sine temeritatis. Ibid n.6.
§.quod etiam Ibid.n.x.
§.Ex tot Interrog. VII.n.6.Interrog. XII. n. 2.4. & 8.Interrog.V.n.2.
§.In capitulo Interrog. XII.n.9.&c.
§ Epistolam à Caietano Ibid.
§.Velim Interrog. XII.n.7.
§.Nec valet Ibid.n.13.

Animaduersioni XII.

Opponitur Interrog.XV.
§.Quod minus Ibid.n.34. & 29.

Animaduerſio XIII.

Animaduerſioni XIV.

§.Cui

Animaduersio XV.

Animaduersio XVI.

Animaduersioni XVII.

Animaduersioni XVIII.

Animad

Animaduersio XIX.

Repellitur. Interrog.xi.à n.10.ad 14.
§.Item. Int.xv.num.27.
§.Adhuc quartum. Int.VIII.n.18.&c.Int.x.n.3.12.13.

Animaduersio XX.

Quid veritatis habeat omnibus his Interrogationibus luculenter docetur: quod idem dixerim ad

Animaduersionem XXI.

§.Auctori vtique. Interrog.I.num.12.

Animaduersio XXII.

§.Principio. Interrog.xix.num.43.
§.Mea dicta. Interrog.I.n.12.
§.Dicam tamen. Interrog.xix.n.2.Interrog.1.n.12.
§.Insuper Societatis. Ibid.num.12.
§.Nec argumentationis. Interrog.v.totâ.
§ Nihilominus à potentiâ. Interrog.xix.num.4.
§.Etiam Veronam vsque. Interrog.VIII.n.10.
§.Quis ei dixit. Interrog.xix.n.5.
§.Hæc eadem. Interrog.VII.num.5.
§.Quid tempus. Interrog.xiv.num.6.
§.Sed quid Theologus. Interrog.VII.n.11.
§.Tufum,& Caracciolum. Interrog.xix.num.8.
§.Incassum. Ibid.num.11.
§.Cur certum. Ibid.
§.Ad quid partitio. Ibid.num.10.
§.In nullo Neapoli. Ibid.num.11.
§.Paruæ nascentis. Interrogat.VII.n.12.& Inter.xix. num.11.
§.Venetiis. Interrog.xix.num.12.
§.Quid pugnabat. Ibid.num.13.

§.Nullo

Animaduersionis XXIII.

Animaduersionis XXIV.

Animaduersio XIX.

Repellitur. Interrog.xi.à n.10.ad 14.
§.Item. Int.xv.num.27.
§.Adhuc quartum. Int.viii.n.18.&c.Int.x.n.3.12.13.

Animaduersio XX.

Quid veritatis habeat omnibus his Interrogationibus luculenter docetur: quod idem dixerim ad

Animaduersionem XXI.

§.Auctori vtique. Interrog.I.num.12.

Animaduersio XXII.

§.Principio. Interrog.xix.num.43.
§.Mea dicta. Interrog.I.n.12.
§.Dicam tamen. Interrog.xix.n.2.Interrog.I.n.12.
§.Insuper Societatis. Ibid.num.12.
§.Nec argumentationis. Interrog.v.totâ.
§ Nihilominus à potentiâ. Interrog.xix.num.4.
§.Etiam Veronam vsque. Interrog.viii.n.10.
§.Quis ei dixit. Interrog.xix.n.5.
§.Hæc eadem. Interrog.vii.num.5.
§.Quid tempus. Interrog.xiv.num.6.
§.Sed quid Theologus. Interrog.vii.n.11.
§.Tufum,& Caracciolum. Interrog.xix.num.8.
§.Incassum. Ibid.num.11.
§.Cur certum. Ibid.
§.Ad quid partitio. Ibid.num.10.
§.In nullo Neapoli. Ibid.num.11.
§.Paruæ nascentis. Interrogat.vii.n.12.& Inter.xix.num.11.
§.Venetiis. Interrog.xix.num.12.
§.Quid pugnabat. Ibid.num.13.

§.Nullo

§.Nullo modo.	Ibid.num.14.
§.Oppositio.	Ibid.num.10.& Interrog.xix.n.11.
§.Nec tamen.	Interrog.xix.n.14.& 15.
§.Quid me allegat	Ibid.num.16.
§.Quid ei.	Ibid num.17.
§.Si viginti.	Interrog.xii.& xix.num.18.

Animaduersionis XXIII.

§.Telis.	Interrog.xix.num.20.
§.Lacte.	Ibid.num.21.
§.Tutus est.	Ibid.
§.Quid magni.	Ibid.num.22.
§.Quia.	Interrog.xi.n.4.
§.Si probabilia.	Interrog.xix.num.23.
§.Consensio.	Ibid.num.24
§.Si in hac controuersia.	Omnia sæpiùs in superioribus animaduersionibus ingesta, ac proinde etiam regesta.
§.Æquiuoce.	Interrog.xix.num.25.
§.Cardo.	Ibid.num 26.
§.Inutiliter.	Omnia antea inculcata, ac propterea exculcata.
§.Student.	Interrog.viii.num.12.& 13.
§.Si Bonifacius.	Interrog xix num.27.
§.Quid prodesse.	Interrog.vii.& xix.num.30.

Animaduersionis XXIV.

§.Quis vel leuibus.	Interrog.iv.& xix num 31.
§.Illud insuper.	Interrog vii.& alibi.
§.Ad effugium.	Interrog.xix.num.32.
§.Miratur.	Ibid.num.33.
§.Cur errorem.	Ibid.
§.Quomodo.	Ibid.num.34.
§ Quid me prudentem.	Ibid.num.35.
§.Patrem.	Ibid.num.36.

Animaduersionis XXV.

Animaduersionis XXVI.

§.Nemo


§.Nemo. Ibid.num.59.
§.Ad ea. Ibid.num.60.

Animaduersio XXVII.

Satis refutata est. Interrog.xv. num.36.& alibi.

Hortationi ad Caritatem.

Respondetur Interrog.xxi.



Typogra

Typographus Lectori.

SIqua per Auctoris absentiam operarum errata, quæ tamen paucissima esse arbitramur, operi adhæserunt, candide Lector, beneuolè aut corrige, aut dissimula. Nescio quid etiam monuit auctor de ritu Missæ, quod quia loco reponi non potuit, alteri editioni seruandum duximus. Quamuis enim in contentioso hoc scribendi genere, nihil dissimulari ab aduersario solet, quod non reprehendatur si minùs accuratum sit; id tamen per Admodum Reuerend. Patris Joannis Baptistæ Castaldi humanitatemque æquitatemque nobis licere arbitramur.

Interim:

Præfationis pag. 6. linea 6.	lege obiecerunt
pag. 3. lin. 17.	lege quærendum.
pag. 33. in magine num. 10.	lege suismet dictis.
pag. 37. lin. 28.	lege nixi.
pag. 317. lin. 11.	lege eas.

Errata

Errata Typographica.

IN Præfatione ad Lectorem, pagina 2. linea 8. lege virtutis.
Pagina 10. linea 7. lege doles.
Pag. 94 lin. 27. leg. peritia.
pag. 98. lin. 32. leg. profectus.
eadem lin. 37. leg. terrestre.
pag. 103. lin. 11. leg. pertimescendum.
pag. 129. lin. 12. leg. Vincentium.
eadem lin. 31. leg. antiquissimis.
pag. 130. lin. 34. le. conuentus.
pag. 132. lin. 35. leg. præstiti.
pag. 133. lin. 9. leg. dicto.
pag. 141. lin. 23. leg. magnis.
pag. 142. lin. 13. leg. adimas.
pag. 151. lin. 6. leg. exire.
pag. 153. lin. 24. leg. aurem.
pag. 154. lin. 11. leg. dubitare?
eadem lin. 32. leg. sententias.
eadem lin. 34. leg. vbi.
pag. 157. lin. 5. pro Iethrone, lege Hobabum cognatum suum.
eadem lin. 16. leg. inuenire.
pag. 162. lin. 23. leg. Paulo.
pag. 168. lin. 22. leg. Magius.
pag. 169. lin. 6. leg. Prouincia.
pag. 196. lin. 2. leg. magistratum.
pag. 211. lin. 25. leg. iactatum.
pag. 214. lin. 4. leg. veterum.
pag. 217. col. 1. leg. Venetos.
pag. 221. lin. vlt. leg. excolitur.
eadem columna 5. leg. prædicat.
pag. 223. columna 2. leg. Collegium.
pag. 225. col. 5. leg. Angerum.
pag. 231. col 3. leg. Genuæ.
pag. 233. col. 4. leg. Pelererio.
pag. 256. lin. 29. leg. Apostolici.
pag. 268. lin. 7. leg. sociis.
pag. 280. lin. 30. leg. excedere.
ead. lin. 31. leg. videri.
pag. 290. lin. 17. leg. inrogatas.
pag. 291. lin. 18. le. appellemus.
pag. 193. lin. 3. leg. didiceris.
pag. 306. lin. 34. leg. volueris.
pag. 310. lin. 1. leg. illi.
pag. 313, lin. 27. leg. exire.
pag. 317. ling. 4. leg. eas.
pag. 319. lin. 10. leg. profectionis.
eadem lin. 21. leg. nouum.
pag. 326. lin. 18. leg. nullo.
pag. 334. lin. 5. leg. vnum.
eadem lin. 6. leg. reliquos.
eadem lin. 12. leg. spirita.
eadem lin. 14. leg. fallaciarum.
pag. 347. lin. 13. leg. designatus.
pag. 348. lin. 21. leg. eam.
pag. 352. lin. 10. leg. solitum est.
eadem lin. 24. leg. distet?
pag. 357. lin. 37. leg. immerenti.





